


IDAD... OMA... NUE...
CCIÓN... BIBLIOTE...




S. AUGUSTINI
OPUSCULA



BR65
A5
1800
V.1 DE
C.1



1080045565



642-6433

2 Feb



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPULA ALFONSO BARRAGAN UNIVERSITARIA
Kelle 44 MICROFILMADO 11/3/83

SANCTI AUGUSTINI
OPUSCULA.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



BIBLIOTECA PÚBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

18881

38549

SANCTI AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
OPUSCULA,
QUIBUS INSTITUTIO
UNIVERSE THEOLOGIE

COMPREHENDITUR
IN USUM CANDIDATORUM
THEOLOGIE:
COLLECTA EX EDITIONE
PATRUM CONGREGATIONIS S. MAURI
EDITIO ALTERA.

*Quam in gratiam Alumnorum Collegii Matritensis
Domine Mariæ de Aragon majori ex parte auxit,
novoque ordine digessit*

*Frat. Antoninus Merino Ord. S. Augustini, sacr.
Theolog. Magister, ac ejusdem Collegii Rector.*

ga libris TOMUS I. *Famattini*



MATRITI.

APUD VIDUAM DE IBARRA.

ANN. DOM. M. DCCC.



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

135847

BR 65

A 5

1800

V. 1

*Si delizioso cupitis pabulo saginari,
 beati Augustini Opuscula legite; & ad
 comparationem siliginis illius, nostrum
 furfurem non quærat.*

S. Gregorius Mag. Epist. ad Innocentium c. 37.

S. P. AUGUSTINI

ORATIO

Ad petendum spiritum intelligentiæ.

Deus Pater noster, qui ut oremus hortaris, qui & hoc quod rogaris præstas; siquidem cum te rogamus, melius vivimus, melioresque sumus: exaudi me palpitantem in tenebris, & mihi dexteram porrige: prætende mihi lumen tuum, revoca me ab erroribus: te duce, in me redeam, & in te. Amen.

Ex lib. 2. Soliloquiorum cap. 6. n. 9.

DIRECCION GENERAL DE

INSTRUMENTOS

DE LA BIBLIOTECA DE LA UNIVERSIDAD

DE MADRID

EXCELLENTISSIMO
 AC ILLUSTRISSIMO DOMINO
 D. RAYMUNDO JOSEPHO
 DE ARCE,

ARCHIEPISCOPO BURGENSEI,

HISPANIARUM INDIARUMQUE INQUISITORI
 GENERALI, EQUITI MAGNÆ CRUCIS
 CAROLI TERTII, ETC. ETC.

Operæ pretium me facturum existimavi, Amplissime Præsul, si ad solidiorem Candidatorum Theologiæ institutionem selecta quædam M. P. ac præclarissimi Ecclesiæ luminis Augustini Opuscula, in unum veluti corpus redacta, edere curarem. Quod meum consilium, cum non prius tibi notum quam probatum vidissem, nihil moratus sum, quominus sub præstanti Nomine & patrocinio tuo executioni daretur. Nam ut totum quod corde gero, paucis aperiam, quid mihi opportunius, fortantiusve obvenire poterat, vel ad demonstrandam observantiam in te meam, vel ad reddendam vicem beneficiis in me tuis? Et quidem in Ecclesiæ culmine hac tempestate constitutus, quasi Speculator in Israël, id unum maxime exoptas, sacrosanctum divinæ fidei depo-

OMISSIT/LLIHXI
situm integrum custodiri, atque à cal-
lidissimis simul & immanissimis præ-
donibus tutari. Arduum scilicet opus,
ac supra quàm dici potest difficile! Ve-
rum tamen, absit invidia verbo, Augus-
tini meritum, fama, auctoritas, Augus-
tini, inquam, quem Catholici jam inde
ab ejus ætate, D. Hieronymo teste, con-
ditorem antiquæ rursus fidei veneran-
tur, atque suspiciunt; quem etiam tam-
quam specialem fidei patronum cum
sancto Prospero omnes celebrant, abundè
tibi erit, tum ad detegendas versipel-
lium fraudes, cum ad comprimendam im-
pudentium hominum audaciam. Age ergo,
Excellentissime Princeps, & me licet
immeritum, vel quia tibi Augustinum
offero non inelegantibus typis procursum,
& omnes Augustinianæ doctrinæ studio-
sos, nativa benignitate prosequere. Sic te
D. O. M. diu salvum, incolumemque ser-
vet ad avitæ fidei præsidium, et tutamen:
quod enixè obtestatur.

Devotissimus tibi,
ac obsequentissimus cliens,
Fr. Antoninus Merino.

PRÆ-

PRÆFATIO EDITORIS.

JAM dudum à Viro eximio, cujus memoria
cara mihi semper & veneranda erit, dono
accepi decem parva volumina hunc titulum
præ se ferentia: „S. Aurelii Augustini Hippo-
nensis Episcopi Opuscula, quibus institu-
tio universæ Theologiæ comprehenditur, in
usum Candidatorum Theologiæ: collecta ex
editione PP. Congregationis S. Mauri. Ra-
tisbonæ & Viennæ, apud Emeric. Felic. Ba-
der. 1763.” Collectionem hanc velut doc-
trinæ sacræ depositum gratulanter adeptus, non
mihi soli deservire volui; imò dum per tem-
pus liceret, prelo iterum subjicere constitui,
ut publici quodammodo juris fieret Hispanæ
nostræ Juventuti.

Cùm autem amicorum ope id jam tandem
adgrederer, imperfectum Opus esse animad-
verti, nec facile admodum compleri posse.
Nec enim Collector, nec etiam Editor quid-
quam monet, unde fas sit conjicere, quot de-
inceps voluminibus, quibusve aliis Augustini
Opusculis esset augenda Collectio, ut integra
evaderet, numerisque omnibus absoluta. In
tres nimirum partes divisa, plura desideran-
tur in illa ad absolvendum propositum val-
dè utilia, imò & necessaria. Nescio enim
quo fato, quavè ratione contigerit, ut potio-
ri sui parte aded mutila, seu manca reman-
serit, ut nec quæ adversus Donatistas, nec
quæ adversus Pelagianos & Semipelagianos
Magnus Augustinus disseruit, in ea reperian-
tur; cum tamen ex libris contra Academicos,
aliisque operibus majorem, quàm par est, doc-
trinæ copiam Adolescentibus exhibeat.

Er-

Ergo quod deest laudato Operi, supplere volui: atque ut id perlicerem utiliùs, quæsito à doctissimis viris consilio, ad quem Auctor ille sibi præfixerat scopum, diversa mihi via deveniendum esse putavi; eo scilicet ordine Augustini Opuscula colligendo, qui ad methodum in scholis usitatam propius accederet. Cumque Candidatorum utilitati in omnibus consultum vellem, in id maximè incubui, ut nec Opus esset magnæ molis, nec nimii sumptûs. Hanc ob rem nonnulla laudatæ editionis Opuscula, ægrè licet, omitto; quamquam & omittenda sunt aliunde, ut ea quæ sunt à me addita, suis quæque locis aptentur. Hæc tamen mea & numero, & prolixitate superabunt ea, quæ decem illis voluminibus comprehenduntur. Totum autem hoc opus ad sex tantum volumina redigere cogitaram; septimum tandem addere constitui, ut amicorum sollicitudini nonnihil darem, & Juvenum institutioni magis magisque providerem.

En ergo, humanissime Lector, totam propositi mei rationem. In tomo primo de Theologi dotibus & officiis agitur. In secundo de Sacra Scriptura, de Veritate, & de Hæresibus. In tertio de Deo uno, & Trino, de Verbi Incarnatione, & reliquis Christi mysteriis. In quarto de Gratia Christi, de Peccato originali, de Prædestinatione, & Reprobatione. In quinto de Ecclesia, ejusque Sacramentis. In sexto de Præceptis Decalogi, de Virtutibus, & Vitiis, & de diversis Ecclesiæ Statibus. Septimus denique in duas erit partes divisus: quarum prima erit præcedentium Supplementum; secunda verò Augustinianæ doctrinæ Summâ, sive quoddam Theologicum corpus ex selectis,

tis, fusioribusque hujus Collectionis sententiis contextum exhibebit. Singulis autem tomis præfigitur breve Monitum, ubi Opusculorum series, & ordo adnotatur.

Nihil jam, ut arbitror, superest, nisi ut Candidatos commonefaciam, religionem mihi fuisse ab editione Patrum sancti Mauri vel latum unguem discedere. Meminerint itaque semper, cum Augustini Opera citari videant, sive in notis ad calcem positis, sive etiam in admonitionibus, quæ singulis præmittuntur Opusculis, ad eam recurrendum esse editionem, quam laudati PP. decem magnis voluminibus exornarunt. Atque illud etiam eos scire oportet, videlicet sacræ Scripturæ loca ab Augustino producta, à lectione Vulgatæ nostræ interdum discrepare. Nam quæ Vulgata dicebatur Augustini tempore, ea à nostris Italâ passim appellatur. Tandem rogo eos, atque obtestor, ut Augustinum nostrum attentè, pioque animo legant. Haud enim diffiteor in Augustini Opusculis non pauca occurrere quæ ob ipsarum rerum altitudinem difficilè intelliguntur: deque eo dici revera posse, quod agebat ille de Apostolo Paulo (lib. de Spirit. & litter. cap. 8. num. 12.) *Ad Romanos ipsa sola quæstio, de Gratia, versatur tam pugnaciter, tam multipliciter, ut fatiget legentis intentionem.* At facteri etiam de eo unusquisque debet, quod de eodem Apostolo ipse illic addit: *Sed tamen fatigatione utili, ac salubri, ut interioris hominis magis exerceat membra, quam frangat.* Legant, inquam, ea mente de qua sanctus Fulgentius admonet (lib. 2. de Veritat. prædestinat. & grat. cap. 18.) *Augustinum, inquiens, legat omnis, qui salutem æternam adi-*

adipisci desiderat : humiliter orans misericordiae Dominum , ut eundem Spiritum intelligentiae legens accipiat , quem ille accepit , ut scriberet : et eandem illuminationis gratiam adipiscatur , ut discat , quam ille adeptus est , ut doceret.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MÉXICO

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

MONITUM

IN TOMUM PRIMUM.

DIU multumque hæsi in seligendis Opusculis , ex quibus volumen hoc primum conficerem. Plurima enim simul occurrebant priorem sibi locum exigentia , & quodammodo vindictia. At cum in *Soliloquiorum* libris exemplo suo demonstret Augustinus , quomodo comparatus esse debeat veræ sapientiæ studiosus , exordium inde sumere Theologiæ Candidatum opportuniùs visum est. Subjungo statim *Epistolam ad Dioscorum* , ut discat suorum studiorum finem. Huic illicò accedit liber de *Magistro* , ut alium non quærat , nisi Dominum Christum , qui solus docet hominem scientiam. Haud diffiteor hæc tria Opuscula , & acumen ingenii , & improbum laborem exigere ; verùm id ipsum Juvenum animos utiliter exercebit. Scientiæ verò Theologiæ principium , sive fundamentum , Fidem videlicet , ac divinæ Revelationis necessitatem , unde meliùs hauriet Candidatus , quàm ex libro de *Fide rerum quæ non videntur* ? Subnectitur huic alius inscriptus de *Utilitate credendi* , qui & methodum divinas res pervestigandi magnificè exponit. Post quem ordinatè sequuntur , de *vera Religione* , de *Fide & Symbolo* , de *Catechizandis rudibus* , de *Moribus Ecclesiæ catholice* , ac pro coronide liber de *Agone christiano*. In his , ni multum fallor , universæ institutionis Theologiæ absolutissimum specimen habet Candidatus.

MUTUUM
INDEX OPUSCULORUM,
MUMIST MUMOT MI
QUÆ IN PRIMO TOMO CONTINENTUR.

	PAG.
<i>Soliloquiorum Liber primus</i>	4.
<i>Secundus</i>	32.
<i>Epistola Dioscori ad Augustinum</i>	65.
<i>Epistola Augustini ad Dioscorum</i>	67.
<i>Liber de Magistro</i>	101.
<i>De Fide rerum quæ non videntur</i>	151.
<i>De Utilitate credendi</i>	174.
<i>De vera Religione</i>	223.
<i>De Fide & Symbolo</i>	321.
<i>De Catechizandis rudibus</i>	347.
<i>De Moribus Ecclesiæ catholicæ</i>	419.
<i>De Agone christiano</i>	481.

ADMONITIO
DE SEQUENTIBUS DUOBUS
SOLILOQUIORUM LIBRIS.

Cum id operis molitus est Augustinus, versabatur adhuc in rure Cassisiaco ex lib. 9. Conf. cap. 4. agebatque annum ætatis trigesimum tertium, ut ipse hic testatur lib. 1. cap. 10. Quapropter sub initium anni Christi trecentesimo octogesimo septimi collocandum videtur; nisi forte quis velit ad superioris anni finem cum aliis hactenus recensitis operibus pertinere.

In primo libro se ipse ad vivum depingit nova quadam, sed perquam familiari methodo edoctrurus, quemadmodum comparatum esse oporteat eum, qui Dei & animæ capessere scientiam cupit. Loquitur verò in primis de mentis sanitate subsidio fidei, spei, & caritatis procuranda, & mentis oculum, dum ab omni rerum inferiorum cupiditate purgatus sit, in solem illum haud impune ad tolli, nedum in eo desigi posse ostendit. Secundus liber in eo versatur totus, ut demonstretur nunquam intermorituram esse veritatem; unde ipsius animæ, quæ veritatis sedes est, immortalitas colligitur.

LIBRI I. RETRACT. CAPUT IV.

INTER hæc scripsi etiam duo volumina secundum studium meum & amorem, ratione indagandæ veritatis, de his rebus, quas maxime scire cupiebam, me interrogans, mihi que respondens, tamquam duo essemus, ratio & ego, cum solus essem; unde hoc opus *Soliloquia* nominavi: sed imperfectum remansit, ita tamen ut in primo libro quæreretur, & utcumque appareret, qualis esse debeat qui vult percipere sapientiam, quæ utique non sensu corporis, sed mente percipitur: & quadam ratiocinatione in libri fine colligitur, ea quæ verè sunt, immortalia esse. In secundo autem de immortalitate animæ diu res agitur, & non peragitur.

L. I. c. I.
I. Sen. dist.
2. cap. I.

L. I. c. I.

2. In his sanè libris non approbo quod in oratione dixi: *Deus qui nisi mundos verum scire noluisti*. Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera: neque enim definitum est hic quid sit verum, quod nisi mundi scire non possint, & quid sit scire. Et illud quod ibi positum est: *Deus, cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat*; si Deus intelligendus est, addenda fuerant verba, ut diceretur, quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est, quem sensus ignorat, ille rectè intelligitur, qui futurus est cælo novo & terra nova: sed etiam hic addenda erant illa, ut diceretur, mortalis corporis sensus. Sed illo more adhuc loquebar, quo sensus propriè corporis appellatur; nec assiduè repetendum est, quod & superius inde jam dixi, sed hoc recolendum, ubicumque ista locutio in meis litteris invenitur.

I. Retr. c.
I. & 3.

Et

3. Et ubi dixi de Patre & Filio: *Qui gignit, & quem gignit, unum est*; dicendum fuit, unum sunt, sicut apertè ipsa Veritas loquitur, dicens: *Ego & Pater unum sumus*. Nec illud mihi placet, quod in ista vita Deo intellecto jam beatam esse animam dixi: nisi fortè spe. Item quod dixi: *Ad sapientiæ conjunctionem non una via perveniri*; non benè sonat, quasi alia via sit præter Christum, qui dixit: *Ego sum via*. Vitanda ergo erat hæc offensio aurium religiosarum; quamvis alia sit illa universalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo canimus: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, & semitas tuas doce me*. Et in eo quod ibi dictum est: *Penitus esse ista sensibilia fugienda*, cavendum fuit ne putaremur illam Porphyrii falsi philosophi tenere sententiam, qua dixit: omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego omnia sensibilia, sed, *ista*, hoc est, corruptibilia; sed hoc potius dicendum fuit: non autem talia sensibilia futura sunt in futuri sæculi cælo novo, & terra nova.

4. Item quodam loco dixi, quod disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, & quodam modo refodiunt. Sed hoc quoque improbo: credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando benè interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt; non quia ea noverant aliquando, & oblii sunt, quod Platoni, vel talibus visum est. Contra quorum opinionem quanta pro suscepto opere dabatur occasio, in lib. 12. de Trinitate disserui. Hoc opus sic incipit: *Volenti mihi multa ac varia mecum*.

L. I. c. 7.

Joan. 10.
30.

L. I. c. 13.


Joan. 14.
6.

Psalm. 24.
4.

L. I. c. 14.

L. 2. c. 20.

Cap. 15.


S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SOLILOQUIORUM
LIBRI DUO.*

* Scripti
sub initium
ann. Chr.
287.

LIBER PRIMUS.

Instituit se ipse Augustinus ad capessendam Dei & animæ scientiam; ac primùm divinam opem implorat, tum agnita illius, quam concupiscit, scientiæ præcellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplandum Deum tutò demum assurgat. Ad extremum libri colligit ea quæ verè sunt, immortalia esse.

CAPUT I.
Precatio ad
Deum.

VOLVENTI mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulò quærenti memetipsum ac bonum meum, quidve mali evitandum esset: ait mihi subitò, sive ego ipse, sive alius quis extrinsecùs sive intrinsecùs, nescio. Nam hoc ipsum est quod magnopere scire molior. Ait ergo mihi **RATIO**: ecce, fac te invenisse aliquid, cui commendabis, ut pergas ad alia? **A.** Memoriam scilicet. **R.** Tantane illa est, ut excogitata omnia bene servet? **A.** Difficile est, immo non potest. **R.** Ergo scribendum est. Sed quid agis, quod valetudo tua scribendi laborem recusat? Nec ista dictari debent, nam solitudinem meram desiderant.

A.

A. Verum dicis. Itaque prorsus nescio quid agam. **R.** Ora salutem & auxilium, quo ad concupita pervenias, & hoc ipsum litteris manda, ut prole tua fias animosior. Deinde quod invenis, paucis conclusivunculis breviter collige. Nec modò cures invitationem turbæ legentium, paucis ista sat erunt civibus tuis. **A.** Ita faciam.

2. Deus universitatis conditor, præsta mihi primùm ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremò ut liberer. Deus, per quem omnia, quæ per se non essent, tendunt esse. Deus, qui ne id quidem quod se invicem perimit, perire permittit. Deus, qui de nihilo mundum istum creasti, quem omnium oculi sentiunt pulcherrimum. Deus, qui malum non facis, & facis esse ne pessimum fiat. Deus, qui paucis ad id quod verè est refugientibus, ostendis malum nihil esse. Deus, per quem universitas etiam cum sinistra parte perfecta est. Deus, à quo dissonantia usque in extremum nulla est, cum deteriora melioribus concinunt. Deus, quem amat omne quod potest amare, sive sciens, sive nesciens. Deus, in quo sunt omnia, cui tamen universæ creaturæ, nec turpitudine turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Deus, qui nisi mundos verum scire nolueris. Deus, pater veritatis, pater sapientiæ, pater veræ summæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni & pulchri, pater intelligibilis lucis, pater evigilationis atque illuminationis nostræ, pater pignoris, quo admonemur redire ad te.

3. Te invoco, Deus veritas, in quo & à quo & per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo & à quo & per quem sapiunt, quæ sapiunt omnia. Deus vera

A 3

&

I. Retr. 6.
4. n. 2.
I. Sent.
dist. 2. cap.
1.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SOLILOQUIORUM
LIBRI DUO.*

* Scripti
sub initium
ann. Chr.
287.

LIBER PRIMUS.

Instituit se ipse Augustinus ad capessendam Dei & animæ scientiam; ac primùm divinam opem implorat, tum agnita illius, quam concupiscit, scientiæ præcellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplandum Deum tutò demum assurgat. Ad extremum libri colligit ea quæ verè sunt, immortalia esse.

CAPUT I.
Precatio ad
Deum.

VOLVENTI mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulò quærenti memetipsum ac bonum meum, quidve mali evitandum esset: ait mihi subitò, sive ego ipse, sive alius quis extrinsecùs sive intrinsecùs, nescio. Nam hoc ipsum est quod magnopere scire molior. Ait ergo mihi **RATIO**: ecce, fac te invenisse aliquid, cui commendabis, ut pergas ad alia? **A.** Memoriam scilicet. **R.** Tantane illa est, ut excogitata omnia bene servet? **A.** Difficile est, immo non potest. **R.** Ergo scribendum est. Sed quid agis, quod valetudo tua scribendi laborem recusat? Nec ista dictari debent, nam solitudinem meram desiderant.

A.

A. Verum dicis. Itaque prorsus nescio quid agam. **R.** Ora salutem & auxilium, quo ad concupita pervenias, & hoc ipsum litteris manda, ut prole tua fias animosior. Deinde quod invenis, paucis conclusiunculis breviter collige. Nec modò cures invitationem turbæ legentium, paucis ista sat erunt civibus tuis. **A.** Ita faciam.

2. Deus universitatis conditor, præsta mihi primùm ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremò ut liberer. Deus, per quem omnia, quæ per se non essent, tendunt esse. Deus, qui ne id quidem quod se invicem perimit, perire permittis. Deus, qui de nihilo mundum istum creasti, quem omnium oculi sentiunt pulcherrimum. Deus, qui malum non facis, & facis esse ne pessimum fiat. Deus, qui paucis ad id quod verè est refugientibus, ostendis malum nihil esse. Deus, per quem universitas etiam cum sinistra parte perfecta est. Deus, à quo dissonantia usque in extremum nulla est, cum deteriora melioribus concinunt. Deus, quem amat omne quod potest amare, sive sciens, sive nesciens. Deus, in quo sunt omnia, cui tamen universæ creaturæ, nec turpitudine turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Deus, qui nisi mundos verum scire nolueris. Deus, pater veritatis, pater sapientiæ, pater veræ summæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni & pulchri, pater intelligibilis lucis, pater evigilationis atque illuminationis nostræ, pater pignoris, quo admonemur redire ad te.

3. Te invoco, Deus veritas, in quo & à quo & per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo & à quo & per quem sapiunt, quæ sapiunt omnia. Deus vera

A 3

&

I. Retr. 6.
4. n. 2.
I. Sent.
dist. 2. cap.
1.

& summa vita, in quo & à quo & per quem vivunt, quæ verè summeque vivunt omnia. Deus beatitudo, in quo & à quo & per quem beata sunt, quæ beata sunt omnia. Deus bonum & pulchrum, in quo & à quo & per quem bona & pulchra sunt, quæ bona & pulchra sunt omnia. Deus intelligibilis lux, in quo & à quo & per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus, cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Deus, de cujus regno lex etiam in ista regna describitur. Deus, à quo averti, cadere: in quem converti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus, à quo exire, emori: in quem redire, reviviscere: in quo habitare, vivere est. Deus, quem nemo amittit, nisi deceptus: quem nemo quærit, nisi admonitus: quem nemo invenit, nisi purgatus. Deus, quem relinquere, hoc est quod perire: quem adtendere, hoc est quod amare: quem videre, hoc est quod habere. Deus, cui nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit. Deus, per quem vincimus inimicum, te deprecor. Deus, ^a per quem accepimus, ne omnino periremus. Deus, à quo admonemur, ut vigilemus. Deus, per quem à malis bona separamus. Deus, per quem mala fugimus, & bona sequimur. Deus, per quem non cedimus adversitatibus. Deus, per quem bene servimus, & bene dominamur. Deus, per quem discimus aliena esse quæ aliquando nostra, & nostra esse quæ aliquando aliena putabamus. Deus, per quem malorum escis atque illecebris non hæremus. Deus, per quem nos res minutæ non minuunt. Deus, per quem melius

^a In MSS. septem ex potioribus, *Deus quem accepimus.*

1. Retr. c.
4. n. 2.

lius nostrum deteriori subjectum non est. Deus, per quem mors absorbetur in victoriam. Deus, qui nos convertis. Deus, qui nos eo quod non est exuis, & eo quod est induis. Deus, qui nos exaudibiles facis. Deus, qui nos munis. Deus, qui nos in omnem veritatem inducis. Deus, qui nobis omnia bona loqueris, nec insanos facis, nec à quoquam fieri sinis. Deus, qui nos revocas in viam. Deus, qui nos deducis ad januam. Deus, qui facis ut pulsantibus aperiatur. Deus, qui nobis das panem vitæ. Deus, per quem sitimus potum, quo hausto numquam sitiamus. Deus, qui arguis sæculum de peccato, de justitia, & de iudicio. Deus, per quem nos non movent, qui minimè credunt. Deus, per quem improbamus eorum errorem, qui animarum merita nulla esse apud te putant. Deus, per quem non servimus infirmis & egenis elementis. Deus, qui nos purgas, & ad divina præparas præmia, adveni mihi propitius tu.

4. Quidquid à me dictum est, unus Deus tu, tu veni mihi in auxilium, una æterna vera substantia, ubi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla transitio, nulla indigentia, nulla mors. Ubi summa concordia, summa evidentia, summa constantia, summa plenitudo, summa vita. Ubi nihil deest, nihil redundat. Ubi qui gignit, & quem gignit unum est. Deus, cui serviunt omnia, quæ serviunt, cui obtemperat omnis bona anima. Cujus legibus rotantur poli, cursus suos sidera peragunt, sol exercet diem, luna temperat noctem: omnisque mundus per dies vicissitudine lucis & noctis, per menses incrementis decrementisque lunaribus, per annos veris, æstatis, autumnii, & hyemis successionebus, per lustra perfectione

1. Retr. c.
4. n. 3.

cursus solaris , per magnos orbis recursu in ortus suos siderum , magnam rerum constantiam , quantum sensibilis materia patitur , temporum ordinibus replicationibusque custodit. Deus , cuius legibus in ævo stantibus , motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur , frenisque circumeuntium sæculorum semper ad similitudinem stabilitatis revocatur : cuius legibus arbitrium animæ liberum est , bonisque præmia & malis poenæ , fixis per omnia necessitatibus , distributæ sunt. Deus , à quo manant usque ad nos omnia bona , à quo coercentur à nobis omnia mala. Deus , supra quem nihil , extra quem nihil , sine quo nihil est. Deus , sub quo totum est , in quo totum est , cum quo totum est. Qui fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam , quod qui se ipse novit , agnoscit. Exaudi , exaudi , exaudi me , Deus meus , Domine meus , rex meus , pater meus , caussa mea , spes mea , res mea , honor meus , domus mea , patria mea , salus mea , lux mea , vita mea. Exaudi , exaudi , exaudi me more illo tuo paucis notissimo.

5. Jam te solum amo , te solum sequor , te solum quæro , tibi soli servire paratus sum , quia tu solus justè dominaris , tui juris esse cupio. Jube , quæso , atque impera quidquid vis , sed sana , & aperi aures meas , quibus voces tuas audiam. Sana , & aperi oculos meos , quibus nutus tuos videam. Expelle à me insaniam , ut recognoscam te. Dic mihi quà adtendam , ut adspiciam te , & omnia me spero , quæ jusseris , esse facturum. Recipe , oro , fugitivum tuum , Domine clementissime pater : jamjam satis poenas dederim , satis inimicis tuis , quos sub pedibus habes , servierim , satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem

tem famulum tuum , quia & isti me , quando à te fugiebam , acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio : pateat mihi pulsanti janua tua : quomodo ad te perveniatur doce me. Nihil aliud habeo quàm voluntatem ; nihil aliud scio , nisi fluxa & caduca spernenda esse , certa & æterna requirenda. Hoc facio , Pater , quia hoc solum novi , sed unde ad te perveniatur , ignoro. Tu mihi suggere , tu ostende , tu viaticum præbe. Si fide te inveniunt , qui ad te refugiunt , fidem da : si virtute , virtutem : si scientia , scientiam. Auge in me fidem , auge spem , auge caritatem. O admiranda & singularis bonitas tua !

6. Ad te ambio , & quibus rebus ad te ambiatur , à te rursus peto. Tu enim si deseris , periturus : sed non deseris , quia tu es summum bonum , QUOD nemo recte quæsit , & minimè invenit. OMNIS autem rectè quæsit , quem tu rectè quærere fecisti. Fac me , Pater , quærere te , vindica me ab errore : quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero quàm te , inveniam te jam quæso , Pater. Si autem est in me superflui alicujus appetitio , tu ipse me munda , & fac idoneum ad videndum te. Ceterum de salute hujus mortalis corporis mei , quamdiu nescio quid mihi ex eo utile sit , vel eis quos diligo , tibi illud committo , Pater sapientissime atque optime , & pro eo quod ad tempus admonueris , deprecabor : tantum oro excellentissimam clementiam tuam , ut me penitus ad te convertas , nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te , jubeasque me , dum hoc ipsum corpus ago atque porto , purum , magnanimum , justum , prudentemque esse , perfectumque amatorem perceptoremque sapientia tuæ , & dignum habitatione , atque habitato-

CAPUT
II. Quid
amandum.

torem beatissimi regni tui: Amen, Amen.
7 A. ECCE oravi Deum. R. Quid ergo
scire vis? A. Hæc ipsa omnia quæ oravi. R.
Breviter ea collige. A. Deum & animam scire
cupio. R. Nihilne plus? A. Nihil omnino. R.
Ergo incipe quærere. Sed prius explica, quo-
modo tibi si demonstretur Deus, possis dicere,
sat est. A. Nescio quomodo mihi demonstra-
ri debeat, ut dicam, sat est: non enim credo
me scire aliquid sic, quomodo scire Deum de-
sidero. R. Quid ergo agimus? Nonne censes
prius tibi esse sciendum, quomodo tibi Deum
scire satis sit, quò cum perveneris, non am-
plius quæras? A. Censeo quidem: sed quo
pacto fieri possit, non video. Quid enim Deo
simile umquam intellexi, ut possim dicere, quo-
modò hoc intelligo, sic volo intelligere Deum?
R. Qui nondum Deum nosti, unde nosti ni-
hil te nosse Deo simile? A. Quia si aliquid Deo
simile scirem, sine dubio id amarem: nunc
autem nihil aliud amo quam Deum & animam,
quorum neutrum scio. R. Non igitur amas ami-
cos tuos? A. Quo pacto eos possum amans
animam non amare? R. Hoc modo ergo & pu-
lices & cimices amas? A. Animam me amare
dixi, non animalia. R. Aut homines non sunt
amici tui, aut eos non amas? Omnis enim ho-
mo est animal, & animalia te non amare di-
xisti. A. Et homines sunt, & eos amo, non
eo quòd animalia, sed eo quòd homines sunt,
id est, ex eo quòd rationales animas habent,
quas amo etiam in latronibus. Licet enim mi-
hi in quovis amare rationem, cum illum jure
oderim, qui malè utitur eo quod amo. Itaque
tantò magis amo amicos meos, quantò magis
benè utuntur anima rationali, vel certè quan-
tùm desiderant ea bene uti.

R.

CAPUT
III Cogni-
tio Dei.

8. R. ACCIPIO istud: sed tamen si quis
tibi diceret, faciam te sic Deum nosse, quo-
modo nosti Alypium, nonne gratias ageres, &
diceres, satis est? A. Agerem quidem gratias,
sed satis esse non dicerem. R. Cur quæso? A.
Quia Deum nec sic quidem novi quomodo Aly-
pium, & tamen Alypium non satis novi. R.
Vide ergo ne impudenter velis satis Deum nos-
se, qui Alypium non satis nosti. A. Non sequitur.
Nam in comparatione siderum, quid est mea cœ-
na vilius? & tamen cras quid sim cœnaturus ig-
noro: quo autem signo luna futura sit, non im-
pudenter me scire profiteor. R. Ergo vel ita
Deum nosse tibi satis est, ut nosti quo cras
signo luna cursura sit? A. Non est satis: nam
hoc sensibus approbo. Ignoro autem, utrum vel
Deus, vel aliqua naturæ occulta causa subitò
lunæ ordinem cursumque commutet: quod si
acciderit, totum illud quòd præsumseram, fal-
sum erit. R. Et credis hoc fieri posse? A. Non
credo. Sed ego quid sciam quæro, non quid
credam. Omne autem quod scimus, rectè for-
tasse etiam credere dicimur; at non omne quod
credimus, etiam scire. R. Respui igitur in hac
caussa omne testimonium sensuum? A. Prorsus
respuo. R. Quid, illum familiarem tuum, quem
te adhuc ignorare dixisti, sensu vis nosse, an
intellectu? A. Sensu quidem quod in eo novi,
si tamen sensu aliquid noscitur, & vile est, &
satis est. Illam vero partem, qua mihi amicus
est, id est, ipsum animum, intellectu assequi
cupio. R. Potestne aliter nosci? A. Nullo modo.
R. Amicum igitur tuum, & vehementer fami-
liarem, audes tibi dicere esse ignotum? A. Quid-
ni audeam? ILLAM enim legem amicitiae jus-
tissimam esse arbitror, qua præscribitur, ut si-
cut non minùs, ita nec plus quisque amicum,
quàm

quàm seipsum diligit. Itaque cum memetipsum ignorem, qua potest à me affici contumelia, quem mihi esse dixerò ignotum, cum præsertim (ut credo) ne ipse quidem se noverit? R. Si ergo ista quæ scire vis, ex eo sunt genere quæ intellectus assequitur, cum dicerem impudenter te velle Deum scire, cum Alypium nescias, non debuisti mihi cenam tuam, & lunam proferre pro simili, si hæc, ut dixisti, ad sensum pertinent.

CAPUT IV.
Certa scientia quæ.

9. SED quid ad nos? Nunc illud responde. Si ea quæ de Deo dixerunt Plato & Plotinus vera sunt, satisne tibi est ita Deum scire, ut illi sciebant? A. Non continuò si ea quæ dixerunt, vera sunt, etiam scisse illos ea necesse est. Nam multi copiosè dicunt quæ nesciunt, ut ego ipse omnia quæ oravi, me dixi scire cupere, quod non cuperem, si jam scirem: num igitur eo minùs illa dicere potui? Dixi enim, non quæ intellectu comprehendendi, sed quæ undecumque collecta memoriæ mandavi, & quibus accommodavi quantam potui fidem: scire autem aliud est. R. Dic, quæso, scisne saltem in geometrica disciplina, quid sit linea? A. Istud plane scio. R. Nec in ista professione vereris Academicos? A. Non omnino. Illi enim sapienter errare noluerunt: ego autem sapiens non sum. Itaque adhuc non verëor earum rerum, quas novi, scientiam profiteri. Quòd si, ut cupio, pervenero ad sapientiam, faciam quod illa monuerit. R. Nihil renuo: sed ut quærere coeperam, ita ut lineam nosti, nosti etiam pilam, quam spheram nominant? A. Novi. R. Æquè utrumque nosti, an aliud alio magis aut minus? A. Æquè prorsus. Nam in utroque nihil fallor. R. Quid hæc, sensibusne percepisti, an intellectu? A. Im-

Immo sensus in hoc negotio quasi navim sum expertus. Nam cum ipsi me ad locum, quò tendebam, pervexerint, ubi eos dimisi, & jam velut in salo positus, coepi cogitatione ista volvere, diu mihi vestigia titubarunt. Quare citiùs mihi videtur in terra posse navigari, quàm geometricam sensibus percipi, quamvis primò discentes aliquantum adjuvare videantur. R. Ergo istarum rerum disciplinam, si qua tibi est, non dubitas vocari scientiam? A. Non, si Stoici sinant, qui scientiam tribuunt nulli nisi sapienti. Perceptionem sanè istorum me habere non nego, quam etiam stultitiæ concedunt: sed nec istos quidquam pertimesco: prorsus hæc, quæ interrogasti, scientia teneo: perge modò, videam quorsum ista quæris. R. Ne propera, otiosi sumus. Intentus tantum accipe, ne quid temerè concedas. Gaudentem te studeo reddere de rebus, quibus nullum casum pertimescas: & quasi parvum negotium sit, præcipitare jubes? A. Ita Deus faxit, ut dicis. Itaque arbitrio tuo rogato, & objurgato gravius, si quidquam tale posthac.

10. R. Ergo lineam in duas lineas per longum scindi, manifestum tibi est nullo modo posse? A. Manifestum. R. Quid transversim? A. Quid nisi infinitè secari posse? R. Quid spheram ex una qualibet parte à medio, ne duos quidem pares circulos habere posse, pariter luceat? A. Pariter omnino. R. Quid linea & spherà, unumne aliquid tibi videntur esse, an quidquam inter se differunt? A. Quis non videat differre plurimum? R. At si æquè illud atque hoc nosti, & tamen inter se, ut fateris, plurimum differunt: est ergo differentium rerum scientia indifferens. A. Quis enim negavit? R. Tu paulò ante. Nam cum te rogassem, quo-

modo velis Deum nosse, ut possis dicere, satis est: respondisti, te ideo nequire hoc explicare, quia nihil haberes perceptum similiter atque Deum cupis percipere, nihil enim te scire Deo simile. Quid ergo nunc, linea vel sphaera similes sunt? A. Quis hoc dixerit? R. Sed ego quæsiveram, non quid tale scires, sed quid scires sic, quomodo Deum scire desideras. Sic enim nosti lineam, ut nosti sphaeram, cum se non sic habeat linea, ut se habet sphaera. Quamobrem responde, utrum tibi satis sit sic Deum nosse, ut pilam illam geometricam nosti: hoc est, ita de Deo nihil ut de illa dubitare.

CAPUT V.
Dissimili-
um eadem
aut par scien-
tia.

II. A. QUÆSO te, quamvis vehementer urgeas atque convincas, non audeo tamen dicere ita me velle Deum scire, ut hæc scio. Non solum enim res, sed ipsa etiam scientia mihi videtur esse dissimilis. Primum, quia nec linea & pila tantum inter se differunt, ut tamen eorum cognitionem una disciplina non contineat: nullus autem geometres Deum se docere professus est. Deinde si Dei & istarum rerum scientia par esset, tantum gauderem quod ista novi, quantum me Deo cognito gavisurum esse præsumo. Nunc autem permultum hæc in illius comparatione contemnō, ut nonnumquam videatur mihi, si illum intellexero, & modo illo quo videri potest videro, hæc omnia de mea notitia esse peritura. Siquidem nunc præ illius amore jam vix mihi veniunt in mentem. R. Esto, plus te ac multo plus quam de istis, Deo cognito, gavisurum, rerum tamen, non intellectus dissimilitudine: nisi fortè alio visu terram, alio serenum cælum intueris, cum tamen multo plus illius quam hujus adpectus te permulceat. Oculi autem si non falluntur, credo te interrogatum, utrum tibi tam certum sit terram

te

te videre quam cælum, tam tibi certum esse respondere debere, quamvis non tam terræ quam cæli pulchritudine atque splendore latearis. A. Movet me, fateor, hæc similitudo, adducorque ut assentiar quantum in suo genere à cælo terram, tantum ab intelligibili Dei majestate spectamina illa disciplinarum vera & certa differre.

12. R. BENE moveris. Promittit enim ratio quæ tecum loquitur, ita se demonstraturam Deum tuæ menti, ut oculis sol demonstratur. Nam a mentis quasi sui sunt oculi sensus animæ: disciplinarum autem quæque certissima talia sunt, qualia illa quæ sole illustrantur, ut videri possint, veluti terra est atque terrena omnia: Deus autem est ipse qui illustrat. Ego autem ratio ita sum in mentibus, ut in oculis est adpectus. Non enim hoc est habere oculos, quod adspicere: aut item hoc est adspicere, quod videre. Ergo animæ tribus quibusdam rebus opus est: ut oculos habeat quibus jam bene uti possit, ut adspiciat, ut videat b. Oculi sani mens est ab omni labe corporis pura, id est, à cupiditatibus rerum mortalium jam remota atque purgata: quod ei nihil aliud præstat, quam fides primò. Quod enim adhuc ei demonstrari non potest vitis inquinatæ atque ægrotanti, quia videre nequit nisi sana, si non credat aliter se non esse visuram, non dat operam suæ sanitati. Sed quid si credat quidem, ita se rem habere ut dicitur, atque ita se si vide-

a Lov. Nam mentes quasi sui sunt sensus animar. Sic etiæ quoque editiones, nisi quod Bad. habet, animi; Am. & Er. anima. At MS. Gallicani septem, Nam mentis, & cum iis Anglicani omnes prosequuntur, quasi sui sunt oculi sensus anima.

b Ita MSS, plerique. At Editi, Oculus anima mens est &c.

CAPUT VI.
Sensus ani-
mæ, in qui-
bus perci-
pit Deum.
a

Beda in
I. Cor. 13.

b

re potuerit esse vissuram, sanari se tamen posse desperet; nonne se prorsus abjicit atque contemnit, nec præceptis medici obtemperat? A. Omnino ita est, præsertim quia ea præcepta necesse est ut morbus dura sentiat. R. Ergo fidei spes adjicienda est. A. Ita credo. R. Quid si & credat ita se habere omnia, & se speret posse sanari, ipsam tamen, quæ promittitur, lucem non amet, non desideret, suisque tenebris, quæ jam consuetudine jocundæ sunt, se arbitretur debere interim esse contentam; nonne medicum illum nihilo minus respuit? A. Prorsus ita est. R. Ergo tertia caritas necessaria est. A. Nihil omnino tam necessarium. R. Sine tribus istis igitur anima nulla sanatur, ut possit Deum suum videre, id est, intelligere.

13. Cum ergo sanos habuerit oculos, quid restat? A. Ut adspiciat. R. Adspectus animæ ratio est: sed quia non sequitur ut omnis qui adspicit videat, adspectus rectus atque perfectus, id est, quem visio sequitur, virtus vocatur: est enim virtus vel recta vel perfecta ratio. Sed & ipse adspectus, quamvis jam sanos oculos convertere in lucem non potest, nisi tria illa permaneant, fides, qua credat ita se rem habere, ad quam convertendus adspectus est, ut visa faciat beatum: spes, qua cum bene adspexerit, se visurum esse præsumat: caritas, qua videre perfruique desideret. Jam adspectum sequitur ipsa visio Dei, qui est finis adspectus, non quod jam non sit, sed quod nihil amplius habeat quod se intendat: & hæc est verè perfecta virtus, ratio perveniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio intellectus est ille qui in anima est, qui conficitur ex intelligente & eo quod intelligitur: ut
in

in oculis videre quod dicitur, ex ipso sensu constat atque sensibili, quorum detracto quolibet, videri nihil potest.

14. ERGO cum animæ Deum videre, hoc est, Deum intelligere contigerit, videamus utrum adhuc ei tria illa sint necessaria. Fides quare sit necessaria, quum jam videat? Spes nihilo minus, quia jam tenet. Caritati vero non solum nihil detrahatur, sed addetur etiam plurimum. Nam & illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit, plus amabit: & nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab adspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit. Sed dum in hoc corpore est anima, etiam si plenissimè videat, hoc est, intelligat Deum, tamen quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio^a, si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum, potest adhuc dici fides ea, qua his resistitur, & illud potius verum esse creditur. Item quia in ista vita, quamquam Deo intellecto anima jam beata sit, tamen quia multas molestias corporis sustinet, sperandum est ei post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes dum in hac est vita, animam deserit. Sed cum post hanc vitam tota se in Deum collegerit, caritas restat qua ibi teneatur. Nam neque dicenda est fidem habere quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione sollicitatur, neque quidquam sperandum ei restat, cum totum securo possideat. Tria igitur ad animam pertinent, ut sana sit, ut adspiciat, ut videat. Alia vero tria, fides, spes & caritas, primo illorum trium & secundo sem-

TOM. I.

B

per

^a Sic plures MSS. At editi habent, utuntur opere proprio, nihil quidem valente ad fallendum, non tamen nihil agente, potest &c.

CAP. VII.
Fides, spes,
caritas, quod
usque ne-
cessariæ.

a

®

per sunt necessaria: tertio vero in hac vita omnia; post hanc vitam sola caritas.

CAP. VIII.
Quæ ad
cognoscendum Deum
necessaria.

15. NUNC accipe, quantum præsens tempus exposcit, ex illa similitudine sensibilium etiam de Deo aliquid, nunc me docente. Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina, tamen plurimum differunt. Nam & terra visibilis, & lux, sed terra nisi luce illustrata videri non potest. Ergo & illa quæ in disciplinis traduntur, quæ quisquis intelligit, verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum est ea non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quædam licet animadvertere, quod est, quod fulget, quod illuminat: ita in illo secretissimo Deo, quem vis intelligere, tria quædam sunt, quod est, quod intelligitur, & quod cetera facit intelligi. Hæc duo, id est, te ipsum & Deum ut intelligas, docere te audeo. Sed responde, quomodo hæc acceperis, ut probabilia, an ut vera? A. Plane ut probabilia, & in spem, quod fatendum est, majorem surrexi: nam præter illa duo de linea & pila, nihil abs te dictum est, quod me scire audeam dicere. R. Non est mirandum: non enim quidquam est adhuc ita expositum, ut abs te sit flagitanda perceptio.

CAPUT IX.
Amor nostri.

16. SED quid moramur? Adgredienda est via: videamus tamen, quod præcedit omnia, utrum sani simus. A. Hoc tu videris, si vel in te, vel in me aliquantum adspicere potes: ego quærenti si quid sentio respondebo. R. Amasne aliquid præter tui Deique scientiam? A. Possem respondere, nihil me amare amplius, pro eo sensu qui mihi nunc est, sed tutius respondeo, nescire me. Nam sæpe mihi usu venit, ut cum alia nulla re me crederem com-

commoveri, veniret tamen aliquid in mentem, quod me multò aliter atque præsumeram pungeret. Item sæpe quamvis in cogitationem res aliqua incidens non me pervellerit, re vera tamen veniens perturbavit plus quam putabam: sed modò videor mihi tribus tantum rebus posse commoveri, metu amissionis eorum quos diligo, metu doloris, metu mortis. R. Amas ergo & vitam tecum carissimorum tuorum, & bonam valetudinem tuam, & vitam tuam ipsam in hoc corpore: neque enim aliter amissionem horum metueres. A. Fateor, ita est. R. Modò ergo quod non omnes tecum sunt amici tui; & quod tua valetudo minus integra est, facit animo nonnullam ægritudinem: nam & id esse consequens video. A. Recte vides: negare non possum. R. Quid si te repente sano esse corpore sentias & probes, tecumque omnes quos diligis concorditer liberali otio frui videas, nonne aliquantum tibi etiam lætitia gestiendum est? A. Verè aliquantum, immo si hæc præsertim, ut dicis repente provenirent, quando me capiam, quando id genus gaudii vel dissimulare permittat? R. Omnibus igitur adhuc morbis animi & perturbationibus agitaris. Quænam ergo talium oculorum impudentia est, velle illum solem videre? A. Ita conclusisti, quasi prorsus non sentiam quantum sanitas mea promoverit, aut quid pestium recesserit, quantumque restiterit. Fac me istud concedere.

17. R. NONNE vides hos corporis oculos etiam sanos luce solis istius sæpe reperi et averti, atque ad illa sua obscura confugere? Tu autem quid promoveris cogitas, quid velis videre non cogitas: & tamen tecum hoc ipsum discutiam, quid profecisse nos putas. Di-

CAPUT X.
Amor rerum corporis & externarum.

vitas nullas cupis? A. Hoc quidem non nunc primum. Nam cum ^a triginta tres annos agam, quatuordecim fere anni sunt ex quo ista cupere destiti, nec aliud quidquam in his, si quo casu offerrentur, præter necessarium victum liberalemque usum cogitavi. Prorsus mihi unus Ciceronis liber facillimè persuasit, nullo modo appetendas esse divitias, sed si proyenerint, sapientissimè atque cautissimè administrandas. R. Quid honores? A. Fateor eos modò, ac pene his diebus cupere destiti. R. Quid uxor? Nonne te delectat interdum pulchra, pudica, morigera, litterata, vel quæ abs te facile possit erudiri, afferens etiam dotis tantum, quoniam contemnis divitias, quantum eam prorsus nihilo faciat onerosam otio tuo, præsertim si speres certusque sis nihil ex ea te molestiæ esse passurum? A. Quantumlibet velis eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quam concubitum esse decrevi: nihil esse sentio quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. Itaque si ad officium pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis rei hujus tantum gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at vero imitandus nullo modo: nam tentare hoc periculosius est, quam posse felicius. Quamobrem satis, credo, justè atque utiliter pro libertate animæ meæ mihi imperavi,

^a In codice Regio-montensi, necnon in tribus ex iis quos Lovanienses inspexerunt, habetur XXXIV. annos agam, mendosè; siquidem quatuordecim fere anni erant ex quo Ciceronis Hortensium legerat Augustinus: atqui huncce librum anno ætatis undevicesimo lectum a se fuisse testatur lib. 3. Conf. c. 4. & lib. 3. contra Academ. c. 20.

vi, non cupere, non querere, non ducere uxorem. R. Non ego nunc quæro quid decreveris, sed utrum adhuc lucteris, an verò jam ipsam libidinem viceris? Agitur enim de sanitate oculorum tuorum. A. Prorsus nihil hujusmodi quæro, nihil desidero, etiam cum horrore atque adspersione talia recordor. Quid vis amplius? Et hoc mihi bonum in dies crescit: nam quanto augetur spes videndæ illius qua vehementer æstuo pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluptasque convertitur. R. Quid ciborum jocunditas, quantæ tibi curæ est? A. Ea quæ statui non edere, nihil me commovent. Is autem quæ non amputavi, delectari me præsentibus fateor, ita tamen ut sine ulla permotione animi vel visa vel gustata subtrahantur. Cum autem non adsunt prorsus, non audet hæc appetitio se inserere ad impedimentum cogitationibus meis: sed omnino sive de cibo & potu, sive de balneis, ceteraque corporis voluptate nihil interroges. Tantum ^a habere appeto, quantum in valetudinis opem conferri potest.

18. R. MULTUM profecisti: ea tamen, quæ restant, ad videndam illam lucem plurimum impediunt. Sed molior aliquid quod mihi videtur facilè ostendi, aut nihil edomandum nobis remanere, aut nihil nos omnino profecisse, omniumque illorum quæ resecta credimus tamen manere. Nam quæro abs te, si tibi persuadeatur aliter cum multis carissimis tuis te in studio sapientiæ non posse vivere, nisi amplas aliqua familiaris necessitates vestras sustinere possit, nonne desiderabis divitias & optabis?

B 3

A.

^a Editi, ab ea peto. Melius Anglicani MSS. habere appeto.

CAPUT XI.
 Externa commoda non propter se, sed propter alicuius vera bona possunt admitti: verius quam expeti.

A. Assentior. R. Quid si etiam illud appareat, & multis te persuasurum esse sapientiam, si tibi de honore auctoritas creverit, eosque ipsos familiares tuos non posse cupiditatibus suis modum imponere, seque totos convertere ad quærendum Deum, nisi & ipsi fuerint honorati, idque nisi per tuos honores dignitatemque fieri non posse, nonne ista etiam desideranda erunt, & ut proveniant magnopere instandum? A. Ita est ut dicis. R. Jam de uxore nihil disputo, fortasse enim non potest ut ducatur existere talis necessitas: quamquam si ejus amplo patrimonio certum sit sustentari posse omnes, quos tecum in uno loco vivere otiose cupis, ipsa etiam concorditer id sinente, præsertim si generis nobilitate tanta polleat, ut honores illos quos esse necessarios jam dedisti, per eam facile adipisci possis, nescio utrum pertineat ad officium tuum ista contemnere. A. Quando ego istud sperare audeam?

19. R. Ita istud dicis, quasi ego nunc requiram quid speres. Non quæro quid negatum non delectet, sed quid delectet oblatum. Aliud est enim exhausta pestis, aliud consopita. Ad hoc enim valet quod à quibusdam doctis viris dictum est, ita omnes stultos insanos esse, ut malè olere omne cœnum, quod non semper, sed dum commoves sentias. MULTUM interest utrum animi desperatione obruatur cupiditas, an sanitate pellatur. A. Quamquam tibi respondere non possum, numquam tamen mihi persuadebis, ut hac affectione mentis, qua nunc me esse sentio, nihil me profecisse arbitrer. R. Credo propterea tibi hoc videri, quia quamvis ista optare posses, non tamen propter seipsa, sed propter aliud expetenda viderentur. A. Hoc est quod dicere cupiebam: nam quan-

do

do desideravi divitias, ideo desideravi ut dives essem, honoresque ipsos, quorum cupiditatem modò me perdomuisse respondi, eorum nescio quo nitore delectatus volebam: nihilque aliud in iuxore semper adtendi, cum adtendi, nisi quam mihi efficeret cum bona fama voluptatem. Tunc erat istorum in me vera cupiditas, nunc ea omnia prorsus aspernor: sed si ad illa quæ cupio non nisi per hæc mihi transitus datur, non amplectenda appeto, sed subeo tolleranda. R. Optimè omnino: nam NEC EGO ullarum rerum vocandam puto cupiditatem, quæ propter aliud requiruntur.

20. SED quæro abs te, cur eos homines quos diligis, vel vivere, vel tecum vivere cupias? A. Ut animas nostras & Deum simul concorditer inquiramus. Ita enim facilè cui priori contingit inventio, ceteros eò sine labore perducit. R. Quid si nolunt hæc illi quærere? A. Persuadebo ut velint. R. Quid si non possis, vel quòd se invenisse jam, vel quòd ista non posse inveniri arbitrantur, vel quòd aliarum rerum curis & desiderio præpediuntur? A. Habebo eos, & ipsi me, sicut possumus. R. Quid si te ab inquirendo etiam impediatur eorum præsentia? Nonne laborabis atque optabis, si aliter esse non possunt, non tecum esse potius quam sic esse? A. Fateor, ita est ut dicis. R. Non igitur eorum vel vitam vel præsentiam propter seipsam, sed propter inveniendam sapientiam cupis? A. Prorsus assentior. R. Quid? ipsam vitam tuam si tibi certum esset impedimento esse ad comprehendendam sapientiam, velles eam manere? A. Omnino eam fugerem. R. Quid si doceris, tam te relicto isto corpore, quam in ipso constitutum, posse ad sapientiam pervenire, curares utrum hîc, an in

CAP. XII.

Nihil expetendum nisi quatenus conducit ad summum bonum, nihil horrendum nisi quatenus avocatur.

alia vita eo quod diligis fruere? A. Si nihil me pejus excepturum intelligerem, quod retrò ageret ab eo quo progressus sum, non curarem. R. Nunc ergo propterea mori times, ne aliquo pejore malo involvaris, quo tibi auferatur divina cognitio? A. Non solum ne auferatur timeo, si quid fortè percepi, sed etiam ne intercludatur mihi aditus eorum quibus percipiendis inhio, quamvis quod jam teneo, mecum mansurum putem. R. Non igitur & vitam istam propter seipsam, sed propter sapientiam vis manere. A. Sic est.

Vide lib. 9.
Conf. c. 4.
n. 12.

21. R. Dolor corporis restat, qui te fortasse vi sua commovet. A. Et ipsum non ob aliud vehementer formido, nisi quia me impedit à quærendo. Quamquam enim acerrimo his diebus dentium dolore torquerer, non quidem sinebar animo volvere, nisi ea quæ jam fortè didiceram, à discendo autem penitus impediebar, ad quod mihi tota intentione animi opus erat: tamen mihi videbatur, si se ille mentibus meis veritatis fulgor aperiret, aut me non sensurum fuisse illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum. Sed quia etsi nihil majus aliquando pertuli, tamen sæpe cogitans quanto graviores possint accidere, cogor interdum Cornelio Celso assentiri, qui ait: summum bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis. Nec ejus ratio mihi videtur absurda. Nam quoniam duabus, inquit, partibus compositi sumus, ex animo scilicet & corpore, quarum prior pars est animus melior, deterius corpus est, summum bonum est melioris partis optimum; summum autem malum pessimum deterioris. Est autem optimum in animo sapientia, est in corpore pessimum dolor. Summum igitur bonum hominis sapere, sum-

Cornelii
Celsi sen-
tentia.

summum malum dolere, sine ulla (ut opinor) falsitate concluditur. R. Posterius ista videbimus. Aliud enim fortasse nobis ipsa ad quam pervenire nitimur sapientia persuadebit. Si autem hoc esse verum ostenderit, hanc de summo bono & summo malo sententiam sine dubitatione tenebimus.

22. NUNC illud quærimus, qualis sis amator sapientiae, quam castissimo conspectu atque amplexu, nullo interposito velamento, quasi nudam videre ac tenere desideras, qualem se illa non sinit, nisi paucissimis & electissimis amatoribus suis. An verò si alicujus pulchræ feminae amore flagreres, jure se tibi non daret, si aliud abs te quidquam præter se amari comperisset; sapientiae se tibi castissima pulchritudo, nisi solam arseris, demonstrabit? A. Quid ergo adhuc suspendor infelix, & cruciatu miserabili differor? Jam certè ostendi nihil aliud me amare, siquidem QUOD non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam propter se amo sapientiam, cetera vero vel adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam, vitam, quietem, amicos. Quem modum autem potest habere illius pulchritudinis amor, in qua non solum non invideo ceteris, sed etiam plurimos quæro qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecumque perfruantur, tanto mihi amiores futuri, quanto erit nobis amata communior?

23. R. Prorsus tales esse amatores sapientiae decet. Tales quærit illa cujus verè casta est, & sine ulla contaminatione conjunctio. Sed non ad eam una via pervenitur. Quippe pro sua quisque sanitate ac firmitate comprehendit illud singulare ac verissimum bonum. Lux est quædam ineffabilis & incomprehensi-

CAP. XIII.
Quomodo,
& quibus
gradibus
perpicua-
tur sapien-
tia.

Amor ve-
rus.

I. Retr. c.
4. n. 3.

bi-

bilis mentium. Lux ista vulgaris nos doceat quantum potest, quomodo se illud habeat. Nam sunt nonnulli oculi tam sani & vegeti, qui se mox ut aperti fuerint, in ipsum solem sine ulla trepidatione convertant. His quodam modo ipsa lux sanitas est, nec doctore indigent, sed sola fortasse admonitione. His credere, sperare, amare satis est. Alii vero ipso, quem videre vehementer desiderant, fulgore feriuntur, & eo non viso sæpe in tenebras cum delectatione redeunt. Quibus periculosum est, quamvis jam talibus ut sani rectè dici possint, velle ostendere quod adhuc videre non valent. Ergo isti exercendi sunt prius, & eorum amor utiliter differendus atque nutriendus est. Primò enim quædam illis demonstranda sunt quæ non per se lucent, sed per lucem videri possint, ut vestis, aut paries, aut aliquid horum. Deinde quod non per se quidem, sed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat, ut aurum, argentum, & similia, nec tamen ita radiatum ut oculos lædat. Tunc fortasse terrenus iste ignis modestè demonstrandus est, deinde sidera, deinde luna, deinde auroræ fulgor, & albescentis cæli nitor. In quibus seu citius seu tardius, sive per totum ordinem, sive quibusdam contemptis, pro sua quisque valetudine assuescens, sine trepidatione & cum magna voluptate solem videbit. Tale aliquid sapientiæ studiosissimis, nec acutè, jam tamen videntibus, magistri optimi faciunt. Nam ordine quodam ad eam pervenire bonæ disciplinæ officium est, sine ordine autem vix credibilis felicitatis. Sed hodie satis, ut putò, scripsimus; parcendum est valetudini.

CAP. XIV.
Ipsa sapientia me-
de-

24. A. ET alio die: da quæso, inquam, jam si potes illum ordinem. Duc age, quæ vis, per

per quæ vis, quomodo vis. Impera quævis dura, quælibet ardua, quæ tamen in mea potestate sint, per quæ me quò desidero, perventurum esse non dubitem. R. Unum est quod tibi possum præcipere, nihil plus novi. Penitus esse ista sensibilia fugienda, cavendumque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennæ nostræ impediatur, quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus: quæ se ne ostendere quidem dignatur in hac cavea inclusis, nisi tales fuerint, ut ista vel effracta vel dissoluta possint in auras suas evadere. Itaque quando fueris talis ut nihil te prorsus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis. A. Quando istud erit, oro te? Non enim puto posse mihi hæc in summum venire contemptum, nisi videro illud, in cuius comparatione ista sordescant.

25. R. Hoc modo posset & iste oculus corporis dicere: tum tenebras non amabo, cum solem videro. Videtur enim quasi & hoc ad oculum pertinere, quod longè est secus. Amat enim tenebras, eo quod sanus non est: solem autem nisi sanus videre non potest. Et in eo sæpe fallitur animus, ut sanum se putet & sese jactet: & quia nondum videt, veluti jure conqueritur. Novit autem illa pulchritudo quando se ostendat. Ipsa enim medici fungitur munere, meliusque intelligit qui sint sani, quàm iidem ipsi qui sanantur. Nos autem quantum emersemus, videmur nobis videre: quantum autem mersi eramus, & quo progressi fueramus, nec cogitare nec sentire permittimur, & in comparatione gravioris morbi sanos esse nos credimus. Nonne vides quàm veluti securi hester-

I. Retr. c.
4. n. 3.

terno die pronuntiaveramus, nulla jam nos peste detineri, nihilque amare nisi sapientiam: cetera vero non nisi propter istam querere aut velle? Quàm tibi sordidus, quàm foedus, quàm execrabilis, quàm horribilis complexus femineus videbatur, quando inter nos de uxoris cupiditate quæsitum est! Certè ista nocte vigilantes, cum rursus eadem nobiscum ageremus, sensisti quàm te aliter quàm præsumseras, imaginatæ illæ blanditiæ & amara suavitas titillaverit; longè quidem longè minus quàm solet, sed item longè aliter quam putaveras: ut sic tibi secretissimus ille medicus utrumque demonstraret, & unde cura ejus evaseris, & quid curandum remaneat.

26. A. Tace, obsecro, tace. Quid crucias, quid tantum fodis, altèque descendis? Jam flere non duro, jamjam nihil promitto, nihil præsumo; ne me de istis rebus interrogas. Certè dicis, quòd ille ipse quem videre ardeo, noverit quando sim sanus, faciat quòd placet: quando placet sese ostendat: jam me totum ejus clementiæ curæque committo. Semel de illo reddidi, quòd sic erga se affectos sublevare cesset. Ego nihil de mea sanitate, nisi cum illam pulchritudinem videro, pronuntiabo. R. Prorsus nihil aliud facias. Sed jam cohibe te à lacrymis, & stringe animum. Multum omnino flevisi, & hoc omnino morbus iste pectoris tui graviter accipit. A. Modum vis habere lacrymas meas, cum miseriæ meæ modum non videam: aut valetudinem corporis considerare me jubes, cum ego ipse tabe confectus sim? Sed quæso te, si quid in me vales, ut me tentes per aliqua compendia ducere, ut vel vicinitate nonnulla lucis illius, quam si quid profeci tolerare jam possum, pigeat oculos referre

re ad illas tenebras, quas reliqui, si tamen relicta dicenda sunt, quæ cæcitati meæ adhuc blandiri audent.

27. R. Concludamus, si placet, hoc primum volumen, ut jam in secundo aliquam, quæ commoda occurrerit, aggrediamur viam. Non enim huic affectioni tuæ à moderata exercitatione cessandum est. * A. NON sinam omnino concludi hunc libellum, nisi mihi modicum, quòd intentus sim, de vicinia lucis aperueris. R. Gerit tibi ille medicus morem. Nam nescio quis me quo te ducam fulgor invitat & tangit. Itaque accipe intentus. A. Duc, oro te, ac rape quò vis. R. Animam te certè dicis, & Deum velle cognoscere? A. Hoc est totum negotium meum. R. Nihilne amplius? A. Nihil, prorsus. R. Quid, veritatem non vis comprehendere? A. Quasi vero possim hæc nisi per illam cognoscere. R. Ergo prius ipsa cognoscenda est, per quam possunt illa cognosci. A. Nihil abnuo. R. Primò itaque illud videamus, cum duo verba sint veritas & verum, utrum tibi etiam res duæ istis verbis significari, an una videatur? A. Duæ res videntur. Nam ut aliud est castitas, aliud castum, & multa in hunc modum, ita credo aliud esse veritatem, & aliud quòd verum dicitur. R. Quòd horum duorum putas esse præstantius? A. Veritatem opinor. Non enim casto castitas, sed castitate fit castum: ita etiam si quid verum est, veritate utique verum est.

28. R. Quid cum castus aliquis moritur, censes mori etiam castitatem? A. Nullo modo. R. Ergo cum interit aliquid quòd verum est, non interit veritas. A. Quomodo autem interit aliquid verum? Non enim video. R. Miror te istud querere: nonne ante oculos nostros milia

* CAP. XV.
Anima
quomodo
cognoscitur.

lia rerum videmus interire? Nisi forte putas hanc arborem, aut esse arborem, sed veram non esse, aut certè interire non posse. Quamvis enim non credas sensibus, possisque respondere, ignorare te prorsus, utrum arbor sit, tamen illud non negabis (ut opinor) veram esse arborem, si arbor est: non enim hoc sensu, sed intelligentia iudicatur. Si enim falsa arbor est, non est arbor: si autem arbor est, vera sit necesse est. A. Concedo istud. R. Quid illud alterum, nonne concedis hoc genus rerum esse arborem, quod nascatur & intereat? A. Negare non possum. R. Concluditur ergo aliquid quod verum sit, interire. A. Non contravenio. R. Quid illud? Nonne tibi videtur intereuntibus rebus veris veritatem non interire, ut non mori casto mortuo castitatem? A. Jam & hoc concedo, & magnopere quid moliaris, exspecto. R. Ergo adtende. A. Isthic sum.

29. R. Verane tibi videtur ista sententia: quidquid est, alicubi esse cogitur? A. Nihil me sic ducit ad consentiendum. R. Fateris autem esse veritatem? A. Fateor. R. Ergo ubi sit, necesse est quæramus, non est enim in loco, nisi fortè aut esse in loco aliquid aliud præter corpus, aut veritatem corpus esse arbitraris. A. Nihil horum puto. R. Ubinam igitur illam esse credis? Non enim nusquam est quam esse concedimus. A. Si scirem ubi esset, nihil fortasse amplius quærerem. R. Saltem ubi non sit, potes cognoscere? A. Si commemorares, fortasse potero. R. Non est certè in rebus mortalibus. Quidquid enim est, in aliquo non potest manere, si non maneat illud in quo est. Manere autem, etiam rebus veris intereuntibus, veritatem, paulò ante concessum est.

Non

Non igitur est veritas in rebus mortalibus. Est autem veritas, & non est nusquam. Sunt igitur res immortales. Nihil autem verum in quo veritas non est. Conficitur itaque, non esse vera, nisi quæ sunt immortalia. Et omnis falsa arbor, non est arbor, & falsum lignum non est lignum, & falsum argentum non est argentum, & omnino quidquid falsum est, non est. Omne autem quod verum non est, falsum est. Nulla igitur rectè dicuntur esse, nisi immortalia. Hanc tu tecum ratiunculam diligenter considera, ne quid tibi concedendum non esse videatur. Si enim rata est, totum negotium penè confecimus, quod in alio fortasse libro melius apparebit.

30. A. Habeo gratiam, & ista mecum atque adeo tecum quando in silentio sumus, diligenter cauteque tractabo, si nullæ se tenebræ immittant, sui que etiam, quod vehementer formido, mihi faciant delectationem. R. *Fiducia erga Deum.* Constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius & in tua potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi Domini te servum esse, profiteri. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias. A. Audio, credo, & quantum possum obtempero, plurimumque ipsum deprecor, ut plurimum possim, nisi quid fortè amplius à me desideras. R. Bene habet interim, facies postea quidquid jam visus ipse præceperit.

LI-

LIBER SECUNDUS.

In eo secum Augustinus de vero & falso copiose disputat, ut demum veritatis perpetuitate bene perspecta, animam ipsam hominis, quæ veritatis sedes est, immortalem esse concludat.

CAPUT I.
De immortalitate hominis.

I. **S**ATIS intermissum est opus nostrum, & impatiens est amor, nec lacrymis modus fit, nisi amor detur quod amatur. Quare agrediamur librum secundum. R. Adgrediamur. A. Credamus Deum adfuturum. R. Credamus sanè, si vel hoc in potestate nostra est. A. Potestas nostra ipse est. R. Itaque ora brevissimè ac perfectissimè quantum potes. A. DEUS semper idem, noverim me, noverim te. Oratum est. R. Tu qui vis te nosse, scis esse te? A. Scio. R. Unde scis? A. Nescio. R. Simplicem te sentis, ane multiplicem? A. Nescio. R. Moveri te scis? A. Nescio. R. Cogitare te scis? A. Scio. R. Ergo verum est cogitare te. A. Verum. R. Immortalem te esse scis? A. Nescio. R. Horum omnium quæ te nescire dixisti, quid scire prius mavis? A. Utrum immortalis sim. R. Vivere igitur amas? A. Fateor. R. Quid cum te immortalem esse didiceris, satisne erit? A. Erit id quidem magnum, sed id mihi parum. R. Hoc tamen quod parum est quantum gaudebis? A. Plurimum. R. Nihil jam flebis? A. Nihil omnino. R. Quid si ipsa vita talis esse inveniatur, ut in ea tibi nihil amplius quàm nosti nosse liceat, temperabis à lacrymis? A. Immo tantum flebo ut vita nulla sit. R. Non igitur vivere propter ipsum vivere amas, sed propter scire. A. Ce-

Cedo conclusioni. R. Quid si eadem ipsa rerum scientia miserum faciat? A. Nullo id quidem pacto fieri posse credo. Sed si ita est, nemo esse beatus potest, non enim nunc aliunde sum miser, nisi rerum ignorantia. Quòd si & rerum scientia miserum facit, sempiterna miseria est. R. Jam video totum quod cupis: nam quoniam neminem scientia miserum esse credis, ex quo probabile est ut intelligentia efficiat beatum; beatus autem nemo nisi vivens, & nemo vivit qui non est: esse vis, vivere, & intelligere; sed esse ut vivas, vivere ut intelligas. Ergo esse te scis, vivere te scis, intelligere te scis. Sed utrum ista semper futura sint, an nihil horum futurum sit, an maneat aliquid semper, & aliquid intercidat, an minui, & augeri hæc possint, cum omnia mansura sint, nosse vis. A. Ita est. R. Si igitur probaverimus semper nos esse victuros, sequetur etiam semper futuros. A. Sequetur. R. Restabit querere de intelligendo.

2. A. **M**ANIFESTISSIMUM ordinem video atque brevissimum. R. Hic ergo esto nunc, ut interroganti cautè firmèque respondeas. A. Isthic sum. R. Si manebit semper mundus iste, verum est mundum semper mansurum esse? A. Quis hoc dubitet? R. Quid si non manebit, nonne ita verum est mundum non esse mansurum? A. Nihil resisto. R. Quid cum interierit, si interiturus est, nonne tunc id erit verum, mundum interisse? Nam quamdiù verum non est, mundum occidisse, non occidit: repugnat igitur ut mundus occiderit, & verum non sit mundum occidisse. A. Et hoc concedo. R. Quid illud? Videturne tibi verum aliquid esse posse, ut veritas non sit? A. Nullo modo. R. Erit igitur veritas, etiam si

CAPUT II.
Veritas perpetua.

Tom. I. c mun-

mundus intereat. A. Negare non possum. R. Quid si ipsa veritas occidat, nonne verum erit veritatem occidisse? A. Et istud quis negat? R. Verum autem non potest esse, si veritas non sit. A. Jam hoc paulò ante concessi. R. Nullo modo igitur occidet veritas. A. Perge ut coepisti, nam ista collectione nihil est verius.

CAPUT III.

Si falsitas semper erit, & sine sensu esse non poterit, sequitur animam aliquam semper existuram.

3. R. NUNC respondeas mihi velim, utrùm tibi sentire anima videatur, an corpus? A. Anima videtur. R. Quid, intellectus videtur tibi ad animam pertinere? A. Prorsus videtur. R. Ad solam animam, an ad aliquid aliud? A. Nihil aliud video præter animam, nisi Deum, ubi intellectum esse credam. R. Jam illud videamus. Si tibi quispiam istum parietem non esse parietem, sed arborem diceret, quid putares? A. Aut ejus sensum, aut meum falli, aut hoc nomine ab eo parietem vocari. R. Quid si & illi species arboris in eo appareat, & tibi parietis, nonne poterit utrumque verum esse? A. Nullo modo: quia una eademque res & arbor & paries esse non potest. Quamvis enim singulis nobis singula esse videantur, necesse est unum nostrum imaginationem falsam pati. R. Quid si nec paries nec arbor est, & ambo fallimini? A. Potest id quidem. R. Hoc ergo unum superius prætermiseras. A. Fateor. R. Quid si agnoscatis aliud vobis videri quam est, numquidnam fallimini? A. Non. R. Potest igitur & falsum esse quod videtur, & non falli eò videtur. A. Potest. R. Confitendum est igitur non eum falli qui falsa videt, sed eum qui assentitur falsis. A. Planè confitendum. R. Quid ipsum falsum, quare falsum est? A. Quod aliter sese habet quam videtur. R. Si ergo non sint quibus vide-

dea-

deatur, nihil est falsum. A. Sequitur. R. Non igitur est in rebus falsitas, sed in sensu: non autem fallitur qui falsis non assentitur. Confititur, ut aliud simus nos, aliud sensus: siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli. A. Nihil habeo quod contradicam. R. Sed numquid cum anima fallitur, audes te dicere non esse falsum? A. Quo pacto istud audeam? R. At nullus sensus sine anima, nulla falsitas sine sensu. Aut operatur igitur anima, aut cooperator falsitati. A. Trahunt præcedentia consensionem.

4. R. Illud nunc responde, utrùm tibi videatur posse fieri, ut aliquando falsitas non sit? A. Quomodo mihi hoc videri potest, cum tanta sit difficultas inveniendæ veritatis, ut absurdius dicatur falsitatem quàm veritatem esse non posse. R. Numquidnam arbitraris eum qui non vivit, posse sentire? A. Non potest fieri. R. Confectum est animam semper vivere. A. Nimis citò urges me in gaudia: pedetentim quæso. R. Atqui si rectè illa concessa sunt, nihil de hac re dubitandum video. A. Nimis citò est, inquam. Itaque faciliùs adducor, ut me temerè aliquid concessisse arbitrer, quam ut jam securus de immortalitate animæ fiam. Tamen evolve istam conclusionem, & quomodo id effectum sit ostende. R. Falsitatem dixisti sine sensu esse non posse, & eam non esse non posse: semper igitur est sensus. At nullus sensus sine anima: anima igitur sempiterna est. Nec valet sentire, nisi vivat. Semper igitur anima vivit.

5. A. O plumbeum pugionem! Posses enim concludere hominem esse immortalem, si tibi concessissem numquam istum mundum esse posse sine homine, eumque mundum esse sem-

CAPUT IV.
Ex falsitatis seu veritatis perpetuitate

pi-

po-

c 2

possitne
colligi ani-
mæ im-
mortalitas.

piternum. R. Benè quidem vigilas. Sed tamen non parum est quod confecimus, rerum naturam sine anima esse non posse, nisi fortè in rerum natura falsitas aliquando non erit. A. Istud quidem consequens esse confiteor. Sed jam ampliùs deliberandum censeo, utrùm superius concessa non nutent. Non enim parvum gradum ad animæ immortalitatem factum esse video. R. Satisne considerasti, ne quid temerè dederis? A. Satis quidem, sed nihil video quo me arguam temeritatis. R. Ergo confectum est rerum naturam sine anima viva esse non posse. A. Confectum hactenus, ut possint vicissim aliæ nasci, aliæ mori. R. Quid si de natura rerum falsitas auferatur, nonnè fiet ut vera sint omnia? A. Consequi video. R. Responde unde tibi videatur paries iste verus esse. A. Quia ejus non fallor aspectu. R. Ergo quia ita est ut videtur. A. Etiam. R. Si igitur aliquid inde falsum est quod aliter videtur, atque est, inde verum quod ita ut est videtur ablato eo, cui videtur, nec falsum quidquam, nec verum est. At si falsitas in rerum natura non sit, vera sunt omnia. Nec videri quidquam nisi viventi animæ potest. Manet igitur anima in rerum natura, si auferri falsitas non potest; manet, si potest. A. Video robustiùs quidem esse factum quod jam conclusum erat, sed nihil hac adjectione promovimus. Nihilominùs enim manet illud quod plurimùm me movet, nasci animas & interire, atque ut non desint mundo, non earum immortalitate, sed successionem provenire.

6. R. Videntur tibi quæque corporea, id est, sensibilia, intellectu posse comprehendì? A. Non videntur. R. Quid illud, videtur tibi sensibus uti Deus ad res cognoscendas?

A.

A. Nihil audeo de hac re temerè affirmare, sed quantum conjicere datur, nullo modo Deus utitur sensibus. R. Ergo concludimus non sentire posse nisi animam. A. Conclude interim quantum probabiliter licet. R. Quid illud, dasne istum parietem, si verus paries non sit, non esse parietem? A. Nihil hoc facilius dederim. R. Neque quidquam si verum corpus non sit, corpus esse? A. Tale etiam hoc est. R. Ergo si nihil verum est, nisi ita sit ut videtur; nec quidquam corporeum videri nisi sensibus potest; nec sentire nisi anima; nec si verum corpus non sit, corpus esse: restat ut corpus esse non possit, nisi anima fuerit. A. Nimis urges, & quid resistam non habeo.

7. R. ADTENDE in ista diligentius. A. En adsum. R. Certè hic lapis est; & ita verus est, si non se habet aliter, ac videtur; & lapis non est, si verus non est; & non nisi sensibus videri potest. A. Etiam. R. Non sunt igitur lapides in abditissimo terræ gremio, nec omninò ubi non sunt qui sentiant: nec iste lapis esset, nisi eum videremus; nec lapis erit cum discesserimus, nemoque alius eum præsens videbit. Nec si loculos benè claudas, quamvis multa in eis incluseris, aliquid habebunt. Nec prorsùs ipsum lignum intrinsecùs lignum est. Fugit enim omnes sensus quidquid in altitudine est corporis minimè perlucantis, quod non esse omninò cogitur. Etenim si esset, verum esset; nec verum quidquam est, nisi quòd ita est ut videtur: illud autem non videtur, non est igitur verum; nisi quid habes ad hæc quòd respondeas. A. De iis quidem quæ concessi, hoc natum esse video: sed absurdum ita est, ut quidvis illorum faciliùs negem, quàm hoc verum esse concedam. R. Nihil repugno. Vi-

CAPUT V.
Verum
quid sit.

c 3

de

de ergo quid dicere velis : corporea nisi sensibus videri posse , an sentire nisi animam , an esse lapidem vel quid aliud , sed verum non esse , an ipsum verum aliter esse definiendum. A. Istuc ipsum , oro te , ultimum videamus.

8. R. Defini ergo verum. A. Verum est quòd ita se habet , ut cognitori videtur , si velit possitque cognoscere. R. Non erit igitur verum , quod nemo potest cognoscere? Deinde si falsum est quod aliter quam est videtur , quid si alteri videatur hic lapis , lapis ; alteri lignum ; eadem res & falsa & vera erit? A. Illud me magis superius movet , quomodò si quid cognosci non potest , eo fiat , ut verum non sit. Nam quod simul una res , & vera , & falsa est , non nimis curo. Etenim video unam rem diversis comparatam , simul & majorem & minorem esse. Sed ex eo istud contingit , quod nihil per se majus aut minus est. Comparationis enim sunt ista nomina. R. At si dicis , nihil esse verum per se , non times ne sequatur , ut nihil sit per se? Unde enim lignum est hoc , inde etiam verum lignum est. Nec fieri potest ut per seipsum , id est , sine cognitore lignum sit , & verum lignum non sit. A. Ergo illud dico & sic definitio , nec vereor ne definitio mea ob hoc improbetur , quod nimis brevis est. Nam verum mihi videtur esse , id quod est. R. Nihil ergo erit falsum , quia quidquid est , verum est. A. In magnas angustias me coniecisti , nec invenio prorsus quid respondeam. Ita fit , ut cum aliter doceri nolum quam istis interrogationibus , verear jam tamen interrogari.

CAPUT VI.
Unde falsitas , & ubi.

9. R. DEUS cui nos commisimus , sine dubitatione fert opem , & de his angustiis liberat nos , modò credamus , & eum rogemus devotissimè.

tissimè. A. Nihil planè libentiùs hoc loco fecerim , nam nusquam tantam caliginem pertulisti. DEUS pater noster , qui ut oremus hortaris , qui & hoc quod rogaris præstas : siquidem cum te rogamus , melius vivimus , melioresque sumus : exaudi me palpitantem in his tenebris , & mihi dexteram porrige. Præstende mihi lumen tuum , revoca me ab erroribus ; te duce in me redeam , & in te. Amen. R. Hic esto quantum potes , & vigilantissimè adtende. A. Dic quæso , si quid tibi suggestum est , ne pereamus. R. Hic esto. A. Ecce habes me nihil aliud agentem.

10. R. Priùs quid sit falsum , etiam atque etiam ventilemus. A. Miror si quidquam aliud erit , quàm quod non ita est ut videtur. R. Adtende potiùs , & ipsos sensus priùs interrogemus. Nam certè quod oculi vident , non dicitur falsum , nisi habeat aliquam similitudinem veri. Ut verbi causa , homo quem videmus in somnis , non est utique verus homo , sed falsus , eo ipso quod habet verisimilitudinem. Quis enim canem videat , & rectè se dicat hominem somniasse? Ergo , & ille falsus canis est , ex eo quod similis vero est. A. Ita est , ut dicis. R. Quid , vigilans quisque si viso equo putet se hominem videre , nonnè eo fallitur quod ei appareat aliqua hominis similitudo? Nam si nihil ei appareat , nisi equi species , non potest arbitrari sese hominem videre. A. Prorsus cedo. R. Dicimus item falsam arborem quàm pictam videmus , & falsam faciem quæ de speculo redditur , & falsum turrium motum navigantibus , falsamque in fractionem remi , ob aliud nihil , nisi quod verisimilia sunt. A. Fateor. R. Ita & in geminis fallimur , ita in ovis , ita in singulis sigillis uno

annulo impressis, & in ceteris talibus. A. Sequor omnino atque concedo. R. Similitudo igitur rerum quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. A. Negare non possum.

11. R. SED hæc omnis silva, nisi me fallit, in duo genera dividi potest. Nam partim æqualibus in rebus, partim verò in deterioribus est. Æqualia sunt, quando tam hoc illi, quam illud huic simile esse dicimus, ut de geminis dictum est, vel de impressionibus annuli. In deterioribus autem, quando illud quod deterius est, simile esse dicimus meliori. Quis enim in speculum adtendat, & rectè dicat se esse illi imagini similem, ac non potius illam sibi? Hoc autem genus partim est in eo quod anima patitur, partim verò in iis rebus quæ videntur. Sed ipsum quod anima patitur, aut in sensu patitur, ut turris motum qui nullus est: aut apud seipsam ex eo quod accepit à sensibus, qualia sunt visa somniantium, & fortassis etiam furentium. Porrò illa quæ in ipsis rebus quas videmus apparent, alia à natura, cetera ab animantibus exprimuntur atque finguntur. Natura gignendo vel resultando similitudines deteriores facit. Gignendo, cum parentibus similes nascuntur: resultando, ut de speculis ejuscemodi. Quamvis enim pleraque specula homines faciant, non tamen ipsi effingunt eas quæ redduntur imagines. Jami verò animantium opera sunt in picturis, & hujuscemodi quibusque figmentis: in quo genere includi etiam illa possunt, si tamen fiunt, quæ demones faciunt. Umbræ autem corporum, quia non nimis ab re abest ut corporibus similes, & quasi falsa corpora dicantur, nec ad oculorum judicium pertinere negandæ sunt; in illo eas genere poni placet, quod resultando à natura

fit. Resultat enim omne corpus lumini objectum, & in contrariam partem umbram reddit. An tibi aliquid contradicendum videtur? A. Mihi verò nihil. Sed quoniam ista tendant, vehementer exspecto.

12. R. Atqui oportet patienter feramus, donec nobis ceteri sensus renuntient in veri similitudine habitare falsitatem. Nam & in ipso auditu totidem ferè genera veniunt similitudinum: veluti cum loquentis vocem, quem non videmus, audientes, putamus alium quempiam, cui voce similis est: atque in deterioribus vel echo testis est, vel tinnitus ille ipsarum aurium, vel in horologiis merulæ aut corvi quædam imitatio, vel quæ sibi somniantes aut furentes videntur audire. Falsæ autem voculæ quæ dicuntur à musicis, incredibile est quantum adtestantur veritati, quod post apparebit: tamen etiam ipsæ, quod sat est nunc, non absunt ab earum similitudine quas veras vocant. Sequeris hæc? A. Et libentissimè. Nam nihil laboro, ut intelligam. R. Ergo, ne moremur, videturne tibi aut lilium à lilio posse odore, aut mel thyminum à melle thymino de diversis alveariis sapore, aut mollitudo plumarum cygni ab anseris tactu facile dijudicari? A. Non videtur. R. Quid cum talia nos vel olfacere, vel gustare, vel tangere somniamus, nonne similitudine imaginum eo deteriore quo inaniore decipimur? A. Verum dicis. R. Ergo apparet nos in omnibus sensibus sive æqualibus, sive in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli, aut etiam si non fallimur suspendentes consensionem, seu differentiam dignoscences, tamen eas res falsas nominare, quas verisimiles deprehendimus. A. Dubitare non possum.

R.

CAPUT VII.
De vero &
simil.

13. R. NUNC adtende, dum eadem rursum recurrimus, quò fiat apertius quod conamur ostendere. A. Eccum, loquere quod vis. Nam ego circumitum istum semel statui tolerare, neque in eo defatiscar spe tanta perveniendi, quò nos tendere sentio. R. Bene facis. Sed adtende, utrum tibi videatur cum ova similia videmus, aliquod eorum falsum esse, rectè nos posse dicere. A. Nullo modo videtur. Omnia enim si ova sunt, vera ova sunt. R. Quid cum de speculo resultare imaginem videmus, quibus signis falsam esse comprehendimus? A. Scilicet quod non tenetur, non sonat, non per se movetur, non vivit, & ceteris innumerabilibus, quæ prosequi longum est. R. Video te nolle immorari, & properationi tuæ mos gerendus est. Itaque ne singula repetam, si & illi homines, quos videmus in somnis, vivere, loqui, teneri à vigilantibus possent, nihilque inter ipsos differret, & eos quos expergefatti ac sani alloquimur, & videmus, numquidnam eos falsos diceremus? A. Quo pacto istud rectè diceretur? R. Ergo si eo veri essent, quo veri simillimi apparerent, nihilque inter eos & veros omninò distaret, eoque falsi quo per illas vel alias differentias dissimiles convincerentur; nonnè similitudinem veritatis matrem, & dissimilitudinem falsitatis esse fatendum est? A. Non habeo quid dicam, & pudet me tam temerariæ consensionis meæ superioris.

Soliloquia
cur dicta.

14. R. Ridiculum est si te pudet, quasi non ob id ipsum elegerimus huiusmodi sermonationes: quæ, quoniam cum solis nobis loquimur, *Soliloquia* vocari, & inscribi volo, novo quidem & fortasse duro nomine, sed ad rem demonstrandam satis idoneo. Cum enim

enim neque melius quæri veritas possit, quam interrogando & respondendo, & vix quisquam inveniatur, quem non pudeat convinci disputantem, eoque penè semper eveniat, ut rem bene inductam ad discutiendum inconditus perveracitæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum, plerumque dissimulata, interdum & aperta, pacatissimè, ut opinor, & commodissimè placuit, à meipso interrogatum mihi que respondentem, Deo adjuvante, verum quærere: quare nihil est quod vereare, sicubi te temerè illigasti, redire atque resolvere: aliter hinc enim evadi non potest.

15. A. RECTE dicis, sed quid malè concesserim, non planè video: nisi fortè id rectè dici falsum, quod habeat aliquam veri similitudinem, cum prorsus mihi nihil aliud dignum falsi nomine occurrat: & rursus tamen cogor fateri eo falsa vocari quæ vocantur, quo à veris differunt. Ex quo conficitur eam ipsam dissimilitudinem causam esse falsitatis. Itaque conturbor: non enim mihi facile quidquam venit in mentem, quod contrariis causis gignatur. R. Quid si hoc unum est in rerum natura genus, & solum quod ita sit? An ignoras cum per animalium innumerabilia genera cucurreris, solum crocodilum inveniri, qui superiorem in mandendo partem moveat, præsertim cum penè reperiri nihil queat ita cuique rei simile, ut non in aliquo etiam dissimile sit? A. Video quidem ista, sed cum considero illud quod falsum vocamus, & simile aliquid habere veri & dissimile, ex qua potius parte meruerit falsi nomen, non valeo discernere. Si enim ex eo quod dissimile est, dixerò, nihil erit quod non falsum dici possit: nihil enim est, quod non alicui rei dissimile sit,

CAP. VIII.
Unde verum aut falsum.

sit, quam veram esse concedimus. Item si dixerò eo quòd simile est, falsum appellandum, non solum ova illa reclamabunt, quæ vera eo ipso sunt quò simillima, sed etiam sic non effugiam eum, qui me coegerit falsa esse omnia confiteri, quòd omnia sibi ex aliqua parte similia esse negare non possum. Sed fac me non metuere illud respondere, similitudinem ac dissimilitudinem simul efficere, ut aliquid falsum rectè nominetur; quam mihi evadendi viam dabis? Instabitur enim nihilominus, ut omnia falsa esse renuntiem, quippe omnia sibimet, ut supra dictum est, & similia quadam ex parte, & dissimilia reperiuntur. Restaret ut nihil aliud falsum esse dicerem, nisi quod aliter se haberet atque videretur, nisi vereretur illa tot monstra, quæ me dudum enavigasse arbitrabar. Nam eò rursùm repellor vertigine inopinata, ut verum id esse dicam, quod ita se habet ut videtur. Ex quo conficitur, sine cognitore nihil verum esse posse: ubi mihi naufragium in scopulis occultissimis formidandum est, qui veri sunt etiam si nesciantur. Aut si verum esse id quod est, dixerò, falsum non esse usquam concludetur quovis repugnante. Itaque redeunt illi æstus, nec quidquam tanta patientia morarum tuarum processisse me video.

CAPUT IX.

Quid falsum, quid fallax, & quid mendax.

16. R. ADTENDE potius, nam nullo modo in animum inducam frustra nos auxilium divinum implorasse. Video enim tentatis quantum potuimus omnibus rebus, non remansisse quod falsum jure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod non est, aut omnino esse tendit & non est. Sed illud superius falsi genus, vel fallax etiam, vel mendax est. Nam fallax id rectè dicitur, quod habet quemdam fallen-

di

di appetitum, qui sine anima intelligi non potest, sed partim ratione fit, partim natura; ratione, in animalibus rationalibus, ut in homine; natura in bestiis, tamquam in vulpecula. Illud autem quod mendax voco, à mentientibus fit. Qui hoc differunt à fallacibus, quòd omnis fallax appetit fallere; non autem omnis vult fallere, qui mentitur: nam & mimi, & comædiæ, & multa poemata mendaciorum plena sunt, delectandi potius quàm fallendi voluntate, & omnes ferè qui jocantur, mentiuntur. Sed fallax vel fallens is rectè dicitur, cujus negotium est, ut quisque fallatur. Illi autem qui non id agunt ut decipiant, sed tamen aliquid fingunt, vel mendaces tantum, vel sine hoc quidem, mentientes tamen vocari nemo ambigit: nisi quid habes adversus ista quod dicas.

17. A. Perge quæso: nunc enim fortassè de falsis non falsa docere cœpisti: sed jam illud genus exspecto quale sit quod dixisti: Esse tendit, & non est. R. Quidni exspectes? Eadem illa sunt, quorum multa supra memoravimus. An non tibi videtur imago tua de speculo quasi tuipse velle esse, sed ideo esse falsa, quòd non est? A. Valde hoc videtur. R. Quid omnis pictura vel cujuscemodi simulacrum, & id genus omnia opificum, nonne illud esse contendunt, ad cujus quidque similitudinem factum est? A. Prorsus adducor. R. Jam ea quibus vel dormientes vel furentes falluntur, concedis, ut opinor, in eo esse genere. A. Et nulla magis: nam nulla magis tendunt talia esse, qualia vel vigilantes vel sani cernunt; & eo tamen falsa sunt, quo id quod tendunt, esse non possunt. R. Quid jam de turrium motu, vel de merso remo, vel de

um-

umbris corporum plura dicam? Planum est, ut arbitror, ex hac regula esse metienda. A. Planissimum. R. Taceo de ceteris sensibus, nam nemo considerans non hoc inveniet, falsum appellari in rebus ipsis quas sentimus, quod esse aliquid tendit, & non est.

CAPUT X.
Quaedam
eo vera quo
falsa.

18. A. RECTE dicis: sed miror cur ab hoc genere tibi discernenda illa poemata, & joca visa sunt, ceteraque fallaciae. R. Quia scilicet aliud est falsum esse velle, aliud verum esse non posse. Itaque ipsa opera hominum, velut comedias aut tragoedias, aut mimos, & id genus alia possumus operibus pictorum fictorumque conjungere. Tam enim verus esse pictus homo non potest, quamvis in speciem hominis tendat, quam illa quae scripta sunt in libris comicorum. Neque enim falsa esse volunt, aut ullo appetitu suo falsa sunt, sed quadam necessitate, quantum fingentis arbitrium sequi potuerunt. At verò in scena Roscius voluntate falsa Hecuba erat, natura verus homo; sed illa voluntate etiam verus tragoedus, eo videlicet quo implebat institutum: falsus autem Priamus, eo quod Priamum assimilabat, sed ipse non erat. Ex quo jam nascitur quiddam mirabile, quod tamen ita se habere nemo ambigit. A. Quidnam id est? Quid putas, nisi haec omnia inde esse in quibusdam vera, unde in quibusdam falsa sunt, & ad suum verum hoc solum eis prodesse, quod ad aliud falsa sunt? Unde ad id quod esse, aut volunt aut debent, nullo modo perveniunt, si falsa esse fugiunt. Quo pacto enim iste, quem commemoravi, verus tragoedus esset, si nollet esse falsus Hector, falsa Andromache, falsus Hercules, & alia innumera? Aut unde vera pictura esset, si falsus equus non esset?

Un-

Unde in speculo vera hominis imago, si non falsus homo? Quare si quibusdam, ut verum aliquid sint, prodest ut sint aliquid falsum, cur tantopere falsitates formidamus, & pro magno bono appetimus veritatem? A. Nescio, & multum miror, nisi quia in exemplis istis nihil imitatione dignum video. Non enim tamquam histriones, aut de speculis quaque reluctentia, aut tamquam Myronis buculae ex aere, ita etiam nos ut in nostro quodam habitu veri simus, ad alienum habitum adumbrati atque assimilati, & ob hoc falsi esse debemus, sed illud verum quaerere, quod non quasi bifronte ratione sibique adversanti, ut ex aliqua parte verum sit, ex aliqua falsum sit. R. Magna, & divina quaedam requiris. Quae tamen si invenerimus, nonne fatebimur his ipsam confici, & quasi confari veritatem, à qua denominatur omne quod verum quoquo modo nominatur? A. Non invitus assentior.

19. R. QUID tibi ergo videtur: Disciplina disputandi verane, an falsa est? A. Quis dubitet veram? Sed vera est etiam grammatica. R. Itane ut illa? A. Non video quid sit vero verius. R. Illud profecto quod nihil falsi habet: quod intuens paulò ante offendebar ex iis rebus, quae nescio quomodo nisi falsae essent, verae esse non possent. An ignoras omnia illa fabulosa, & aperte falsa ad grammaticam pertinere? A. Non ignoro istud quidem, sed, ut opinor, non per grammaticam falsa sunt, sed per eam qualiacumque sunt demonstrantur. Siquidem est fabula compositum ad utilitatem delectationemve mendacium. Est autem grammatica vocis articulatae custos, & moderatrix disciplina: cujus professionis necessitate cogitur humanae linguae omnia etiam fig-

CAPUT XI.
Disciplina-
rum veri-
tas.

Fabula
quid. Quid
sit gram-
matica.

figmenta colligere, quæ memoriæ litterisque mandata sunt, non ea falsa faciens, sed de his veram quamdam docens asserensque rationem. R. Rectè sanè: nihil nunc curo, utrum abs te ista benè definita atque distincta sint: sed illud quæro, utrum hoc ita esse ipsa grammatica, an verò illa disciplina disputationis ostendat? A. Non nego vim peritiamque definiendi, qua nunc ego ista separare conatus sum, disputationis arti tribui.

20. R. Quid ipsa grammatica, nonne si vera est, eo vera est quo disciplina est? Disciplina enim à discendo dicta est. Nemo autem quæ didicit ac tenet, nescire dici potest; & nemo scit falsa. Omnis ergo vera est disciplina. A. Non video quidem quid in ista ratiuncula temerè concedatur. Movet me tamen ne per istam cuiquam videatur etiam illas fabulas veras esse, nam & has discimus & teneamus. R. Numquidnam magister noster volebat nos credere quæ docebat, & nosse? A. Immo vehementer ut nossemus instabat. R. Numquid aliquando institit, ut Dædalum volasse crederemus? A. Hoc quidem numquam. Sed planè nisi teneremus fabulam, vix nos posse aliquid manibus tenere faciebat. R. Tu ergo negas verum esse quòd ista fabula sit, & quòd ita sit Dædalus diffamatus? A. Hoc non nego verum esse. R. Non negas ergo te didicisse verum, cum ista didiceris. Nam si volasse Dædalum verum est, & hoc pueri pro ficta fabula acciperent atque redderent, eo ipso falsa retinerent, quo vera essent illa quæ redderent. Hinc enim exstitit illud quod superius mirabamur, de volatu Dædali veram fabulam esse non potuisse, nisi Dædalum volasse falsum esset. A. Jam teneo istud, sed quid ex eo profi-

ficiamus exspecto. R. Quid, nisi non esse falsam illam rationem, qua collegimus disciplinam, nisi vera doceat, disciplinam esse non posse? A. Et hoc quid ad rem? R. Quia volo dicas mihi, unde sit disciplina grammatica: inde enim vera est, unde disciplina est. A. Nescio quid tibi respondeam. R. Nonnè tibi videtur, si nihil in ea definitum esset, & nihil in genera & partes distributum atque distinctum, eam nullo modo disciplinam esse potuisse? A. Jam intelligo quid dicas, nec ulla mihi occurrit cujusvis facies disciplinæ, in qua non definitiones, ac divisiones, & ratiocinationes, dum quid quidque sit declaratur, dum sine confusione partium sua cuique redduntur, dum nihil prætermittitur proprium, nihil annumeratur alienum, totum hoc ipsum quod disciplina dicitur egerint. R. Ergo & totum ipsum quo vera dicitur. A. Video consequi.

21. R. Responde nunc quæ disciplina contineat definitionum, divisionum, partitionumque rationes. A. Jam superius dictum est, hæc disputandi regulis contineri. R. Grammatica igitur eadem arte creata est, ut disciplina, & ut vera esset, quæ est abs te superius à falsitate defensa. Quod non de una grammatica mihi licet concludere, sed prorsus de omnibus disciplinis. Nam dixisti, verèque dixisti, nullam disciplinam tibi occurrere, in qua non definiendi jus atque distribuendi idipsum, ut disciplina sit, fecerit. At si eo veræ sunt, quò sunt disciplinæ, negabitne quisquam, veritatem ipsam esse per quam omnes veræ sunt disciplinæ? A. Prope est omninò ut assentiar. Sed illud me movet, quòd etiam rationem disputandi inter easdem disciplinas numeramus. Quare illam potius existimo esse veritatem, qua &

Tom. I. D is-

ista ipsa ratio vera est. R. Optimè omnino ac vigilantissimè. Sed non negas, ut opinor, eo veram esse quo disciplina est. A. Immò idipsum est quod me movet. Adverti enim etiam ipsam disciplinam esse, & ob hoc veram dici. R. Quid ergo? istam putas aliter disciplinam esse potuisse, nisi omnia in ea definita essent & distributa? A. Nihil aliud habeo quod dicam. R. At si ad eam pertinet hoc officium, per seipsam disciplina vera est. Quisquamne igitur mirum putabit, si ea a quæ vera sunt omnia, per seipsa & in seipsa vera sit veritas? A. Nihil mihi obstat, quo minus rectè pergam in istam sententiam.

CAP. XII.

Quot modis quædam sint in alio.

22. R. ERGO adtende pauca quæ restant. A. Profer si quid habes, modò tale sit quod intelligam, libenterque concedam. R. Esse aliquid in aliquo, non nos fugit duobus modis dici. Uno quo ita est, ut etiam seungi atque alibi esse possit, ut hoc lignum in hoc loco, ut sol in oriente. Altero autem quo ita est aliquid in subjecto, ut ab eo nequeat separari, ut in hoc ligno forma, & species quam videmus, ut in sole lux, ut in igne calor, ut in animo disciplina, & si qua sunt alia similia. An tibi aliter videtur? A. Ista quidem vetustissima sunt nobis, & ab ineunte adolescentia studiosissimè percepta, & cognita. Quare non possum de his interrogatus, quin ea sine ulla deliberatione concedam. R. Quid illud, nonnè concedis, quod in subjecto est inseparabiliter, si subjectum ipsum non maneat, manere non posse? A. Hoc quoque video necessarium:

a Ita MSS. At Lov. si ea qua vera sunt, omnia ab ipsa vera sunt, si & ipsa sit veritas.

rium: nam manente subjecto, posse id quod in subjecto est non manere, quisquis diligenter res advertit, intelligit. Siquidem hujus corporis color potest vel valetudinis ratione vel ætate immutari, cum ipsum corpus necdum interierit. Et hoc non peræquè in omnibus valet, sed in his in quibus non ut sint ipsa subjecta, ea quæ in subjectis sunt, coexistunt. Non enim, ut sit iste paries, paries hoc colore fit, quem in eo videmus; cum etiam si quo casu nigrescat aut albescat, vel aliquem alium mutet colorem, nihilominus tamen maneat paries ac dicatur. At verò ignis si calore careat, ne ignis quidem erit; nec nivem vocare nisi candidam possumus.

23. ILLUD verò quod interrogasti, quis concesserit, aut cui posse fieri videatur, ut id quod in subjecto est, maneat ipso intereunte subjecto? Monstruosum enim & à veritate alienissimum est, ut id quod non esset nisi in ipso esset, etiam cum ipsum non fuerit possit esse. R. Illud igitur quod quærebamus inventum est. A. Quid narras? R. Id quod audis. A. Jamne ergo liquidò constat animum esse immortalem? R. Si ea quæ concessisti vera sint, liquidissimè: nisi fortè animum dicis, etiam si moriatur, animum esse. A. Numquam equidem hoc dixerim, sed eo ipso quo interit, fieri ut animus non sit, dico. Nec me ab hac sententia revocat, quod à magnis philosophis dictum est, eam rem quæ quocumque venerit vitam præstat, mortem in se admittere non posse. Quamvis enim lumen quocumque intrare potuerit, faciat id lucere, tenebrasque in se propter memorabilem illam vim contrariorum non possit admittere, tamen exstinguitur, locusque ille extincto lumine tenebratur. Ita

CAP. XIII.
Immortalitas animæ colligitur.

illud quod tenebris resistebat, neque ullo modo in se tenebras admisit, & sic eis intereundo locum fecit, ut poterat etiam discedendo. Itaque timeo ne mors ita contingat corpori, ut tenebræ loco, aliquando discedente animo ut lumine, aliquando autem ibidem extincto: ut jam non de omni morte corporis securitas sit, sed aliquod genus mortis sit optandum, quo anima ex corpore incolumis educatur, perducatque ad locum (si est ullus talis locus) ubi non possit extinguï. Aut si ne hoc quidem potest, atque in ipso corpore anima quasi lumen accenditur, nec alibi potest durare, omnisque mors est extinctio quædam animæ in corpore vel vitæ, aliquod genus eligendum est quantum homo sinitur, quo id ipsum quod vivitur, cum securitate ac tranquillitate vivatur, quamquam nescio quomodo istud possit fieri si anima moritur. O multum beatos, quibus sive ab ipsis, sive abs quolibet, non esse metuendam mortem, etiam si anima intereat, persuasum est! At mihi misero nullæ adhuc rationes, nulli libri persuadere potuerunt.

24. R. Noli gemere, immortalis est animus humanus. A. Unde hoc probas? R. Ex iis quæ cum magna cautione, ut arbitror, superius concessisti. A. Nihil quidem me minus vigilanter interroganti tibi meminisse dedisse: sed collige jam ipsam summam, oro te, videamus quò tantis ambagibus pervenerimus, nec me jam interrogas volo. Si enim ea breviter enumeraturus es, quæ concessi, quonam rursus responsio mea desideratur? An ut moras gaudiorum mihi frustra inferas, si quid boni fortè confecimus? R. Faciam quod te velle video, sed adtende diligentissimè. A. Loquere jam, hîc sum, quid enecas? R. Omne quod in sub-

jec-

jecto est, si semper manet, ipsum etiam subiectum maneat semper necesse est. Et omnis in subjecto est animo disciplina. Necesse est igitur semper ut animus maneat, si semper manet disciplina. Est autem disciplina veritas, & semper, ut in initio libri hujus ratio persuasit, veritas manet. Semper igitur animus manet, nec animus mortuus dicitur. Immortalem igitur animum solus non absurdè negat, qui superiorum aliquid non rectè concessum esse convincit.

25. A. JAM me volo in gaudia mittere, sed duabus aliquantum revocor causis. Nam primum me movet quòd circuitu tanto usi sumus, nescio quam ratiocinationum catenam sequentes, cum tam breviter totum de quo agebatur, demonstrari potuerit, quam nunc demonstratum est. Quare me sollicitum facit, quod tam diu quasi ad insidiandum obambulat oratio. Deinde non video quomodo in animo semper sit disciplina, præsertim disputandi, cum & tam pauci ejus gnari sint, & quisquis eam novit, tanto ab infantia tempore fuerit indoctus. Non enim possumus dicere, aut imperitorum animos non esse animos; aut esse in animo eam quam nesciant disciplinam. Quod si vehementer absurdum est, restat ut aut non semper in animo sit veritas, aut disciplina illa veritas non sit.

26. R. Vides quàm non frustra tantos circuitus egerit nostra ratiocinatio. Quærebamus enim quid sit veritas, quod ne nunc quidem in hac quadam silva rerum, omnibus pene callibus oberratis, video nos investigare potuisse. Sed quid facimus? An incepta omittimus, & exspectamus eequid nobis librorum alienorum in manus incidat, quod huic quæstioni satisfaciat?

D 3

ciat?

CAP. XIV
Excititur
superior
syllogis-
mus.

ciat? Nam & multos ante nostram ætatem scriptos esse arbitror, quos non legimus: & nunc ut nihil quod nescimus opinemur, manifestum habemus, & carmine de hac re scribi, & soluta oratione; & ab iis viris quorum nec scripta latere nos possunt, & eorum ingenia talia novimus, ut nos in eorum litteris quod volumus, inventuros desperare non possimus: præsertim cum hîc ante oculos nostros sit ille, * in quo ipsam eloquentiam quam mortuam dolebamus, perfectam revixisse cognovimus. Illene nos sinet, cum scriptis suis vivendi modum docuerit, vivendi ignorare naturam? A. Non arbitror equidem & multum inde spero, sed unum doleo quod vel erga se, vel erga sapientiam studium nostrum non ei ut volumus, valemus aperire. Nam profectò ille miseretur sitim nostram, & exundaret multò citiùs quàm nunc. Securus enim est, quod sibi jam totum de animæ immortalitate persuasit, nec scit aliquos esse fortasse, qui hujus ignorantis miseriam satis cognoverunt, & quibus præsertim rogantibus non subvenire crudele sit. * Ille autem alius novit quidem pro familiaritate ardorem nostrum, sed ita longè abest, & ita nunc constituti sumus, ut vix ad eum vel epistolæ mittendæ facultas sit. Quem credo jam otio Transalpino perfecisse carmen quo mortis metus excantatus effugiat, & antiqua glacie duratus animæ stupor frigusque pellatur. Sed interim dum ista proveniunt, quæ in nostra potestate non sunt, nonnè turpissimum est perire otium nostrum, & totum ipsum animum ex incerto arbitrio pendere deligatum?

27. UBI est quod Deum, & rogavimus & rogamus ut nobis non divitias, non corporis voluptates, non populares suggestus atque honores,

* Ambrosius ut videtur, qui libros de officiis scripsit; & cui ad audiendum Augustinum non vacabat ex lib. 6. Conf. c. 1.

* Forte an Zenobius poetices peritus, de cuius repentina perfectione lib. 1. de ordine c. 7.

CAPUT XV.
Veri & falsi natura.

res, sed animam nostram sequere ipsum quærentibus, iter aperiat? Itane nos deseret, aut à nobis deseretur? R. Alienissimum quidem ab ipso est, ut eos qui talia desiderant deserat. Unde à nobis quoque alienum esse debet, ut tantum ducem deseramus. Quare si placet, repetamus breviter, undè illa duo confecta sint, aut semper manere veritatem, aut veritatem esse disputandi rationem. Hæc enim vacillare dixisti, quominus nos faciat totius rei summa securos. An potiùs illud quæremus, quomodò esse possit in imperito animo disciplina, quem non possumus non animum dicere? Hinc enim commotus videbare, ut de illis quæ concesseras, dubitare rursus necesse fuerit. A. Immo discutiamus priùs illa, deinde hoc quale sit videbimus. Ita enim, ut opinor, nulla controversia remanebit. R. Ita fiat, sed adesto totus atque cautissimus. Scio enim quid tibi eveniat adtendenti, dum nimis pendes in conclusionem, & ut jam jamque inferatur exspectas, ea quæ interrogantur non diligenter examinata concedis. A. Verùm fortasse dicis, sed enitar contra hoc genus morbi quantum possum: modò jam tu incipe quærere, ne superfluis immoremur.

28. R. Ex eo quantum memini veritatem non posse interire conclusimus, quod non solum si totus mundus intereat, sed etiam si ipsa veritas, verum erit & mundum, & veritatem interisse. Nihil autem verum sine veritate: nullo modo igitur interit veritas. A. Agnosco ista, & multum miror si falsa sunt. R. Ergo illud alterum videamus. A. Sine me paululum considerare, oro te, ne huc iterum turpiter redeam. R. Ergone interisse veritatem verum

D 4

non

2 In MSS. duobus, aut veritatem non esse, &c.

non erit? Si non erit verum, non ergo interit. Si verum erit, unde post occasum veritatis verum erit, cum jam veritas nulla est? A. Nihil habeo quid plus cogitem atque considerem: perge ad aliud. Certè faciemus quantum possumus, ut docti atque prudentes viri legant hæc, & nostram si qua est, corrigant temeritatem: nam me nec modo, nec aliquandò arbitror, quid contra hoc dicatur, posse invenire.

29. R. Numquidnam ergo dicitur veritas, nisi qua verum est quidquid verum est? A. Nullo modo. R. Numquidnam rectè dicitur verum, nisi quod non est falsum? A. Hinc verò dubitare dementia est. R. Num falsum non est quod ad similitudinem alicujus accommodatum est, neque id tamen est cujus simile apparet? A. Nihil quidem aliud videdò quod libentius falsum vocem. Sed tamen solet falsum dici, etiam quod à verisimilitudine longè abest. R. Quis negat? sed tamen quod habeat ad verum nonnullam imitationem. A. Quomodò? Non enim cum dicitur, junctibus alitibus anguibus Medeam volasse, ulla ex parte res ista verum imitatur, quippe quæ nulla sit, nec imitari aliquid possit ea res quæ omninò non sit. R. Rectè dicis: sed non attendis eam rem, quæ omninò nulla sit, ne falsum quidem posse dici. Si enim falsum est, est: si non est, non est falsum. A. Non ergo dicemus illud de Medea, nescio quod monstrum, falsum esse. R. Non utique: nam si ^a falsum est, quomodò monstrum est? A. Miram rem video: itane tandem cum audio, angues ingentes alites junctos ju-

^a Sic melioris notæ MSS. At priùs vulgati habent, nam si factum est, quomodò falsum est? Si non est factum, quomodò monstrum est?

go, non dico falsum? R. Dicis planè. Est enim quod falsum esse dicas. A. Quid quæso? R. Illam scilicet sententiam quæ ipso versu enuntiatur. A. Et quam tandem habet ista imitationem veri? R. Quia similiter enuntiaretur, etiam si verè illud Medea fecisset. Imitatur ergo ipsa enuntiatione veras sententias falsa sententia. Quæ si non creditur, eo solo imitatur veras quòd ita dicitur, estque tantum falsa, non etiam fallens. Si autem fidem impetrat, imitatur etiam creditas veras. A. Jam intelligo multum interesse inter illa quæ dicimus, & illa de quibus dicimus aliquid: quare jam assentior: nam hoc solo revocabar, quidquid falsum dicimus non rectè dici, nisi habeat veri alicujus imitationem. Quis enim lapidem falsum argentum esse dicens, non jure rideatur? Tamen si quisquam lapidem argentum esse dicat, dicimus falsum eum dicere, id est, falsam proferre sententiam. Stannum autem vel plumbum non absurdè, ut opinor, falsum argentum vocamus, quòd id res ipsa velut imitatur: neque ex eo falsa est nostra sententia, sed illud ipsum de quo enuntiatur.

30. R. BENE intelligis. Sed illud vide, CAP. XVI.
utrum & argentum falsi plumbi nomine con-
gruenter appellare possimus. A. Non mihi placet. R. Quid ita? A. Nescio: nisi illud video, Ad meliora
deteriorum
nominibus
vocari pos-
sint.
vehementèr contra voluntatem meam dici. R.
Num fortè propterea quòd argentum melius
est, & quasi in contumeliam ejus dicitur:
plumbi autem quidam velut honor est, si fal-
sum argentum vocetur? A. Prorsus explicasti
quod volebam. Et ideo credo jure infames in-
testabilesque haberi, qui muliebri habitu se os-
tentantes, quos nescio utrum falsas mulieres, an
falsos viros melius vocem. Veros tamen his-
trio-

triones, verosque infames sine dubitatione possumus vocare: aut si latent, nec infame quidquam nisi à turpi fama nominatur, veros nequam non sine veritate dicimus, ut opinor. R. Alius locus nobis erit de istis rebus disserendi: multa enim fiunt, quæ quasi facie populari turpia videntur, aliquo tamen fine laudabili honesta monstrantur. Et magna quæstio est, utrum patriæ liberandæ causa muliebri tunica indutus, debeat hostem decipere, hoc ipso quò mulier falsa sit, fortasse verior vir futurus. Et utrum sapiens, qui aliquo modo certum habeat, necessariam fore vitam suam rebus humanis, malit emori frigore, quam femineis vestibibus, si aliud non sit, amiciri. Sed de hoc, ut dictum est, aliàs videbimus. Profectò enim cernis quantæ inquisitionis indigeat, quatenus ista progredi debeant, ne in quasdam inexcusabiles turpitudines decidatur. Nunc autem quod præsentî quæstioni satis est, jam puto apparere, neque dubitari non esse falsum quidquam nisi veri aliqua imitatione.

CAP. XVII.
Num aliquid ex omni parte falsum sit aut verum.

31. A. PROFICISCERE ad reliqua: nam hoc mihi benè persuasum est. R. Ergo illud quæro, utrum præter disciplinas, quibus erudimur, & quibus etiam ipsum studium sapientiæ annumerari decet, possimus quidquam ita verum invenire, quod non sicut theatricus Achilles ex aliqua parte falsum sit, ut ex alia verum esse possit? A. Mihi videntur multa inveniri. Non enim disciplinæ istum habent lapidem, nec tamen, ut verus sit lapis, imitatur aliquid secundum quod falsus dicatur. Quo uno commemorato, vides jam innumerabilibus supersedendum esse, quæ sponte occurrant cogitantibus. R. Video prorsus. Sed nonne tibi videntur uno corporis nomine includi?

A.

A. Viderentur, si aut inane nihil esse certum haberem. aut ipsum animum inter corpora numerandum arbitrarer, aut etiam Deum corpus aliquod esse crederem. Quæ omnia si sunt, ad nullius imitationem falsa, & vera esse video. R. In longum nos mittis, sed utar quantum possum compendio. Certè enim aliud est quod inane appellas, aliud quod veritatem. A. Longè aliud. Quid enim me inanius, si veritatem inane aliquid puto, aut tantopere aliquid inane appeto? Quid enim aliud quam veritatem invenire desidero? R. Ergo & illud fortassè concedis, nihil verum esse, quod non veritate fiat, ut verum sit. A. Jam hoc olim manifestum est. R. Num dubitas nihil esse inane, præter ipsum inane, aut certè corpus? A. Prorsus non dubito. R. Opinor ergo, veritatem corpus esse aliquod credis. A. Nullo modo. R. Quid in corpore? A. Nescio: nihil ad rem: arbitror enim vel illud te scire, si est inane, magis illud esse ubi nullum sit corpus. R. Hoc sanè planum est. A. Quid igitur immoramur? R. An tibi aut veritas videtur fecisse inane, aut aliquid verum esse ubi veritas non sit? A. Non videtur. R. Non est ergo inane verum, quia neque ab eo quod inane non est, inane fieri potest: & quod veritate caret, verum non esse manifestum est: & omnino ipsum quod inane dicitur, ex eo quòd nihil sit dicitur. Quomodò igitur potest verum esse quod non est, aut quomodò potest esse quod penitus nihil est? A. Age nunc inane tamquam inane deseramus.

32. R. QUID de ceteris dicis? A. Quid? R. Quod vides mihi plurimum suffragari. Resat enim animus & Deus, quæ duo si propterea vera sunt quòd in his est veritas, de immor-

CAP. XVIII.
An vere sit corpus.

mortalitate Dei nemo dubitat. Animus autem immortalis creditur, si veritas quæ interire non potest, etiam in illo esse probatur. Quare jam illud ultimum videamus, utrum corpus non sit verè verum, id est, non in eo sit veritas, sed quasi quædam imago veritatis. Nam si, & in corpore, quod satis certum est recipere interitum, tale verum invenerimus, quale est in disciplinis, non continuè erit disputandi disciplina veritas, qua omnes veræ sunt disciplinae. Verum est enim, & corpus quod non videtur disputandi ratione esse formatum. Si verò & corpus imitatione aliqua verum est, & ob hoc non ad liquidum verum, nihil erit fortasse quod impediatur disputandi rationem, quominus ipsa veritas esse doceatur. A. Interim quæramus de corpore: nam ne hoc quidem cum constiterit, video istam controversiam terminatam. R. Unde scis quid velit Deus? Itaque adtende: nam ego puto corpus aliqua forma & specie contineri, quam si non haberet, corpus non esset: si veram haberet, animus esset. An aliter putandum est? A. Assentior in parte, de cetero dubito: nam nisi teneatur aliqua figura, corpus non esse concedo. Quomodo autem si eam veram haberet, animus esset, non satis intelligo. R. Nihilne tandem de primi libri exordio, & de illa tua geometrica recordaris? A. Benè commemorasti: recordor prorsus, ac libentissimè. R. Talesne in corporibus figuræ inveniuntur, quales illa disciplina demonstrat? A. Inmo incredibile est quantum deteriores esse convincuntur. R. Quas ergo istarum veras putas? A. Ne quæso etiam istuc me interrogandum putes. Quis enim mente tam cæcus est qui non videat, istas quæ in geometrica docentur, habitare in ipsa veritate, aut

aut in his etiam veritatem: illas verò corporis figuras, siquidem quasi ad istas tendere videntur, habere nescio quam imitationem veritatis, & ideo falsas esse? Jam enim totum illud quod ostendere moliebaris intelligo.

33. R. QUID ergo jam opus est, ut de disciplina disputationis requiramus? Sive enim figuræ geometricæ in veritate, sive in eis veritas sit, anima nostra, id est, intelligentia nostra contineri nemo ambigit, ac per hoc in nostro animo etiam veritas esse cogitur. Quòd si quælibet disciplina ita est in animo, ut in subjecto inseparabiliter, nec interire veritas potest, quid quæso de animi perpetua vita, nescio qua mortis familiaritate dubitamus? An illa linea, vel quadratura vel rotunditas, habent alia quæ imitentur ut vera sint? A. Nullo modo id possum credere, nisi fortè aliud sit linea quam longitudo sine latitudine, & aliud circulus quam linea circumducta undique ad medium æqualiter vergens. R. Quid ergo cunctamur? An ubi ista sunt, veritas non est? A. Avertat Deus amentiam. R. An disciplina non est in animo? A. Quis hoc dixerit? R. Sed fortè potest intereunte subjecto, id quod in subjecto est permanere? A. Quando mihi hoc persuaderetur? R. Restat ut occidat veritas. A. Unde fieri potest? R. Immortalis est igitur anima: jamjam crede rationibus tuis, crede veritati: clamat, & in te sese habitare, & immortalem esse, nec sibi suam sedem quacumque corporis morte posse subduci. Avertere ab umbra tua, revertere in te, nullus est interitus tuus, nisi oblitum te esse quòd interire non possis. A. Audio, respisco, recolere incipio. Sed, quæso, illa quæ restant expedias, quomodo in animo imperito, non enim eum mortalem

CAP. XIX.
Veritas im-
mortalis ar-
guit animæ
immortalitatem.

lem dicere possumus, disciplina, & veritas esse intelligantur? R. Aliud ista quæstio volumen desiderat, si eam vis tractari diligenter: simul & illa quæ, ut potuimus, investigata sunt, recensenda tibi esse video: quia si nihil eorum quæ concessa sunt, dubium est, multum nos egisse arbitror, nec cum parva securitate cetera quærere.

CAPUT XX.

Quædam
vera credi-
mus, quæ-
dam recor-
damur, quæ-
dam nec
sensu nec
phantasia,
sed tantum
ratione de-
prehendun-
tur.

34. A. ITA est ut dicis, & obtempero præceptis tuis libens. Sed illud saltem impetrem, ante quam terminum volumini statuas, ut quid intersit inter veram figuram, quæ intelligentia continetur, & eam quam sibi fingit cogitatio, quæ græcè sive phantasia sive phantasma dicitur, breviter exponas. R. Hoc quæris quod videre nisi mundissimus non potest, & ad cuius rei visionem parum es exercitatus: neque nunc per istos circuitus aliud quam exercitationem tuam, ut illud videre sis idoneus operamur: tamen interesse plurimum quomodo possit doceri, fortasse breviter planum facio. Fac enim te aliquid esse oblitum, aliosque te velle quasi in memoriam revocare. Dicunt ergo illi: Numquidnam hoc est, aut illud? diversa velut similia proferentes. Tu verò nec illud vides quod recordari cupis, & tamen vides non hoc esse quod dicitur. Numquidnam tibi cum hoc evenit, omni modo videtur oblitio? Nam ipsa discretio, qua non admittitur quod falsò admoneris, pars quædam recordationis est. A. Ita videtur. R. Tales ergo nondum verum vident; falli tamen decipique non possunt; & quid quærant, satis norunt. At si tibi quispiam dicat, te post paucos dies risisse quam natus es, non audes dicere falsum esse: & si auctor sit cui fides habenda est, non recordaturus, sed crediturus

es:

es: totum enim tempus illud validissima oblivione tibi sepultum est, an aliter putas? A. Prorsus consentio. R. Hæc igitur ab illa oblivione plurimum differt, sed illa media est. Nam est alia recordationi revisendæque veritati propior atque vicinior: cui simile est quando videmus aliquid, certòque recognoscimus id nos vidisse aliquando, atque nosse affirmamus; sed ubi, aut quando, aut quomodo, aut apud quem nobis in notitiam venerit, satagimus repetere atque recolere. Ut si de homine nobis contigerit, etiam quærimus ubi eum noverimus: quod cum ille commemoraverit, repente tota res memoriæ quasi lumen infunditur, nihilque amplius, ut reminiscamur, laboratur. An hoc genus ignotum tibi est, aut obscurum? A. Quid hoc planius, aut quid crebrius mihi accidere solet?

35. R. Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi: siquidem illas sine dubio in se oblivione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt: nec tamen contenti sunt, nec se tenent donec totam faciem veritatis, cuius quidam in illis artibus splendor jam subrutilat, latissimè atque plenissimè intueantur. Sed ex his quidam falsi colores atque formæ, velut in speculum cogitationis se fundunt, falluntque inquirentes sæpe, ac decipiunt putantes illud totum esse quod norunt vel quod inquireunt. Ipsæ sunt illæ imaginationes magna cautione vitandæ, quæ deprehenduntur fallaces, cum cogitationis variato quasi speculo variantur, cum illa facies veritatis una, & immutabilis maneat. Tum enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum sibi cogitatio depingit, & quasi ante oculos præfert: sed mens interior quæ vult verum videre, ad illud se po-

I. Retract.
c. 4. n. 4.

®

potius convertat, si potest, secundum quod judicat illa omnia esse quadrata. A. Quid si nobis quispiam dicat secundum id eam judicare, quod videre oculis solet? R. Quare ergo judicat, si tamen bene erudita est, quamtamvis pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale umquam oculus vidit, aut videre potest, cum ipsa imaginatione cogitationis fingi quidquam hujusmodi non potest? An non hoc probamus, cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias jam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, ut ad centrum sine ulla commixtione perveniant: cum clamet ratio innumerabiles posse duci, nec sese in illis incredibilibus angustiis nisi centro posse contingere, ita ut in omni earum intervallo scribe etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque quam ipsi oculi, deficiat, siquidem per ipsos est animo inflicta, manifestum est & multum eam differre a veritate, & illam dum hæc videtur non videri.

36. Hæc dicentur operosius atque subtilius, cum de intelligendo disserere coeperimus, quæ nobis pars proposita est, cum de animæ vita quidquid sollicitat, fuerit quantum valeamus enucleatum atque discussum. Non enim credo te parum formidare, ne mors humana, etiam si non interficiat animam, rerum tamen omnium, & ipsius, si qua comperta fuerit, veritatis oblivionem inferat. A. Non potest satis dici quantum hoc malum metuendum sit. Qualis enim erit illa æterna vita, vel quæ mors non ei præponenda est, si sic vivit anima, ut videmus eam vivere in puero mox nato? ut
de

de illa vita nihil dicam quæ in utero agitur, non enim puto esse nullam. R. Bono animo esto, Deus aderit, ut jam sentimus, quærentibus nobis, qui beatissimum quiddam post hoc corpus, & veritatis plenissimum sine ullo mendacio pollicetur. A. Fiat ut speramus.



DIOSCORI AD AUGUSTINUM

EPISTOLA CXVII.*

Dioscorus ad Augustinum mittit multas quæstiones ex libris Ciceronis, rogans ut maturè ad eas respondeat.

* Alias
LV.
Quæ autem
117.
erat, nunc
4. Scripta
fortè in-
cunte an.
410.

PROE MIARI apud te non solum superfluum est, sed etiam molestum, qui rem, non verba desideras. Idedque simpliciter audi. Senex Alypius rogatus à me, sæpius pollicitus erat, tecum respondere dialogorum pauculis interrogatiunculis: & quoniam in Mauritania dicitur hodièque esse, peto viribus omnibus & rogo, ut tu solus responde re digneris, quod etiam præsentè ipso fratre tuo, sine dubio facturus eras. Non est pecunia, non est aurum, quod pro quocvis daturus eras proculdubio, si haberes; nunc verò sine labore loqueris, quod requiro. Possem te plus & per multos caros tuos exorare; sed novi animum tuum, qui non rogari desiderat, sed omnibus præstare, si tantum absit quod dedecet, quod in hac re penitus nihil est dedecoris: tamen quodecumque est, peto præstes navigaturo. Nosti quam
TOM. I. E mi-

potius convertat, si potest, secundum quod iudicat illa omnia esse quadrata. A. Quid si nobis quispiam dicat secundum id eam iudicare, quod videre oculis solet? R. Quare ergo iudicat, si tamen bene erudita est, quamtamvis pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale umquam oculus vidit, aut videre potest, cum ipsa imaginatione cogitationis fingi quidquam huiusmodi non potest? An non hoc probamus, cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias jam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, ut ad centrum sine ulla commixtione perveniant: cum clamet ratio innumerabiles posse duci, nec sese in illis incredibilibus angustiis nisi centro posse contingere, ita ut in omni earum intervallo scribe etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque quam ipsi oculi, deficiat, siquidem per ipsos est animo inflicta, manifestum est & multum eam differre a veritate, & illam dum hæc videtur non videri.

36. Hæc dicentur operosius atque subtilius, cum de intelligendo disserere coeperimus, quæ nobis pars proposita est, cum de animæ vita quidquid sollicitat, fuerit quantum valeamus enucleatum atque discussum. Non enim credo te parum formidare, ne mors humana, etiam si non interficiat animam, rerum tamen omnium, & ipsius, si qua comperta fuerit, veritatis oblivionem inferat. A. Non potest satis dici quantum hoc malum metuendum sit. Qualis enim erit illa æterna vita, vel quæ mors non ei præponenda est, si sic vivit anima, ut videmus eam vivere in puero mox nato? ut
de

de illa vita nihil dicam quæ in utero agitur, non enim puto esse nullam. R. Bono animo esto, Deus aderit, ut jam sentimus, quærentibus nobis, qui beatissimum quiddam post hoc corpus, & veritatis plenissimum sine ullo mendacio pollicetur. A. Fiat ut speramus.



DIOSCORI AD AUGUSTINUM

EPISTOLA CXVII.*

Dioscorus ad Augustinum mittit multas quæstiones ex libris Ciceronis, rogans ut maturè ad eas respondeat.

* Alias
LV.
Quæ autem
117.
erat, nunc
4. Scripta
fortè in-
cunte an.
410.

PROE MIARI apud te non solum superfluum est, sed etiam molestum, qui rem, non verba desideras. Idedque simpliciter audi. Senex Alypius rogatus à me, sæpius pollicitus erat, tecum respondere dialogorum pauculis interrogatiunculis: & quoniam in Mauritania dicitur hodièque esse, peto viribus omnibus & rogo, ut tu solus responde-re digneris, quod etiam præsentè ipso fratre tuo, sine dubio facturus eras. Non est pecunia, non est aurum, quod pro quocvis daturus eras proculdubio, si haberes; nunc verò sine labore loqueris, quod requiro. Possem te plus & per multos caros tuos exorare; sed novi animum tuum, qui non rogari desiderat, sed omnibus præstare, si tantum absit quod dedecet, quod in hac re penitus nihil est dedecoris: tamen quodecumque est, peto præstes navigaturo. Nosti quam
TOM. I. E mi-

mihi molestissimum est oneri esse, non dico sinceritati tuæ, sed cuiquam. Solus autem Deus novit, quomodo nimia necessitate impulsus hoc feci. Vobis enim salvo, & favente Deo navigaturus sum: & mores hominum non ignoratis, qui proclives sunt ad vituperandum, & quàm, si interrogatus quis non responderit, indoctus & hebes putabitur, vides. Ergo, obsecro te, ad omnia sine cunctatione responde, ne me tristem dimittas. Sic videam parentes meos; quia propter hoc solum Cerdonem misi, & ipsum exspecto solum. Frater Zenobius^a, Magister Memoria factus est, & misit nobis evocationem cum annonis. Si ego dignus non sum, ut respondeas interrogatiunculis meis, saltem^{*} timeantur annonæ. Incolumem te summa divinitas longa nobis tueatur ætate. Papas plurimum dignationem tuam salutat.

S.

^a Magister memoriae, ut fert Notitia dignitatum imperii, annotationes omnes dicitur, & emittit, & precibus respondet: id est, quæ Princeps verbo respondebat, Magister dictabat breviter & annotabat: emittit diploma ad usurpandum cursum publicum; unde hic dicitur evocationem misisse cum annonis: denique dictabat responsa, quæ à Principe dabantur libellis supplicibus.

* f. timeantur.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLA CXVIII.*

Augustinus Dioscoro respondet ejusmodi quæstiones nec decorè tractari ab episcopo, nec utiliter disci à christiano. Disputat de studiorum fine ac de summo bono, exhortans Dioscorum ut christianam sectetur philosophiam, quæ sola divinæ humilitatis exemplo proposito veritatem persuadere potuit. Illustrat demum locos quosdam Ciceronis philosophorum de Deo sententias reprehendentis.

* *Alia*
LVI.
Quæ autem
118. *ætat,*
nunc 54.
Scripta
paulo post
superio-
rem.

1. **T**U me innumerabilium quæstionum turba repente circumvallandum, vel potiùs obruendum putasti, etiamsi vacantem otiosumque credidisti: quando enim ego in quolibet otio, tot rerum nodos tam festinanti, & ut scribis, jam penè proficiscenti possem dissolvere? Numero enim rerum ipsarum impedire, etiamsi^a nodi faciles ad solvendum forent. Tanta sunt autem perplexitate involuti, & tenacitate constricti, ut etiamsi pauci essent, otiosissimum me occupantes, magna mora temporis fatigarent intentionem, atque adtererent ungue meos. Ego autem vellem te abripere

E 2

de

^a Bad. Er. & aliquot MSS, *etiamsi non difficile ad &c.*

mihi molestissimum est oneri esse, non dico sinceritati tuæ, sed cuiquam. Solus autem Deus novit, quomodo nimia necessitate impulsus hoc feci. Vobis enim salvo, & favente Deo navigaturus sum: & mores hominum non ignoratis, qui proclives sunt ad vituperandum, & quàm, si interrogatus quis non responderit, indoctus & hebes putabitur, vides. Ergo, obsecro te, ad omnia sine cunctatione responde, ne me tristem dimittas. Sic videam parentes meos; quia propter hoc solum Cerdonem misi, & ipsum exspecto solum. Frater Zenobius^a, Magister Memoria factus est, & misit nobis evocationem cum annonis. Si ego dignus non sum, ut respondeas interrogatiunculis meis, saltem^{*} timeantur annonæ. Incolumem te summa divinitas longa nobis tueatur ætate. Papas plurimum dignationem tuam salutat. S.

* f. timeantur.

^a Magister memoriae, ut fert Notitia dignitatum imperii, annotationes omnes dictat, & emittit, & precibus respondet: id est, quæ Princeps verbo respondebat, Magister dictabat breviter & annotabat: emittebat diplomata ad usurpandum cursum publicum; unde hic dicitur evocationem misisse cum annonis: denique dictabat responsa, quæ à Principe dabantur libellis supplicibus.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLA CXVIII.*

Augustinus Dioscoro respondet ejusmodi quæstiones nec decorè tractari ab episcopo, nec utiliter disci à christiano. Disputat de studiorum fine ac de summo bono, exhortans Dioscorum ut christianam sectetur philosophiam, quæ sola divinæ humilitatis exemplo proposito veritatem persuadere potuit. Illustrat demum locos quosdam Ciceronis philosophorum de Deo sententias reprehendentis.

* *Alia*
LVI.
Quæ autem
118. etat,
nunc 54.
Scripta
paulo post
superio-
rem.

I. **T**U me innumerabilium quæstionum turba repente circumvallandum, vel potiùs obruendum putasti, etiamsi vacantem otiosumque credidisti: quando enim ego in quolibet otio, tot rerum nodos tam festinanti, & ut scribis, jam penè proficiscenti possem dissolvere? Numero enim rerum ipsarum impedire, etiamsi^a nodi faciles ad solvendum forent. Tanta sunt autem perplexitate involuti, & tenacitate constricti, ut etiamsi pauci essent, otiosissimum me occupantes, magna mora temporis fatigarent intentionem, atque adtererent ungue meos. Ego autem vellem te abripere

E 2

de

^a Bad. Er. & aliquot MSS, etiamsi non difficile ad &c.

de medio deliciosarum inquisitionum tuarum, & constipare inter curas meas, ut vel disceres non esse inaniter curiosus, vel curiositatem tuam cibandam atque nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas vel maxima cura est reprimere ac refrænare curiosos. Quânto enim melius, quântoque fructuosius, si in dandis ad te ullis litteris tempus atque opera impenditur, ad hoc potius impenditur, ut recessentur vanæ atque fallaces cupiditates tuæ, quæ tantò magis cavendæ sunt, quânto facilius decipiunt, nescio qua umbra honestatis & liberalium studiorum nomine velatæ atque palliatæ; quàm ut nostro ministerio, atque ut ita dixerim, satellitio, in dominatum, quo tam bonam tuam mentem premant, vehementius excitentur?

2. Ecce enim tot dialogi lecti, si ad videndum finem & capessendum omnium actionum tuarum nihil te adjuverunt, quid prosumt, dic mihi? Nam ubi finem constitueris totius hujus flagrantissimi studii tui, & tibi infructuosi, & nobis molesti, epistola tua satis indicas. Cùm enim de solvendis quæstionibus, quas misisti, apud me per litteras satageres, ita scripsisti: *Possem te, inquis, plus & per multos caros tuos exorare: sed novi animum tuum, qui non rogari desiderat, sed omnibus præstare, si tantum absit quod dedecet, quod in hac re penitus nihil est dedecoris; tamen quodcumque est, peto præstes navigaturo.* In his verbis epistolæ tuæ rectè quidem de me existimas, quod omnibus præstare desiderem, si absit quod dedecet, sed in hac re nihil esse dedecoris, non mihi videtur. Non enim decora facies rerum attingit sensum meum, cùm cogito episcopum ecclesiasticis

cu-

euris circumstrepentibus districtum atque dissentum, repentè quasi obsurdulentem cohibere se ab his omnibus, & dialogorum Tullianorum quæstiunculas uni scholastico exponere. Quod quântum dedecet, quamquam tuorum studiorum raptus ardore prorsus nolis attendere, tu etiam sentis tamen. Quid enim aliud indicat, quod cùm dixisses, in hac re penitus nihil esse dedecoris, statim adjunxisti, *tamen quodcumque est, peto præstes navigaturo?* Hoc enim sonat, videri tibi quidem nihil in hac re esse dedecoris, tamen quodcumque est dedecoris, petere te ut præstem navigaturo. Sed quid est, quæso te, quod addidisti, *navigaturo?* An ego, nisi navigaturus esses, præstare tibi aliquid dedecoris non deberem? Nimirum putas, quod aqua marina dedecus abluatur. Quod si ita esset, meum certè qui navigaturus non sum, inexpiatum remaneret.

3. Scribis etiam nosse me, quàm tibi molestissimum sit oneri esse cupiam, & adtestaris solum Deum nosse, quòd nimia necessitate impulsus hoc feceris. Hic sanè cùm epistolam tuam legerem, satis adverti animum cognoscere necessitatem tuam. Cùm ecce mihi affers & dicis: *Mores hominum non ignoratis, qui proclives sunt ad vituperandum, & quàm, si interrogatus quis non responderit, indoctus & hebes putabitur.* Hoc loco verò exarsi ad rescribendum tibi: hoc enim languore animi tui penetrasti mihi pectus, & irrupisti in curas meas, ut dissimulare non possem, quântum me Deus adjuvaret, mederi tibi; non ut de tuis quæstionibus enodandis explicandisque cogitarem, sed ut felicitatem tuam pendentem ex linguis hominum atque nutantem à tam infelici retinaculo abrumperem, & cuidam se-

E 3

di

di omnino inconcussa stabilique religarem. Tunc, o Dioscore, nec Persium tuum respicis insultantem tibi contorto versiculo, sed plane puerile caput, si sensus adsit, idoneo colapho contudentem atque coercentem:

*Persius
Satyra I.*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Tot, ut superius dixi, legisti dialogos, tot philosophorum altercationibus cor inseruisti. Dic mihi, quis eorum finem actionum suarum constituerit in fama vulgi, aut in lingua hominum, vel bonorum atque sapientium? Tu autem, & quod magis pudendum est, jam navigaturus, satis praclare te in Africa profecisse testaris, cum aliam ob causam te oneri non esse adseris negotiosissimis, & in alia longe distantia intentis episcopis, ut tibi exponant Ciceronem, nisi quia times homines proclives ad vituperandum, ne interrogatus ab eis, si non responderis, indoctus & hebes puteris. O rem dignam vigiliis & lucubrationibus episcoporum!

4. Non mihi videris aliunde dies noctesque cogitare, nisi ut in studiis tuis atque doctrina lauderis ab hominibus. Quod etsi semper ad certa & recta tendentibus periculosum esse iudicavi, nunc tamen in te maxime experior. Non enim aliunde quam ex eadem pernicie non vidisti, qua tandem re possemus moveri, ut tibi quod petebas daremus. Quam enim perverse tu ipse non ob aliud ad ea discenda, qua interrogas, raperis, nisi ut lauderis, aut non vitupereris ab hominibus: tam perverse etiam nos putas in tua petitione talibus causis allegatis moveri. Et utinam possemus efficere, ut tu quoque tam inani atque fallaci humanae laudis bono minime movereris, cum tibi nos indicarem, non ad praestandum

ti-

tibi quod petis, quoniam haec de te scribis, sed ad te corrigendum moveri. *Mores hominum*, inquis, *proclives sunt ad vituperandum*. Quid deinde? *Si interrogatus quis non responderit*, inquis, *indoctus & hebes putabitur*. Ecce ego te interrogo non de Ciceronis libris aliquid, cuius sensum fortasse legentes indagare non possunt; sed de epistola ipsa tua, & de sententia verborum tuorum. Quaero enim, cur non dixeris, qui non responderit, indoctus & hebes manifestabitur; sed potius dixeris, *indoctus & hebes putabitur*; nisi quia satis etiam ipse intelligis, eum, qui talia non responderit, non esse indoctum & hebetem, sed putari? At ego te admoneo, eum qui talium putatorum linguis tamquam falcebus concidi timet, lignum esse aridum; & ideo non putari tantum indoctum & hebetem, sed verè esse atque convinci.

5. Fortasse dixeris, sed cum hebes animo non sim, & praecipue non esse studeam, nolo hebes animo vel putari. Rectè; sed quo fine nolis, id quaero. Quod enim in illis quaestionibus aperiendis tibi & explicandis, nec nobis oneri esse dubitasti, hanc causam & hunc finem esse dixisti, & tam necessarium, ut eam nimiam necessitatem appellares, ne scilicet de his interrogatus neque respondens, ab hominibus ad vituperandum proclivibus hebes indoctusque puteris. Ego autem quaero, hoc cunctum sit, cur à nobis ista desideres, an etiam indoctus & hebes putari propter aliud aliquid nolis? Si hoc totum est, cernis, ut arbitror, hunc esse finem tam vehementis intentionis tuae, qua nobis quoque oneri es, ut fateris. Quid autem à Dioscuro potest nobis esse oneri, nisi quod ipsum Dioscorum etiam

E 4

nes-

nescientem onerat? Quod non sentiet, nisi cum surgere voluerit; atque utinam non sic alligentur hæc onera, ut frustra etiam humeros conetur excutere. Quod non ideo dico, quia ista discuntur quæstiones, sed quia tali fine discuntur. Hunc enim finem jam certè sentis esse nugatorium, inanem, ventosum. Habet & tumorem, sub quo etiam tabes gignitur, & pupula mentis ad non videndam opulentiam veritatis offenditur. Crede, sic est, mi Dioscore, ita te fruar in ipsa voluntate, & in ipsa, cujus umbra averteris, dignitate veritatis. Unde enim tibi, nisi vel hoc modo, de hac re fidem faciam, non invenio. Non enim vides eam, aut ullo modo quamdiu linguis humanis ruinosam gaudia construis, potes eam videre.

6. Si autem ibi non finis est harum actionum, atque intentionis tuæ, sed propter aliud aliquid indoctus & hebes non vis putari, quæro quid illud sit? Si propterea, ne angustior tibi aditus ad acquirendas temporales divitias, uxorem impetrandam, honores capessendos, & cetera huiusmodi præcipiti fluxu transcurrentia, atque in se lapsos in imum rapiantia; neque ad hunc finem tibi servire nos decet, immo decet etiam hinc te amovere. Non enim sic te prohibemus in incerto famæ finem ponere, ut tamquam de Mincio in Eridanum emigres; quo te ipse fortasse Mincius etiam non emigrantem impingeret. Cum enim non sativerit avidum spiritum vanitas laudis humanæ, quia nihil ad cibandum affert, nisi inane & inflatum; cogit eam ipsa aviditas referre in aliud, quasi uberius atque fructuosius: quod nihilominus si temporali lapsu præterfluit, ita est quasi fluvius ducat in fluvium, ut NON SIT FINIS miseræ, quamdiu finis officiorum nostro-

rorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, & securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ. An fortè istam ipsam terrenam felicitatem, quam commemoravi, si prosperi rumoris aura, aut etiam flatibus vela pandendo ad eam potueris pervenire, hanc etiam cogitas referre in aliud certum, & verum & plenum bonum? At mihi non videtur, atque omnino IPSA VERITAS negat, vel tantis ad se anfractibus, quæ tam proxima est, vel tantis sumtibus, quæ tam gratuita est, perveniri.

7. An ipsa humana laude, tamquam instrumento utendum existimas, ut aditum per hanc præpares ad animos hominum, persuadendi vera atque salubria; & caves ne te, cum indoctum atque hebetem putaverint, indignum arbitrentur, cui autem vel intentissimam vel patientissimam præbeant, sive ad rectè facta quemquam exhorteris, sive malitiam atque nequitiam peccantis objurges? Hunc tu finem justitiæ ac beneficentiæ, si in illis interrogandis quæstionibus cogitasti, nos de te male meruimus, quibus in epistola tua, non id potius, quo moveremur, posuisti, ut aut libenter daremus quod petebas, aut ideo non daremus, quia causa quælibet alia fortasse prohiberet; non tamen quia tuæ vanæ cupiditati, non solùm servire, verùm etiam non resistere puderet. Quantò enim melius atque salubrius, quæso te, ipsas veritatis regulas multò certius & brevius per se ipsas accipis, quibus falsa omnia possis ipse refellere; ne quod falsum & pudendum est, si multorum annos & decrepitas falsitates, studio jactantiori quàm

quàm prudentiori didiceris, doctum atque intelligentem te esse arbitreris; quod jam non existimo tibi videri. Non enim frustra tam diu tam vera Dioscoro diximus, ex quo in hac epistola gradimur.

CAPUT II.

8. QUAPROPTER jam illud videamus, cum te istarum rerum ignorantia nequaquam indoctum atque hebetem judices, sed ipsius potius veritatis, ut quisquis de his rebus scripsit vel scripserit, aut ea sint, quæ jam certus tenes, aut si falsa sunt, securus ignores, neque de diversitate cognoscenda sententiarum alienarum, ne quasi indoctus & hebes remaneas, inani solitudine macereris. Cum ergo hæc ita sint, etiam illud, si placet, videamus, utrum aliorum falsa existimatio, qui sunt, ut scribis, ad vituperandum proclives, ita ut si te ista ignorare persenserint, indoctum atque hebetem, falso quidem, sed tamen putent, sic te movere debeat, ut etiam ab episcopis tibi hæc exponi non incongruenter petas: quandoquidem eo fine jam te ista cupere credimus, quo illis consulas ad persuadendam veritatem vitæque eorum corrigendam, qui te, si in illis Ciceronis libris indoctum hebetemque putaverint, indignum habebunt, à quo aliquid utilis salubrisque scientiæ sibi accipiendum esse arbitrentur. Quod non ita est, mihi crede.

9. Primum quia esse aliquos in illis terris, ubi imperitus minimèque acutus videri times, qui te de istis quæstionibus quidquam interrogent, omninò non video: quandoquidem hic, quò ad ea discenda venisti, & Romæ expertus es, quàm negligenter habeantur, & ob hoc neque doceantur neque discantur: & in Africa usque adeo de his interrogatorem pateris neminem, ut nec te ipsum qui patiatur

in-

invenias; eaque inopia episcopis exponenda ea mittere cogaris: quasi verò episcopi isti, etiam si adolescentes eodem quo tu raperis animi ardore; vel potius errore, quasi aliquid magnum hæc discere curarunt, usque ad canos episcopales, & usque ad cathedras ecclesiasticas, ea sibi in memoria durare paterentur: aut si ipsi vellent, non illa, etiam de invitorum cordibus, curæ majores gravioreque secluderent: aut si aliqua ex eis in animis eorum nimia consuetudine remaneret, non etiam ipsa oblivione sepeliri mallet recordata, quàm ad inepta respondere quæsitæ: cum in ipsa etiam scholari levitate & rhetoricis cathedris, ita obtutuisse atque obtorpuisse videantur, ut à Chartagine Hipponem, quo exponi possint, mittenda existimentur: ubi tam insolita, atque omninò peregrina sunt, ut si vellem respondendi cura inspicere aliquid, volens videre quomodò ad sententiam, quæ mihi exponenda esset, desuper veniatur, aut ab ea deinceps quæ contexeretur oratio, codicem prorsus invenire non possem. Illi autem carthaginenses rethores, si huic tuo studio defuerunt, non modò à me non reprehenduntur, sed etiam approbantur, si fortè jam recolunt, non romanorum fororum, sed græcorum gymnasiorum ista solere esse certamina. Tu verò cum & in gymnasia cogitationem injecisti, & ea quoque ipsa invenisti talibus rebus nuda atque frigida, ubi has curas tuas deponeres, christianorum tibi basilica hipponensis occurrit; quia in ea nunc sedet episcopus, qui aliquando ista pueris vendidit. Sed nec te volo esse adhuc puerum; & me jam esse puerilium rerum, sicut non venditorem, ita nec largitorem decet. Quæ cum ita sint, id est, cum duæ tantæ urbes, lati-

na-

narum litterarum artifices, Roma atque Carthago, nec tædio tibi sint, ut à te ista perquirant, nec tædia tua curent, ut te ista perquirentem exaudiant; miror tantum quantum dici non potest; vereri te tam boni ingenii juvenem, ne in græcis atque orientalibus urbibus quemquam de his rebus molestum interrogatorem feras. Facilius quippe corniculas in Africa audieris, quam in illis partibus hoc genus vocis.

ro. Deinde si fallor, & quisquam ibi forte hujusmodi quæstionum tantò utique odiosior, quantò in illis locis ineptior percontator exstiterit, nonnè magis caves ne multò facilius existant, qui te græci homines in Græcia constitutum, & græca imbutum primitus lingua, de ipsis philosophorum libris aliqua interrogent, quæ Cicero in suis litteris non posuit? Quod si acciderit, quid responsurus es, potiùs te ista in latinorum auctorum libris, quam in græcorum nosse voluisse? Qua responsione primò Græciæ facies injuriam, & nosti quam illi homines hoc non ferant. Deinde jam exulcerati & irati, quam citò te, quod nimis non vis, & hebetem judicabunt, qui græcorum philosophorum dogmata, vel potiùs dogmatum particulas quasdam discerptas atque dispersas in latinis dialogis, quam in ipsorum auctorum libris græcis tota atque contexta discere maluisti; & indoctum, qui cum tam multa in tua lingua nescias, earum rerum frustrà in aliena colligere ambisti. An fortè illud respondebis, non te græcos de his rebus libros contempsisse, sed priùs latinos curasse cognoscere, nunc autem velle te in latinis doctum, jam græca quærere? Si hoc non pudet, hominem græcum latina puerum didicisse, nunc velle discere græca barbatum; pudebitnè tandem

dem in ipsis latinis ignorare aliqua, quæ quam multi latini docti tecum nesciant, vel hoc ipso sentis, quòd te nobis magna necessitate dicis onerosum, in tanta doctorum multitudine apud Carthaginem constitutus?

11. Postremò fac te de omnibus quæ à nobis quæris interrogatum, respondere potuisse. Ecce jam doctissimus atque acutissimus diceris, ecce jam te laudibus in cælum græculus flatus adtollit: tu tantum memento gravitatis tuæ, & illam mereri laudem quo fine volueris, ut scilicet eos leviter levia ista miratos, & benevolentissimè atque avidissimè jam in tua ora suspensos, gravissimum aliquid & saluberrimum doceas. Idipsum quidquid est gravissimum & saluberrimum, utrùm teneas, & rectè tradere noveris, vellem cognoscere. Ridiculum est enim, cum propterea superflua multa didiceris, ut tibi aures hominum ad necessaria præparentur, ipsa necessaria non tenere, quibus excipiendis eas per superflua præparaveris; & dum occuparis ut discas unde facias intentos, nolle discere quod infundatur intentis. Sed si hoc te scire jam dicis, idque ipsum christianam doctrinam esse respondes, quam te omnibus præponere novimus, & in ea sola esse præsumere spem salutis æternæ, non opus est ei cognitione dialogorum Ciceronis, & collectione emendatarum discordantium sententiarum alienarum procurari auditores. Moribus tuis intenti fiant, qui abs te aliquid tale accepturi sunt. Nolo priùs aliquid doceas, quod dediscendum est, ut vera doceas.

12. Nam si alienarum sententiarum dissidentium & repugnantium cognitio aliquid adjuvat insinuatorem christianæ veritatis, ut no-

verit quomodo adversantes destruat falsitates, ad hoc dumtaxat, ne quis contra disserens, nonnisi in refellendis tuis figat oculum, sua verò sedulo occultet (nam **COGNITIO VERITATIS** omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare & subvertere idonea est) sed ut non solum aperta feriantur, sed etiam abscondita eruantur, si alienos opus est cognoscere errores; erige oculos auresque, oro te, & vide atque ausculta, utrum aliquis adversus nos de Anaximene & de Anaxagora proferat aliquid: quando jam ne ipsorum quidem multò recentiorum, multumque loquacium Stoicorum aut Epicureorum cineres caleant, undè aliqua contra fidem christianam scintilla excitetur. Sed circuli atque conventicula partim fugacia, partim etiam audacter prompta, vel Donatistarum, vel Maximianensium, vel Manichæorum, vel etiam ad quorum greges turbamque venturus es, Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Cataphrygarum, cæterarumque pestium innumerabiliter perstreant. Quorum omnium errores si cognoscere piget, quid nobis est, propter defensionem christianæ religionis, quærere quid senserit Anaximenes, & olim sopitas lites inani curiositate recoquere, cum quorundam etiam hæreticorum, qui nomine christiano gloriari voluerunt, ut Marcionistarum & Sabellianorum, multorumque præterea jam dissensiones quæstionesque sileantur. Tamen si opus est, ut dixi, veritati adversantes prænoscere aliquas, & pertractatas habere sententias, de hæreticis potius, qui se christianos vocant, quam de Anaxagora & Democrito nobis cogitandum fuit.

CAPUT III.

13. ILLE autem quisquis abs te quæsi-

rit,

rit, quæ tu à nobis quæris, audiat quòd ea doctius & prudentius nescias. Si enim Themistocles non curavit, quòd est habitus indoctor, cum canere nervis in epulis recusasset, ubi cum se nescire illa dixisset, atque ei dictum esset: Quid igitur nosti? respondit, Republicam ex parva magnam facere: dubitandum est tibi dicere, te ista nescire, cum ei qui rogarit quid noveris, respondere possis: Nosse te quomodo etiam sine istis homo esse possit beatus? Quod si adhuc non tenes, tam perversè ista conquiris, quam perversè si aliquo corporis periculoso morbo gravareris, delicias & tenerrimas vestes potius quam medicamenta medicosque conquirereres. Non enim ullo modo differenda est ista cognitio, aut ulla huic à te, præsertim jam in hac ætate, vel discendi ordine præferenda est. Vide autem quam facilè posses hoc scire, si velles. Qui enim quærit quomodo ad beatam vitam perveniat, nihil aliud profectò quærit, nisi ubi sit finis boni, hoc est, ubi constitutum sit, non prava opinione atque temeraria, sed certa atque inconcussa veritate, summum hominis bonum: quod à quolibet ubi constituatur non invenitur, nisi aut in corpore, aut in animo, aut in Deo, aut in duobus aliquibus horum, aut certè in omnibus. Quòd si didiceris, neque summum bonum, nec aliquam partem summi boni omnino esse in corpore; duo restabunt, animus & Deus, quorum vel in uno vel in ambobus sit. Si autem adjeceris, & didiceris hoc idem de animo, quod de corpore; quid aliud jam nisi Deus occurreret, in quo summum hominis bonum constitutum sit; non quòd alia bona non sint, sed **SUMMUM** id dicitur, quò cuncta referuntur. **EO ENIM** fruendo quis-

quisque beatus est, propter quod cetera vult habere, cum illud jam non propter aliud, sed propter seipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur, quia jam quod excurrat, & quod referatur, non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis.

14. Da igitur qui cito vident, non corpus esse animi bonum, sed animum potius esse corporis bonum; recedetur jam ab inquirendo, utrum summum illud bonum, vel aliqua ejus pars sit in corpore. Quod enim stultissime negatur, melior est animus corpore. Item stultissime negatur, meliorem esse eum, qui dat beatam vitam vel partem aliquam beatæ vitæ, quam eum qui accipit. Non igitur accipit animus à corpore vel summum bonum, vel partem aliquam summi boni. Hoc qui non vident, cæcati sunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia sanitatis venire non intuentur. Sanitas autem perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. TAM POTENTI enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Quod qui non vident, ut dixi, bellant inquietis altercationibus varîe pro suo quisque captu, in corpore constituentes summum hominis bonum, & carnalium seditiosorum turbas concitant: inter quos Epicurei apud indoctam multitudinem excellentiore auctoritate vigerunt.

15. Da item qui cito videat animum quod ipsum non suo bono beatum esse, cum bea-

Epicu-
rei su-
mum bo-
num cons-
titueru-
nt in corpore.

beatus est, alioquin numquam esset miser; & recedetur à quærendo, utrum in animo sit summum illud, atque, ut ita dixerim, beatificum bonum, vel aliqua pars ejus. Nam CUM SEIPSO sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est. Cum verò perspicit se esse mutabilem, vel hoc uno saltem quod de stulto sapiens efficitur, sapientiamque esse incommutabilem cernit, simul oportet cernat esse illam supra suam naturam, ejusque participatione atque illustratione se uberius & certius gaudere, quam seipso. Ita cessans atque detumescens à jactatione atque inflatione propria, inhærere Deo, atque ab illo incommutabili refici, & reformari nititur, à quo esse jam capit non solum omnem speciem rerum omnium, sive quæ sensu corporis, sive quæ intelligentia mentis adtinguntur, sed etiam ipsam capacitatem formationis ante formationem, cum vel informe aliquid dicitur, quod formari potest. Itaque tantò minùs se esse stabilem sentit, quantò minùs hæret Deo, qui summè est: & ideo illum summè esse, quia nulla mutabilitate proficit seu deficit: sibi autem illam commutationem expedire, qua proficit, ut perfectè illi cohæreat; eam verò commutationem, quæ in defectu est, esse vitiosam: omnem autem defectum ad interitum vergere; quò utrum aliqua res perveniat, tametsi non appareat, tamen apparere omnibus eò ducere interitum, ut non sit quod erat. Unde colligit non ob aliud res deficere, vel posse deficere, nisi quòd ex nihilo factæ sunt, ut quod in eis est, quod sunt & manent, & pro defectibus etiam suis ad universitatis complexum ordinantur, ad ejus bonitatem omnipotentiamque pertineat, qui summè est, & conditor, qui

TOM. I. F po-

potens est etiam ex nihilo, non tantum aliquid, sed etiam magnum aliquid facere. Primum autem peccatum, hoc est, primum voluntarium defectum, esse gaudere ad propriam potestatem; ad minus enim gaudet, quam si ad potestatem Dei gaudeat, quæ utique major est. Hoc non videntes, & potentias intuentes animi humani, magnamque pulchritudinem factorum atque dictorum, etiamsi in corpore produxit ponere summum bonum, in ipso tamen animo ponentes, infra utique posuerunt, quam ubi sincerissima ratione ponendum est. Inter hos qui ita sentiunt apud græcos philosophos, & numero & disputandi subtilitate Stoici prævaluerunt, qui tamen in naturalibus corporea omnia esse arbitantes, magis à carne quam à corpore animum avertere potuerunt.

Stoici
in animo
posuerunt
summum
bonum.

Platonici
in Deo.

16. Inter eos qui fruendum Deo, à quo & nos & omnia facta sunt, unum atque summum bonum nostrum esse dicunt, apud illos eminuerunt Platonici, qui non immeritò ad officium suum pertinere arbitrati sunt, Stoicis, & Epicureis maxime & propè solis omnino resistere. Iidem quippe Academici qui Platonici, quod docet auditorum ipsa successio. Archesilas enim qui primus occultata sententia sua, nihil aliud istos quam refellere statuit, quare cui successerit, Polemonem invenies: quare cui Polemon, Xenocratem. Xenocrati autem discipulo Academiam scholam suam reliquit Plato. Quantum igitur pertinet ad quæstionem de summo hominis bono, remove personas hominum, atque ipsam disceptationem constitue; profectò reperies duos errores inter se adversa fronte collidi: unum constituentem in corpore, alium constituentem in animo summum bonum. Rationem autem veritatis, qua

qua summum bonum nostrum Deus esse intelligitur, utrique resistere, sed non priùs doctorem vera, quam prava dedocentem. Idipsum rursus adjunctis personis constitue, reperies Epicureos & Stoicos inter se acerrimè dimicantes: eorum verò litem conantes dijudicare Platonicos, occultantes sententiam veritatis, & illorum vanam in falsitate fiduciam convincentes & redarguentes.

17. Sed non sicut illi errorum suorum, ita Platonici veræ rationis personam implere potuerunt. Omnibus enim defuit a divinæ humilitatis exemplum, quod opportunissimo tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est: cui uni exemplo in cuiusvis animo ferociter arrogantis, omnis superbia cedit, & frangitur, & emoritur. Ideoque non valentes illi auctoritate turbas terrenarum rerum b dilectione cæcatas ad invisibilium fidem ducere, cum eas viderent epicureis maxime contentionibus commoveri, non solum ad hauriendam, quò ultrò ferebantur, sed etiam ad defensandam corporis voluptatem, ut in ea summum bonum hominis constitueretur; eos autem qui adversus hanc voluptatem virtutis laude moverentur, minus difficulter eam contemplari in animis hominum, unde facta bona, de quibus utcumque poterant iudicare, procederent: simul videbant si eis conarentur insinuare aliquam rem divinam, & super omnia incommutabilem, quæ nullo adtingeretur corporis sensu, sed sola mente intelligeretur, quæ tamen etiam naturam ipsius mentis excederet, eumque esse Deum propositum animo huma-

F 2

no

a MSS. quinque, vera humilitatis.

b Bad. Am. & Et. delectatione cæcatas.

no ad fruendum, purgato ab omni labe humanarum cupiditatum, in quo uno adquiesceret omnis beatitudinis appetitus, & in quo nobis uno bonorum omnium finis esset; non eos intellecturos, & repugnantibus vel Epicureis vel Stoicis multò quàm sibi faciliùs palmam duros, ita ut vera salubrisque sententia, quod perniciosissimum est generi humano, imperitorum populorum irrisione sordesceret: & hoc in moralibus.

18. In naturalibus autem quæstionibus, si isti dicerent effectricem omnium naturarum esse incorpoream Sapientiam, illi autem à corpore nusquam discederent, cum alii atomis, alii quatuor elementis, in quibus ad efficienda omnia ignis prævaleret, principia rerum darent; quis non videret stultorum abundantiam corpori deditam, cum incorpoream potentiam conditricem rerum nequaquam valeret intueri, in quorum potiùs suffragium raperetur?

19. Restabat pars rationalium quæstionum. Nosti enim quidquid propter adipiscendam sapientiam quæritur, aut de moribus, aut de natura, aut de ratione quæstionem habere. Cum ergo Epicurei numquam sensus corporis falli dicerent, Stoici autem falli aliquando concederent, utrique tamen regulam comprehendendæ veritatis in sensibus ponerent; quis istis contradicentibus audiret Platonicos? Quis non modò in sapientium, sed omninò in hominum numero habendos putaret, si ab eis promptè diceretur, non solum esse aliquid, quod neque tactu corporis, neque olfactu, vel gustatu, neque his auribus aut oculis percipi possit, neque omninò talium rerum, quæ ita sentirentur, aliqua imaginatione cogitari; sed id solum verè esse, atque id solum posse per-

cipi, quia incommutabile & sempiternum est; percipi autem sola intelligentia, qua una veritas, quomodò adtingi potest, adtingitur?

20. Cum ergo talia sentirent Platonicis, quæ neque docerent carni deditos homines, neque tanta essent auctoritate apud populos, ut credenda persuaderent, donec ad eum habitum perduceretur animus, quo ista capiuntur, elegerunt occultare sententiam suam, & contra eos disserere, qui verum se invenisse jactarent, cum inventionem ipsam veri in carnis sensibus ponerent. Et eorum quidem consilium quale fuerit, quid adinet quærere? divinum certè, vel divina aliqua auctoritate præditum non fuit. Tantùm illud adtende, quoniam Plato à Cicerone multis modis apertissimè ostenditur, in sapientia non humana, sed planè divina, unde humana quodammodò accenderetur, in illa utique sapientia prorsus immutabili, atque eodem modo semper se habente^a veritate, constituisse & finem boni, & causas rerum, & ratiocinandi fiduciam: oppugnatos autem esse nomine Epicureorum & Stoicorum à Platonicis eos, qui in corporis vel in animi natura ponerent & finem boni, & causas rerum, & ratiocinandi fiduciam: eò rem successione temporum esse devolutam, ut christianæ jam ætatis exordio, cum rerum invisibilium atque æternarum fides per visibilia miracula salubriter prædicaretur hominibus, qui nec videre nec cogitare aliquid præter corpora poterant, beato apostolo Paulo, qui eandem fidem gentibus præseminabat, idem

F 3

ip-

^a Lov. veritatem constituisse. At editiones allæ & MSS. propè omnes habent, veritate.

ipsi Epicurei & Stoici in Actibus Apostolorum contradixisse inveniuntur.

21. Qua in re satis mihi videtur demonstratum esse, errores gentium, sive de moribus, sive de natura rerum, sive de ratione investigandæ veritatis, qui quamvis essent multi atque multiplices, in his tamen maximè duabus sectis eminebant, expugnantibus doctis & tanta disserendi subtilitate atque copia subvertentibus, durasse tamen usque in tempora christiana. Quos jam certè nostra ætate sic obmutuisse conspicimus, ut vix jam in scholis rhetorum commemoretur tantum, quæ fuerint illorum sententiæ: certamina tamen etiam de loquacissimis græcorum gymnasiis eradicta atque compressa sunt, ita ut si qua nunc erroris secta contra veritatem, hoc est, contra Ecclesiam Christi emerit, nisi nomine cooperta christiano, ad pugnandum prosilire non audeat. Ex quo intelligitur ipsos quoque platonice gentis philosophos, paucis mutatis, quæ christiana improbat disciplina, invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, & intelligere Verbum Dei homine indutum, qui iussit, & creditum est, quod illi vel proferre metuebant.

22. Hujc te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam, & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares hoc dicerem; non quòd alia non sint præcepta, quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia, quæcumque bene facimus, & præcesserit, & comitentur, & consecuta fuerit, & proposita quam in-

tuea-

tueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. VITIA quippe cetera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut rethor * ille nobilissimus cum interrogatus esset, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse; cum quæreretur quid secundò, eandem pronuntiationem; quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: ita si interrogares, & quoties interrogares de præceptis christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi fortè alia dicere necessitas cogeret.

23. HUIC humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster Jesus Christus, ut doceret humiliatus est: huic, inquam, maximè adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, & cetera hujusmodi, ut docti eruditique videamur, cum hoc à vera doctrina, & eruditione longè absit. Qui enim didicerit Deum non distendi aut diffundi per locos, neque finitos neque infinitos, quasi in aliqua parte major sit, in aliqua minor, sed totum ubique esse præsentem, sicut veritatem, cujus nemo sobriè dicit partem esse in isto loco, & partem in illo, quoniam veritas utique Deus est; nequaquam eum movebit quod de infinito aère sensit, quicumque sensit, quòd ipse Deus esset. Quid ad illum, si nesciat quam dicant isti corporis formam; eam quippe dicunt quæ undique finita sit: & utrum

* Demosthenes.

CAPUT IV

Anaximenes de Deo sententia.

F 4

re-

* Lib. I. de
Nat. Deo-
rum.

b

refellendi causa, tamquam Academicus, Ana-
ximeni Cicero * objecerit, b formam & pul-
chritudinem Deum habere oportere, quasi cor-
poream speciem cogitans, quia ille corporeum
Deum esse dixerat, aër enim corpus est; an
ipse sentiebat esse formam, & pulchritudinem
incorpoream veritati, qua ipse animus infor-
matur, & per quam omnia sapientis facta pul-
chra esse judicamus, ut non tantum refellendi
gratia, sed etiam verissimè dixerit, quod
Deum pulcherrima specie deceat esse, quia
nihil est pulchrius ipsa intelligibili atque in-
commutabili veritate? Quod autem ait ille, gigni
aërem, quem tamen Deum esse censebat,
nullo modo movet hunc virum, qui intelligit
non sicut aër gignitur, id est, aliqua causa ut
sit efficitur, cum omnino Deus non sit, ita
genitum esse Verbum Dei, Deum apud Deum,
sed longè alio modo, quem nemo, nisi c cui
ipse Deus inspiravit, intelligit. Illum autem
etiam in ipsis corporalibus desipere quis non
videat, cum aërem gigni dicat, & Deum ve-
lit; eum autem à quo aër gignitur, non enim
à nullo gigni potest, non dicat Deum? Cum
autem dicitur aër esse semper in motu, nequa-
quam conturbabit hominem, ut propterea il-
lum Deum putet, qui novit omnis corporis
motum inferiorem esse, quam est motus ani-
mi; motum autem animi longè pigriorem,
quam

b Verba Ciceronis, quæ hic versantur, isthæc sunt:
Post Anaximenes aëra Deum statuit, eum gigni, esse-
que immensum & infinitum, & semper in motu: quasi
aut aër sine ulla forma Deus esse possit, cum præser-
tim Deum non modò aliqua, sed pulcherrima specie esse
deceat; aut non omne quod ortum sit, mortalitas conse-
quatur.

c MSS. Vaticani duo, nisi Deus & cui ipse inspiravit.

quam est motus summæ atque incommutabilis
Sapientiæ.

24. Item Anaxagoras, sive quilibet, si Anaxago-
mentem dicit ipsam veritatem atque sapien-
tiam, quid mihi est de verbo cum homine
contendere? Manifestum est enim omnium
rerum descriptionem & modum ab illa fieri,
eamque non incongruè dici infinitam, non
per spatia locorum, sed per potentiam, quæ
cogitatione humana comprehendi non potest;
neque quod informe aliquid sit ipsa sapientia,
hoc enim corporum est, ut quæcumque infi-
nita fuerint, sint & informia. Cicero autem
studio refellendi, quantum videtur, propter
adversarios corporaliter sentientes negat infini-
to aliquid jungi posse, quia ex ea parte qua
quidquam adjungitur, necesse esse in corpo-
ribus aliquem finem. Idèò ait, non eum vidisse,
neque motum sensui junctum & conti-
nentem, id est, continua copulatione adhæ-
rentem, infinito, id est, infinitæ rei, ullum
esse posse, quasi de corporibus ageret, qui-
bus nihil jungi, nisi per fines locorum po-
test. Sic autem addidit: neque sensum omnino,
quo non tota natura pulsa sentiret; quasi
ille dixisset mentem illam ordinatricem, &
moderatricem rerum omnium habere sensum,
qualem habet anima per corpus. Nam mani-
festum est totam sentire animam, cum per
corpus aliquid sentit. Nam totam utique non
latet, quidquid illud est quod sentitur. Ad
hoc autem dixit totam naturam sentire, ut illi
quasi auferret, quod ait, mentem infinitam.
Quomodò enim tota sentit, si infinita est?
Sensus enim corporis ab aliquo loco incipit,
nec percurrit totum, nisi ad cuius finem per-
venerit; quod in infinito dici non potest. Sed
ne-

Anaxago-
ræ senten-
tia.

Lib. I. de
Nat. Deo-
rum.

neque ille de sensu corporis aliquid dixerat. Et aliter dicitur totum, quod incorporeum est, quia sine finibus locorum intelligitur, ut & totum & infinitum dici possit: totum, propter integritatem; infinitum, quia locorum finibus non ambitur.

Cicero *ibid.*

25. Deinde, inquit, si mentem ipsam quasi animal aliquod esse voluit, erit aliquid interius ex quo illud animal nominetur; ut mens ista quasi corpus sit, & habeat intus animam unde animal appelletur. Vide quemadmodum corporali consuetudine loquitur, quomodo solent videri animalia, propter sensum crassum, ut opinor, eorum, contra quos disserit: & tamen dixit rem, quæ illos, si evigilare possent, satis admoneret, omne quod sicut corpus vivum animo occurrat, magis animam habere & esse animal, quam animam esse cogitari oportere. Hoc est enim quod ait: erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. Sed adiungit: quid autem interius mente? Non ergo potest mens habere interiorem animam ut sit animal; quia ipsa est interior. Ergo corpus habeat extrinsecus, cui sit interior, ut si animal. Hoc est enim quod ait: cingitur igitur corpore externo: quasi Anaxagoras dixerit, nisi animalis alicujus esset, mentem esse non posse. Sic mentem ipsam summam sapientiam esse sentiebat, quæ nullius quasi animantis propria est, quia omnibus animis se frui valentibus veritas communiter præsto est. Et ideo vide quam urbanè concludat: Quod quoniam non placet, inquit, hoc est, non placet Anaxagoræ, ut illa mens, quam dicit Deum, cingatur corpore externo, quo animal esse possit, aperta simplexque mens nulla re adjuncta qua sentire
pos-

possit, id est, nullo corpore adjuncto per quod sentire possit, fugere intelligentiæ nostræ vim, & notionem videtur.

26. Nihil verius quam fugere hoc vim, & notionem intelligentiæ Stoicorum & Epicureorum, qui nisi corporalia cogitare non possunt. Quod autem ait, nostræ, humanæ intelligi voluit: & bene non ait, fugit, sed fugere videtur. Hoc enim illis videtur, neminem hoc posse intelligere, & ideo nihil tale esse arbitrantur: sed quorundam intelligentiam, quantum homini datum est, non fugit esse apertam simplicemque sapientiam atque veritatem, quæ nullius animantis sit propria, sed qua communiter omnis, quæ id potest anima, sapiens & verax efficitur. Quam si sensit esse Anaxagoras, eamque Deum esse vidit, mentemque appellavit, non solum nomen Anaxagoræ, quod propter litteratam vetustatem omnes, ut militariter loquar, a litterionibus libenter sufflant, nos doctos & sapientes non facit, sed ne ipsa quidem ejus cognitio, qua id verum esse cognovit. Non enim mihi propterea veritas cara esse debet, quia non lauit Anaxagoram, sed quia veritas est, etiamsi nullus eam cognovisset illorum.

27. Si igitur nec ejus hominis, qui verum forsitan vidit, cognitio nos inflare debet, ut ea quasi docti esse videamur; sed nec ipsius veri solida res, qua verè docti esse possumus; quanto minus eorum hominum, qui fal-

^a Editi, *litteriores*; MSS. quatuor, *litterationes*. Alii plures & mellioris notæ codices habent, *litteriones*: quo nomine Grammaticos contentim appellat Augustinus in lib. I. cont. Adversarium Legis c. 24.

^b Abest particula, *nec*, à duodecim MSS. & ab editis Bad. Am. & Er.

falsa senserunt, nomina & dogmata nostram possunt adjuvare doctrinam, & latentia cognita facere? Cùm si homines simus, magis nos contristari deceat tot & tam nobilitatorum hominum erroribus, si eos audire contigerit, quàm hæc propterea studiosè querere, ut inter eos, qui illa nesciunt, jactatione inanissima ventilemur. Quantò enim meliùs ne audissem quidem nomen Democriti, quàm cùm dolore cogitarem, nescio quem suis temporibus magnum putatum, qui deos esse arbitraretur imagines, quæ de solidis corporibus fluere, solidæque ipsæ non essent, easque hæc atque hæc motu proprio circumeundo atque illabendo in animos hominum facere ut vis divina cogitetur; cùm profectò illud corpus, unde imago fluere, quantò solidius est, tantò præstantius quoque esse judicetur? Ideoque fluctuavit ejus, sicut isti dicunt, nutavitque sententia, ut aliquando naturam quamdam, de qua fluere imagines, Deum esse diceret, qui tamen cogitari non posset, nisi per eas imagines quas fundit ac emittit, id est, quæ de illa natura, quam nescio, quam corpoream & sempiternam, ac etiam per hoc divinam putat, quasi vaporis ^c similitudine continua velut emanatione ferrentur, & venirent atque intrarent in animos nostros, ut deum vel deos cogitare possemus. Nullam enim aliam causam cujuslibet cogitationis nostræ opinantur isti, nisi cùm ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros: quasi non multa ac propè innumerabilia cogitentur incorporaliter atque intelligibiliter ab eis, qui talia cogitare noverunt, si-

c MSS. duodecim, vaporis similitudinem.

cut ipsa sapientia, & veritas. Quam si isti non cogitant, miror quomodò de illa utcumque disputent: si autem cogitant, vellem mihi dicerent, vel de quo corpore, vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis.

28. Quamquam Democritus etiam hoc distare in naturalibus quæstionibus ab Epicuro dicitur, quod iste sentit inesse concursioni atomorum vim quamdam animalem & spirabilem; qua vi eum credo & imagines ipsas divinitate præditas dicere, non omnes omnium rerum, sed deorum, & principia mentis esse universis, quibus divinitatem tribuit, & animantes imagines, quæ vel prodesse nobis soleant vel nocere. Epicurus verò neque aliquid in principis rerum ponit præter atomos, id est, corpuscula quædam tam minuta, ut jam dividi nequeant, neque sentiri, aut visu, aut tactu possint: quorum corpusculorum concursu fortuito, & mundos innumerabiles, & animantia, & ipsas animas fieri dicit, & deos quos humana forma non in aliquo mundo, sed extra mundos, atque inter mundos constituit; & non vult omnino aliquid præter corpora cogitare: quæ tamen ut cogitet, imagines dicit ab ipsis rebus, quas atomis formari putat, defluere, atque in animum introire subtiliores quàm sunt illæ imagines, quæ ad oculos veniunt. Nam & videndi causam hanc esse dicit, ingentes quasdam imagines, ita ut universum mundum complectantur extrinsecus. Intelligis autem jam, ut arbitror, quas isti opinentur imagines.

29. Miror non admonuisse Democritum vel hoc ipso falsa esse quæ dicit, quia veni-

2 Editi, spiritalem. At MSS. plerique, spirabilem.

Democriti
de Deo sen-
tentia.

UNIVERSIDAD

UNIV

D

AL DE

OTECAS



nientes tam magnæ imagines in tam brevem animum nostrum, si corporeus, ut illi volunt, tam parvo corpore includitur, totæ illum tangere non possunt. A magno enim corpore cum parvum corpus adtingitur, à toto simul adtingi nullo pacto potest: quomodò igitur totæ simul cogitantur, si in tantum cogitantur, in quantum venientes atque intrantes animum adtingunt, quæ nec totæ intrare possunt per tam parvum corpus, nec totæ tam parvum animum adtingere? Memento me secundum illos hæc dicere: non enim ego talem animum sentio: aut si incorporeum Democritus animum existimat, Epicurus quidem solus ista ratione urgeri potest: sed etiam ille quare non vidit, non opus esse, nec fieri posse, ut incorporeus animus adventu atque contactu corporearum imaginum ^a cogitet? De visu certè oculorum, ambo pariter redarguuntur: tam enim breves oculos tam grandia imaginum corpora tota adtingere nullo modo possunt.

30. Cum autem quæritur ab eis, quare una imago videatur corporis alicujus, à quo innumerabiliter imagines fluunt? respondent, eo ipso quo frequenter fluunt & transeunt imagines, quasi quadam earum constipatione & densitate fieri, ut ex multis una videatur. Quam vanitatem Cicero ita refellit, ut eo ipso neget æternum deum eorum posse cogitari, quo innumerabiliter fluentibus & labentibus imaginibus cogitatur. Et quoniam innumerabilitate atomorum suppeditante, dicunt fieri formas deorum sempiternas, cum ita discedant quædam corpuscula de divino corpore ut alia succedant, & dissolvi illam naturam eadem

^a Lov. cogitetur. Sed melius editi alii & MSS. cogitet.

dem successione non sinant: omnia ergo, inquit, æterna essent, quia nulli deest ista innumerabilitas atomorum, quæ perpetuas ruinas subinde suppleat. Deinde quomodò non vereatur iste deus ne intereat, cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturque atomorum incursione sempiterna? Pulsari enim dicit illud corpus, quod irruentibus atomis feriatur, & agitari, quod penetrretur: deinde cum ex ipso imagines, de quibus jam satis dictum est, semper affluant, quomodò potest de immortalitate confidere?

31. In quibus omnibus deliramentis hæc opinantium, illud præcipuè dolendum est, quod non sufficit ea narrari, ut nulla cujusquam disputatione adversante respuantur: sed acutissimorum hominum ingenia id etiam negotium susceperunt, ut copiosè ista refellerent, quæ statim dicta etiam à tardissimis derideri abjicique debuerunt. Si enim concesseris esse atomos, si concesseris etiam concursu fortuito seipsas pellere & agitare; num & illud eis fas est concedere, ut inter se atomi fortuito concurrentes, rem aliquam ita conficiant, ut eam forma ^a modificent, figura determinent, æqualitate poliant, colore illustrent, anima vegetent? Quæ omnia nullo modo nisi arte divinæ providentiæ fieri videt, quisquis magis mente quam oculis amat videre, idque ab eo expetit à quo factus est. Nam nec ipsas atomos esse ullo modo concedendum est, quod, ommissa subtilitate, quæ de divisione corporum à doctis traditur, videtur quam faciliè secundum ipsorum opinionem possit ostendi. Certè enim ipsi dicunt omnia quæ

sint

^a Sic Bad. Am. Er. & MSS. At. Lov. habent, adifcent.

sint naturæ, nihil esse aliud quàm corpora & inane, quæque his accidunt; quod credo motum & pulsum dicere, & consequentes formas. Dicant ergo, in quo genere ponant imagines, quas de corporibus solidioribus affluere putant, ipsas minimè solidas, ita ut tactu nisi oculorum cum videmus, & animi cum cogitamus, sentiri non possint, si & ipsa corpora sunt? Nam ita censent, ut exire a corpore & venire ad oculos, vel ad animum possint, quem nihilominus dicunt esse corporeum. Quæro, utrum etiam ab ipsis atomis affluant imagines? Si afflunt, quomodo jam sunt atomi, à quibus aliqua corpora separantur? Si non affluunt, aut potest aliquid sine imaginibus cogitari, quod vehementer nolunt; aut unde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt? Sed jam pudet me ista refellere, cum eos non pudeat ista sentire. Cum verò ausi sint etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.

CAPUT V.

32. CUM igitur tanta sit cæcitas mentium per illuviem peccatorum amoremque carnis, ut etiam ista sententiarum portenta otia doctorum contere disputando potuerint, dubitabis tu, Dioscore, vel quisquam vigilanti ingenio præditus, ullo modo ad sequendam veritatem meliùs consuli potuisse generi humano, quàm ut homo ab ipsa veritate susceptus ineffabiliter atque mirabiliter, & ipsius in terris personam gerens, recta præcipiendo, & divina faciendo, salubriter credi persuaderet, quod nondum prudenter posset intelligi? Hujus nos gloriæ servimus, huic te immobiliter atque constanter credere hortamur, per quem factum est, ut non pauci, sed populi etiam, qui

Intelligentia fidem sequitur.

qui non possunt ista dijudicare ratione, fide e credant, donec salutaribus præceptis adminiculati evadant ab his perplexitatibus in auras purissimæ atque sincerissimæ veritatis. Cujus auctoritati tantò devotius obtemperari oportet, quantò videmus nullum jam errorem se audere extollere ad congregandas sibi turbas imperitorum, qui non christiani nominis velamenta conquirat: eos autem solos * ex veteribus præter christianum nomen in conventiunculis suis aliquanto frequentius perdurare, qui Scripturas eas tenent, per quas annunciatum esse ipsum Dominum Jesum Christum, se intelligere & videre dissimulant. Porro illi, qui cum in unitate atque communionem catholicam non sint, christiano tamen nomine gloriantur, coguntur adversari credentibus, & audent imperitos quasi ratione traducere; quando maxime CUM ISTA MEDICINA Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, ut dixi, quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate catholica conferatur. Conantur ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed ille FIDEI IMPERATOR clementissimus, & per conventus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum, arce auctoritatis munivit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos & verè spirituales viros copiosissimis

* Judæos.

Tom. I. G mis
c. MSS. Vaticani quatuor, alique è nostris duodecim habent, fide irrideant; non ineptè, si referas ad philosophorum placita superius explicata. Sed etiam apta est lectio Lov. & allarum editionum, fide credant, scilicet id referendo ad ea, que Christus præcepit & fecit.

mis apparatus etiam invictissimæ rationis armavit. Verum illa rectissima disciplina est, in arcem fidei quam maximè recipi infirmos, ut pro eis jam tutissimè positus, fortissima ratione pugnetur.

33. Platonici verò, qui falsorum philosophorum erroribus illo tempore circumlitrantibus, non habentes divinam personam qua imperarent fidem, sententiam suam tegere querendam, quam pollendam proferre maluerunt, cum jam Christi nomen terrenis regnis admirantibus perturbatisque crebresceret, emergere coeperant, ad proferendum atque aperiendum quid Plato sensisset. Tunc Plotini schola Romæ floruit, habuitque discipulos multos acutissimos & solertissimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curiositate depravati sunt, aliqui Dominum Jesum Christum ipsius veritatis atque sapientiæ incommutabilis, quam conabantur adtingere, cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transierunt. Itaque totum culmen auctoritatis lumenque rationis in illo uno salutari nomine atque in una ejus Ecclesia, recreando atque reformando humano generi constitutum est.

34. Hæc me tibi diutissimè in hac epistola locutum, etsi alia fortè tu malles, omninò non poenitet. Probabis enim hæc magis, quantò magis in veritate proficies; & tunc probabis consilium meum, quod nunc utilitati studiorum tuorum minùs obsecutum putas. Quamquam etiam illis ipsis quæstionibus tuis, non solùm quibusdam in hac epistola, sed etiam ceteris penè omnibus in ipsis membranis, in quibus eas misisti, ut potui, breviter annotando responderim. In quibus si me parum, aut aliud quàm volebas egisse arbitraris, non

rec-

rectè cogitas, mi Dioscore, à quo nunc ista quæsieris. Oratoris autem librorumque de oratore omnes quæstiones pratermisi. Nescio quis enim nugator mihi esse visus sum, si eas exponendas persequerer. Nam de ceteris possem etiam decenter interrogari, si mihi quisquam res ipsas, non de libris Ciceronis, sed per seipsas tractandas dissolvendasque proferret. In illis autem res ipsæ nunc nostræ professioni minus congruunt. Hæc autem omnia non facerem, nisi me post ægritudinem, in qua eram cum homo tuus venisset, aliquantum ab Hippone removissem. Quibus item diebus perturbatione valetudinis febribusque repetitus sum. Indè factum est ut tardiùs, quàm possent, tibi hæc mitterentur. Quæ quomodò acceperis, rescripta flagito.



ADMONITIO
IN SEQUEM LIBRUM
DE MAGISTRO.

OPUSCULI sequentis ætatem prodit ipse ejus auctor in lib. 9. Confess. c. 6. ubi prænotato quòd annorum ferme quindecim erat Adeodatus, quando ipsi sociisque Mediolanum baptismi percipiendi causa pergentibus comes adjunctus est, testatur subinde hunc dialogum cum illo tum habitum fuisse, cum esset in annis sedecim, id est, anno secundo ab ipsorum baptismo, quo certè

G 2

ini-

mis apparatus etiam invictissimæ rationis armavit. Verum illa rectissima disciplina est, in arcem fidei quam maximè recipi infirmos, ut pro eis jam tutissimè positus, fortissima ratione pugnetur.

33. Platonici verò, qui falsorum philosophorum erroribus illo tempore circumlitrantibus, non habentes divinam personam qua imperarent fidem, sententiam suam tegere querendam, quam pollendam proferre maluerunt, cum jam Christi nomen terrenis regnis admirantibus perturbatisque crebresceret, emergere coeperant, ad proferendum atque aperiendum quid Plato sensisset. Tunc Plotini schola Romæ floruit, habuitque discipulos multos acutissimos & solertissimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curiositate depravati sunt, aliqui Dominum Jesum Christum ipsius veritatis atque sapientiæ incommutabilis, quam conabantur adtingere, cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transierunt. Itaque totum culmen auctoritatis lumenque rationis in illo uno salutari nomine atque in una ejus Ecclesia, recreando atque reformando humano generi constitutum est.

34. Hæc me tibi diutissimè in hac epistola locutum, etsi alia fortè tu malles, omninò non poenitet. Probabis enim hæc magis, quantò magis in veritate proficies; & tunc probabis consilium meum, quod nunc utilitati studiorum tuorum minùs obsecutum putas. Quamquam etiam illis ipsis quæstionibus tuis, non solùm quibusdam in hac epistola, sed etiam ceteris penè omnibus in ipsis membranis, in quibus eas misisti, ut potui, breviter annotando responderim. In quibus si me parum, aut aliud quàm volebas egisse arbitraris, non

rec-

rectè cogitas, mi Dioscore, à quo nunc ista quæsieris. Oratoris autem librorumque de oratore omnes quæstiones pratermisi. Nescio quis enim nugator mihi esse visus sum, si eas exponendas persequerer. Nam de ceteris possem etiam decenter interrogari, si mihi quisquam res ipsas, non de libris Ciceronis, sed per seipsas tractandas dissolvendasque proferret. In illis autem res ipsæ nunc nostræ professioni minus congruunt. Hæc autem omnia non facerem, nisi me post ægritudinem, in qua eram cum homo tuus venisset, aliquantum ab Hippone removissem. Quibus item diebus perturbatione valetudinis febribusque repetitus sum. Indè factum est ut tardiùs, quàm possent, tibi hæc mitterentur. Quæ quomodò acceperis, rescripta flagito.



ADMONITIO
IN SEQUEM LIBRUM
DE MAGISTRO.

OPUSCULI sequentis ætatem prodit ipse ejus auctor in lib. 9. Confess. c. 6. ubi prænotato quòd annorum ferme quindecim erat Adeodatus, quando ipsi sociisque Mediolanum baptismi percipiendi causa pergentibus comes adjunctus est, testatur subinde hunc dialogum cum illo tum habitum fuisse, cum esset in annis sedecim, id est, anno secundo ab ipsorum baptismo, quo certè

G 2

ini-

initiati fuere an. Ch. 387. Quapropter libris de Genesi contra Manich. & de Musica, qui circiter annum 389, perfecti fuerant, recensitis adiecit Augustinus in lib. 1. *Retract. c. 12. se librum de Magistro per idem tempus scripsisse.*

S. AUGUSTINUS LIB. 9.
CONFESS. CAP. 6.

ADJUNXIMUS etiam nobis puerum Adeodatum ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros.... Munera tua tibi confiteor. Est liber noster qui inscribitur *de Magistro*: ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia, quæ inse-
runtur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sedecim. Multa ejus alia mirabillora expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium.

LIB. I.
RETRACT. CAPUT XII.

Per idem tempus scripsi librum, cujus est titulus *de Magistro*: in quo disputatur, & quæritur, & invenitur, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud etiam quod in Evangelio scriptum est: *Unus est Magister vester Christus.* Hic liber sic incipit: *Quid tibi videmur efficere velle cum loquimur?*

Stat. 93.
c. 10.

S.

S. AURELI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE MAGISTRO

LIBER UNUS. *

* Scriptus
circiter an.
Chr. 389.

In quo de verborum vi atque officio disputatur copiose, quò demum non verbis quæ foris homo personat, sed æterna veritate intus docente scientiam rerum obtineri evincatur.

I. QUID tibi videmur efficere velle, cum loquimur? ADEODATUS. Quantum quidem mihi nunc occurrit, aut docere aut discere. AUGUSTINUS. Unum horum video & assentior: nam loquendo nos docere velle manifestum est; discere autem quomodo? AD. Quo tandem censes, nisi cum interrogamus? AUG. Etiam tunc nihil aliud quam docere nos velle intelligo. Nam quæro abs te, utrum ob aliam causam interrogas, nisi ut eum quem interrogas, doceas quid velis. AD. Verrum dicis. AUG. Vides ergo jam nihil nos locutione, nisi ut doceamus appetere. AD. Non planè video: nam si nihil est aliud loqui quam verba promere, video nos id facere cum cantamus. Quod cum soli sæpe facimus, nullo præsentate qui discat, non puto nos docere aliquid velle. AUG. At ego puto esse quoddam genus docendi per commemorationem, magnum sanè, quod in nostra hac

CAPUT I.
Locutio ad
quid instituta.

G 3

ser-

initiati fuere an. Ch. 387. Quapropter libris de Genesi contra Manich. & de Musica, qui circiter annum 389, perfecti fuerant, recensitis adiecit Augustinus in lib. 1. *Retract. c. 12. se librum de Magistro per idem tempus scripsisse.*

S. AUGUSTINUS LIB. 9.
CONFESS. CAP. 6.

ADJUNXIMUS etiam nobis puerum Adeodatum ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros.... Munera tua tibi confiteor. Est liber noster qui inscribitur *de Magistro*: ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia, quæ inse-runtur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sedecim. Multa ejus alia mirabillora expertus sum. Horreri mihi erat illud ingenium.

LIB. I.
RETRACT. CAPUT XII.

Per idem tempus scripsi librum, cujus est titulus *de Magistro*: in quo disputatur, & quæritur, & invenitur, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud etiam quod in Evangelio scriptum est: *Unus est Magister vester Christus.* Hic liber sic incipit: *Quid tibi videmur efficere velle cum loquimur?*

Stat. 93.
c. 10.

S.

S. AURELI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE MAGISTRO

LIBER UNUS. *

* Scriptus
circiter an.
Chr. 389.

In quo de verborum vi atque officio disputatur copiose, quò demum non verbis quæ foris homo personat, sed æterna veritate intus docente scientiam rerum obtineri evincatur.

I. QUID tibi videmur efficere velle, cum loquimur? ADEODATUS. Quantum quidem mihi nunc occurrit, aut docere aut discere. AUGUSTINUS. Unum horum video & assentior: nam loquendo nos docere velle manifestum est; discere autem quomodo? AD. Quo tandem censes, nisi cum interrogamus? AUG. Etiam tunc nihil aliud quam docere nos velle intelligo. Nam quæro abs te, utrum ob aliam causam interrogas, nisi ut eum quem interrogas, doceas quid velis. AD. Verum dicis. AUG. Vides ergo jam nihil nos locutione, nisi ut doceamus appetere. AD. Non planè video: nam si nihil est aliud loqui quam verba promere, video nos id facere cum cantamus. Quod cum soli sæpe facimus, nullo præsentate qui discat, non puto nos docere aliquid velle. AUG. At ego puto esse quoddam genus docendi per commemorationem, magnum sanè, quod in nostra hac

CAPUT I.
Locutio ad
quid instituta.

G 3

ser-

sermocinatione res ipsa indicabit. Sed si tu non arbitraris nos discere cum recordamur, nec docere illum qui commemorat, non resisto tibi: & duas jam loquendi causas constituo, aut ut doceamus, aut ut commemoremus vel alios vel nosmetipsos: quod etiam dum cantamus, efficimus: an tibi non videtur? AD. Non prorsus: nam rarum admodum est, ut ego cantem commemorandi me gratia, sed tantummodo delectandi. AUG. Video quid sentias. Sed nonne attendis, id quod delectat in cantu, modulationem quamdam esse soni; quæ quoniam verbis & addi & detrahi potest, aliud est loqui, aliud est cantare. Nam & tibiis & cithara cantatur, & aves cantant, & nos interdum sine verbis musicum aliquid sonamus, qui sonus cantus dici potest, locutio non potest: an quidquam est quod contradicas? AD. Nihil sanè.

2. AUG. Videtur ergo tibi, nisi aut docendi, aut commemorandi causa non esse institutam locutionem? AD. Videretur, nisi me moveret, quod dum oramus, utique loquimur; nec tamen Deum aut doceri aliquid à nobis, aut commemorari fas est credere. AUG. Nescire te arbitror non ob aliud nobis præceptum esse, ut in clausis cubiculis oremus, quo nomine significantur mentis penetralia, nisi quod Deus, ut nobis quod cupimus præstet, commemorari aut doceri nostra locutione non quærit. Qui enim loquitur, suæ voluntatis signum foras dat per articulatam sonum: Deus autem in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior vocatur, & quærendus & deprecandus est: hæc enim sua templa esse voluit. An apud Apostolum non legisti: *Nescitis quia templum Dei estis, &*

1. Cor. 3.
16.

spi-

spiritus Dei habitat in vobis, & in interiori homine habitare Christum? Nec in Propheta animadvertisti: *Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini: sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino?* Ubi putas sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis? Ubi autem sacrificandum est, ibi & orandum. Quare non opus est locutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi fortè, sicut sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, & consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum: an tu aliud existimas? AD. Omnino assentior. AUG. Non te ergo movet quod summus Magister cum orare doceret discipulos, verba quædam docuit, in quo nihil aliud videtur fecisse, quam docuisse, quomodo in orando loqui oporteret? AD. Nihil me omnino istud movet: non enim verba, sed res ipsas eos verbis docuit, quibus & se ipsi commonerent, à quo, & quid esset orandum, cum in penetralibus (ut dictum est) mentis orarent. AUG. Rectè intelligis: simul enim te credo animadvertere, etiam si quisquam contendat, quamvis nullum edamus sonum, tamen quia ipsa verba cogitamus, nos intus apud animum loqui; sic quoque locutione nihil aliud agere quam commonere, cum memoria, cui verba inherent, ea revolvendo facit venire in mentem res ipsas quarum signa sunt verba. AD. Intelligo ac sequor.

3. AUG. CONSTAT ergo inter nos verba signa esse. AD. Constat. AUG. Quid signum, nisi aliquid significet, potest esse signum? AD. Non potest. AUG. Quot verba sunt

G 4

Ephes. 3.
17.

Psal. 4. 5.

Matt. 6. 9.

CAPUT II.
Verborum
significatus
nonnisi
verbis ab
ho-

homine ostenditur.
Æneid. 2.

sunt in hoc versu : *Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui?* AD. Octo. AUG. Octo ergo signa sunt. AD. Ita est. AUG. Credo te hunc versum intelligere. AD. Satis arbitror. AUG. Dic mihi, quid singula verba significant. AD. Video quidem quid significet, *Si*; sed nullum aliud verbum, quo id exponi possit, invenio. AUG. Saltem illud invenis, quiddam significatur hoc verbo, ubinam sit? AD. Videtur mihi quod, *si*, dubitationem significet: jam dubitatio, ubi nisi in animo est? AUG. Accipio interim, persequere cetera. AD. *Nihil*, quid aliud significat, nisi id quod non est? AUG. Verum fortasse dicis: sed revocat me ab assentiendo quod superius concessisti, non esse signum nisi aliquid significet: quod autem non est, nullo modo esse aliquid potest. Quare secundum verbum in hoc versu non est signum, quia non significat aliquid; & falso inter nos constitit, quod omnia verba signa sint, aut omne signum aliquid significet. AD. Nimis quidem urges: sed quando non habemus quid significemus, omnino stultè verbum aliquod promissimus: tu autem nunc mecum loquendo, credo quod nullum sonum frustra emittis, sed omnibus quæ ore tuo erumpunt, signum mihi das ut intelligam aliquid: quapropter non te oportet istas duas syllabas enuntiare dum loqueris, si per eas non significas quidquam. Si autem vides necessariam per eas enuntiationem fieri, nosque doceri vel commoneri cum auribus insonant, vides etiam profectò quid velim dicere, sed explicare non possum. AUG. Quid igitur facimus? An affectionem animi quamdam cum rem non videt, & tamen non esse invenit, aut invenisse se putat,

tat, hoc verbo significari dicimus potius, quam rem ipsam quæ nulla est? AD. Istud ipsum est fortasse quod explicare moliebar. AUG. Transeamus ergo hinc quoquo modo se habet, ne res absurdissima nobis accidat. AD. Quæ tandem? AUG. Si nihil nos teneat, & moras patiamur. AD. Ridiculum hoc quidem est, & tamen nescio quomodo video posse contingere, immo planè video contingisse.

4. AUG. Suo loco genus hoc repugnantia, si Deus siverit, planius intelligemus: nunc ad illum versum te refer, & conare ut potes cetera ejus verba quid significant pandere. AD. Tertia præpositio est, *ex*, pro qua, *de*, possumus ut arbitror dicere. AUG. Non id quæro, ut pro una voce notissima aliam vocem æque notissimam, quæ idem significet dicas; si tamen idem significat: sed interim concedamus ita esse. Certè si poëta iste non, *ex tanta urbe*, sed, *de tanta*, dixisset, quæreremque abs te quid, *de*, significaret; diceres, *ex*, cum hæc duo verba essent, id est, signa, unum aliquid, ut tu putas, significantia: ego autem idipsum, nescio quid unum, quod his duobus signis significatur inquirō. AD. Mihi videtur secretionem quamdam significare ab ea re in qua fuerat aliquid, quod ex illa esse dicitur, sive illa non maneat, ut in hoc versu, non manente urbe, poterant aliqui ex illa esse Trojani: sive maneat, sicut ex urbe Roma dicimus esse negotiatores in Africa. AUG. Ut concedam tibi hæc ita esse, nec enumerem quàm multa fortasse præter hanc tuam regulam reperiantur: illud certè tibi attendere facile est, exposuisse te verbis verba, id est, signis signa, eisdemque notissimis notissima: ego autem illa ipsa quorum

rum hæc signa sunt, mihi si posses, vellem ut ostenderes.

CAPUT III.
An res ali-
qua mons-
trari abs-
que signo
possit.

5. AD. MIROR te nescire, vel potius simulare nescientem, responsione mea fieri quod vis omnino non posse: si quidem sermocinamur, ubi non possumus respondere nisi verbis. Tu autem res quæris eas, quæ quodlibet sint, verba certè non sunt, quas tamen ex me tu quoque verbis quæris. Prior itaque tu sine verbis quære, ut ego deinde ista conditione respondeam. AUG. Jure agis, fateor: sed si quærerem istæ tres syllabæ quid significant, cum dicitur, *paries*, nonnè posses digito ostendere, ut ego prorsus rem ipsam viderem, cujus signum est hoc trisyllabum verbum, demonstrante te, nulla tamen verba referente. AD. Hoc in solis nominibus quibus corpora significantur, si eadem corpora præsentia sint, fieri posse concedo. AUG. Num colorem corpus dicimus, an non potius quamdam corporis qualitatem? AD. Ita est. AUG. Cur ergo & hic digito demonstrari potest? An addis corporibus etiam corporum qualitates, ut nihilominus etiam istæ cum præsentibus sunt, doceri sine verbis possint? AD. Ego cum corpora dicerem, omnia corporalia intelligi volebam, id est, omnia quæ in corporibus sentiuntur. AUG. Considera tamen, utrum etiam hinc aliqua tibi excipienda sint. AD. Bene admones: non enim omnia corporalia, sed omnia visibilia dicere debui. Fateor enim sonum, odorem, saporem, gravitatem, calorem, & alia quæ ad ceteros sensus pertinent, quamquam sentiri sine corporibus nequeant, & propterea sint corporalia, non tamen digito posse monstrari. AUG. Numquamne vidisti, ut homines cum surdis ges-

gestu quasi sermocinentur, ipsique surdi non minus gestu vel quærant, vel respondeant, vel doceant, vel indicent aut omnia quæ volunt, aut certè plurima? Quod cum sit, non utique sola visibilia sine verbis ostenduntur, sed & soni, & sapores, & cetera hujusmodi. Nam & histriones totas in theatris fabulas sine verbis saltando plerumque aperiunt, & exponunt. AD. Nihil habeo quod contradicam, nisi quod illud, *ex*, non modò ego, sed nec ipse quidem saltator histrio tibi sine verbis quid significet posset ostendere.

6. AUG. Verum fortasse dicis: sed fingamus eum posse; non, ut arbitror, dubitas, quisquis ille motus corporis fuerit, quo mihi rem quæ hoc verbo significatur, demonstrare conabitur, non ipsam rem futuram esse, sed signum. Quare hic quoque non quidem verbo verbum, sed tamen signo signum nihilominus indicabit; ut & hoc monosyllabum, *ex*, & ille gestus, unam rem quamdam significant, quam mihi ego vellem non significando monstrari. AD. Quis potest quod quæris, oro te? AUG. Quomodò paries potuit. AD. Ne ipse quidem, quantum ratio progrediens docuit, ostendi sine signo potest. Nam & intentio digiti non est utique paries, sed signum datur, per quod paries possit videri. Nihil itaque video quod sine signis ostendi queat. AUG. Quid si ex te quærerem, quid sit ambulare, surgeresque & id ageres, nonnè re ipsa potius quam verbis ad me docendum, aut ullis aliis signis uteris? AD. Fateor ita esse, & pudet me rem tam in promptu positam non vidisse: ex qua etiam mihi millia rerum jam occurrunt, quæ ipsæ per se valeant, non per signa monstrari, ut edere, bi-

bere, sedere, stare, clamare, & innumerabilia cetera. AUG. Age nunc dic mihi, si omnino nesciens hujus verbi vim, abs te ambulante quærerem, quid sit ambulare, quomodo me doceres? AD. Id ipsum agerem aliquantò celerius, ut post interrogationem tuam aliqua novitate admoneris; & tamen nihil aliud fieret, quam id quod deberet ostendi. AUG. Scisne aliud esse ambulare, aliud festinare? Nam & qui ambulat, non statim festinat; & qui festinat, non continuo ambulat: dicimus enim & in scribendo, & in legendo, aliisque innumerabilibus rebus festinationem. Quare cum illud, quod agebas, celerius ageres post interrogationem meam, putarem ambulare nihil esse aliud quam festinare: id enim novi addideras; & ob hoc fallerer. AD. Fateor rem non posse nos monstrare sine signo, si cum id agimus interrogemur: si enim nihil addamus, putabit qui rogat nolle nos ostendere, contentoque se in eo quod agebamus perseverare. Sed si de his roget quæ agere possumus, nec eo tamen tempore quo agimus roget, possumus, post ejus interrogationem id agendo, re ipsa potius quam signo demonstrare quod rogat: nisi fortè loquentem me interroget, quid sit loqui: quidquid enim dixerò, ut eum doceam, loquar necesse est: ex quo secutus docebo, donec ei planum faciam quod vult, non recedens à re ipsa quam sibi voluit demonstrari, nec signa quærens quibus eam ostendam præter ipsam.

CAPUT IV.
An signa signis
monstrantur.

7. AUG. Acutissime omnino: quare vide utrum conveniat jam inter nos ea posse demonstrari sine signis, quæ aut non agimus cum interrogamur, & tamen statim agere possumus, aut ipsa signa fortè agimus. Cum enim

lo-

loquimur, signa facimus, de quo dictum est significare. AD. Convenit. AUG. Cum ergo de quibusdam signis quæratur, possunt signis signa monstrari: cum autem de rebus quæ signa non sunt, aut eas agendo post inquisitionem, si agi possunt, aut signa dando per quæ animadverti queant. AD. Ita est. AUG. In hac igitur tripartita distributione prius illud consideremus, si placet, quòd signis signa monstrantur: num enim sola verba sunt signa? AD. Non. AUG. Videtur ergo mihi loquendo nos aut verba ipsa signare verbis, aut alia signa, velut gestum cum dicimus, aut litteram; nam his duobus verbis quæ significantur, nihilominus signa sunt: aut aliquid aliud quod signum non sit, velut cum dicimus, lapis; hoc enim verbum signum est, nam significat aliquid, sed id quod eo significatur, non continuo signum est: quod tamen genus, id est, cum verbis ea quæ signa non sunt significantur, non pertinet ad hanc partem quam discutere proposuimus. Suscepimus enim considerare illud, quòd signis signa monstrantur, & partes in eo duas comperimus, cum aut eadem aut alia signa signis docemus vel commemoramus: an non tibi videtur? AD. Manifestum est.

8. AUG. Dic ergo signa quæ verba sunt, ad quem sensum pertineant. AD. Ad auditum. AUG. Quid gestus? AD. Ad visum. AUG. Quid cum verba scripta invenimus, num verba non sunt? an signa verborum verius intelliguntur? ut verbum sit quod cum aliquo significato articulata voce profertur; vox autem nullo alio sensu quam auditu percipi potest: ita fit ut cum scribitur verbum, signum fiat oculis, quo illud quod ad aures per-

pertinet, veniat in mentem. AD. Omnino assentior. AUG. Id quoque te arbitror assentiri, cum dicimus, nomen, significare nos aliquid. AD. Verum est. AUG. Quid tandem? AD. Id scilicet quod quidque appellatur, velut Romulus, Roma, virtus, fluvius, & innumerabilia cetera. AUG. Num ista quatuor nomina nullas res significant? AD. Immo aliquas. AUG. Num nihil distat inter hæc nomina, & eas res quæ his significantur? AD. Immo plurimum. AUG. Vellem abs te audire, quidnam id sit. AD. Hoc vel imprimis, quod hæc signa sunt, illa non sunt. AUG. Placetne appellemus, significabilia, ea quæ signis significari possunt & signa non sunt, sicut ea quæ videri possunt, visibilia nominamus, ut de his deinceps commodius disseramus? AD. Placet verò. AUG. Quid, illa quatuor signa quæ paulò antè pronuntiasti, nullone alio signo significantur? AD. Miror quòd jam mihi excidisse arbitraris, quòd ea quæ scribuntur, eorum quæ voce proferuntur, signorum signa esse comperimus. AUG. Dic inter ista quid distet? AD. Quòd illa visibilia sunt, hæc audibilia. Cur enim & hoc nomen non admittas, si admisimus significabilia? AUG. Prorsus admitto, & gratum habeo. Sed rursus quæro, quatuor hæc signa nullone alio signo audibili significari queant, ut visibilia recordatus es? AD. Hoc quoque recentius dictum recorder. Nam nomen responderam significare aliquid, & huic significationi quatuor ista subjeceram; & illud autem, & hæc, si quidem voce proferuntur, audibilia esse cognosco. AUG. Quid ergo inter audibile signum & audibilia significata, quæ rursus signa sunt, interest? AD. Inter illud quidem quod di-

dicimus, nomen, & hæc quatuor quæ significationi ejus subjecimus, hoc distare video, quòd illud audibile signum est signorum audibilibus: hæc verò audibilia quidem signa sunt, non tamen signorum, sed rerum partim visibilium, sicut est Romulus, Roma, fluvius; partim intelligibilium, sicut est virtus.

9. AUG. Accipio & probo: sed scisne omnia quæ voce articulata cum aliquo significato proferuntur, verba appellari? AD. Scio. AUG. Ergo & nomen verbum est, quandoquidem id videmus cum aliquo significato articulata voce proferri; & cum dicimus disertum hominem bonis verbis uti, etiam nominibus utique utitur; & cum seni domino apud Terentium servus retulit, *bona verba* *In Andria.* *quæso*, multa ille etiam nomina dixerat. AD. Assentior. AUG. Concedis igitur iis deabus syllabis quas edimus, cum dicimus, verbum, nomen quoque significari, & ob hoc illud hujus signum esse. AD. Concedo. AUG. Hoc quoque respondeas velim. Cum verbum signum sit nominis, & nomen signum sit fluminis, & flumen signum sit rei quæ jam videri potest, ut inter hanc rem & flumen, id est, signum ejus, & inter hoc signum & nomen quod hujus signi signum est dixisti, quid intersit; quid interesse arbitraris inter signum nominis, quod verbum esse comperimus, & ipsum nomen cujus signum est? AD. Hoc distare intelligo, quòd ea quæ significantur nomine, etiam verbo significantur; ut enim nomen est verbum, ita & flumen verbum est: quæ autem verbo significantur, non omnia significantur & nomine. Nam & illud, *Si*, quod in capite habet abs te propositus versus, & hoc, *ex*, de quo jam diu agentes in hæc du-

ce ratione pervenimus, verba sunt, nec tamen nomina; & talia multa inveniuntur. Quamobrè cum omnia nomina verba sint, non autem omnia verba nomina sint, planum esse arbitror quid inter verbum distet & nomen, id est, inter signum signi ejus quod nulla alia signa significat, & signum signi ejus quod rursus alia significat. AUG. Concedisne omnem equum animal esse, nec tamen omne animal equum esse? AD. Quis dubitaverit? AUG. Hoc ergo inter nomen & verbum, quod inter equum & animal interest. Nisi fortè ab assentiendo id te revocat, quod dicimus & alio modo verbum, quo significantur ea quæ per tempora declinantur, ut scribo scripsi, lego legi; quæ manifestum est non esse nomina. AD. Dixisti omnino quod me dubitare faciebat. AUG. Ne te istud moveat. Dicimus enim & signa universaliter omnia quæ significant aliquid, ubi etiam verba esse invenimus. Dicimus item signa militaria, quæ jam propriè signa nominantur, quo verba non pertinent. Et tamen si tibi dicerem, ut omnis equus animal, non autem omne animal equus est, ita omnè verbum signum, non autem omne signum verbum est, nihil (ut opinor) dubitares. AD. Jam intelligo, & prorsus assentior, hoc interesse inter universale illud verbum & nomen, quod inter animal & equum.

10. AUG. Scisne etiam, cum dicimus animal, aliud esse hoc trisyllabum nomen, quod voce prolatum est, aliud id quod significatur? AD. Jam hoc supra concessi de omnibus signis & significabilibus. AUG. Num omnia signa tibi videntur aliud significare quàm sunt, sicut hoc trisyllabum cum dicimus, animal,

nul-

nullo modo idem significat quod est ipsum? AD. Non sanè: nam cum dicimus signum, non solum signa cetera quæcumque sunt, sed etiam se ipsum significat; est enim verbum, & utique omnia verba signa sunt. AUG. Quid in hoc dissyllabo cum dicimus, verbum, nonnè tale aliquid contingit? Nam si omne quod cum aliquo significato articulata voce profertur, hoc dissyllabo significatur, etiam ipsum hoc genere includitur. AD. Ita est. AUG. Quid, nomen nonnè similiter habet? Nam & omnium generum nomina significat, & ipsum nomen generis neutri nomen est. An si ex te quærerem, quæ pars orationis nomen, posses mihi respondere rectè nisi nomen? AD. Verum dicis. AUG. Sunt ergo signa quæ inter alia quæ significant, & se ipsa significant. AD. Sunt. AUG. Num tale tibi videtur hoc quadrissyllabum signum, cum dicimus, conjunctio? AD. Nullo modo: nam ea quæ significat, non sunt nomina; hoc autem nomen est.

11. AUG. BENE attendisti: nunc illud vide, utrum inveniatur signa, quæ se invicem significant, ut quemadmodum hoc ab illo, sic illud ab hoc significetur: non enim ita sunt inter se hoc quadrissyllabum, cum dicimus, conjunctio, & illa quæ ab hoc significantur, cum dicimus, si, vel, nam, namque, nisi, ergo, quoniam, & similia: nam hæc illo uno significantur, nullo autem horum unum illud quadrissyllabum significatur. AD. Video, & quænam signa sint se invicem significantia, cupio cognoscere. AUG. Tu ergo nescis, cum dicimus, nomen & verbum, duo verba nos dicere. AD. Scio. AUG. Quid illud, nescis cum dicimus, nomen & verbum, duo nomina nos dicere? AD. Id quoque scio. AUG.

Tom. I.

H

Scis

CAPUT V.
Signa mutua.

Scis igitur tam nomen verbo, quam etiam verbum nomine significari. AD. Assentior. AUG. Potesne dicere, excepto eo quod diversè scribuntur & sonant, quid inter se differant? AD. Possum fortasse; nam id esse video quod paulò antè dixi. Verba enim cum dicimus, omne quod articulata voce cum aliquo significato profertur, significamus; unde omne nomen, & ipsum cum dicimus nomen, verbum est: at non omne verbum nomen est, quamvis nomen sit, cum dicimus, verbum.

12. AUG. Quid si quisquam tibi affirmet & probet, ut omne nomen verbum est, ita omne verbum nomen esse; poterisne invenire quid distent, præter diversum in litteris sonum? AD. Non potero, nec omninò distare aliquid puto. AUG. Quid si omnia quidem, quæ voce articulata cum aliquo significato profertur, & verba sunt & nomina; sed tamen alia de causa verba, & alia de causa nomina sunt, nihilne distabit inter nomen & verbum? AD. Quomodo istud sit non intelligo. AUG. Hoc saltem intelligis, omne coloratum visibile esse, & omne visibile coloratum, quamvis hæc duo verba distinctè differenterque significant. AD. Intelligo. AUG. Quid si ergo ita & omne verbum nomen, & omne nomen verbum est, quamvis hæc ipsa duo nomina, vel duo verba, id est, nomen & verbum, differentem habeant significationem. AD. Jam video posse id accidere: sed quomodo id accidat, expecto ut ostendas. AUG. Omne quod cum aliquo significato articulata voce prorumpit, animadvertis, ut opinor, & aurem verberare, ut sentiri; & memoriæ mandari, ut nosci possit. AD. Animadverto. AUG. Duo ergo quædam contingunt, cum ali-

aliquid tali voce proferimus. AD. Ita est. AUG. Quid si horum duorum ex uno appellata sunt verba, ex altero nomina; verba scilicet à verberando, nomina verò à noscendo, ut illud primum ab auribus, hoc autem secundum ab animo vocari meruerit?

13. AD. Concedam cum ostenderis, quomodo rectè possimus omnia verba nomina dicere. AUG. Facile est: nam credo te accepisse ac tenere pronomen dictum; quod pro ipso nomine valeat, rem tamen notet minùs plena significatione quam nomen. Nam, ut opinor, definivit ille ita, quem grammatico reddidisti: pronomen est pars orationis, quæ pro ipso posita nomine, minùs quidem plenè, idem tamen significat. AD. Recordor & probō. AUG. Vides igitur secundum hanc definitionem nullis nisi nominibus servire, & pro his solis poni posse pronomina, velut cum dicimus: hic vir, ipse rex, eadem mulier, hoc aurum, illud argentum: hic, ipse, eadem, hoc, illud, pronomina esse; vir, rex, mulier, aurum, argentum, nomina, quibus plenius quam illis pronomibus res significatæ sunt. AD. Video & assentior. AUG. Tu ergo nunc mihi paucas conjunctiones quaslibet enuntia. AD. Et, que, at, atque. AUG. Hæc omnia quæ dixisti, nonnè tibi videntur esse nomina? AD. Non omninò. AUG. Ego saltem tibi rectè locutus videor, cum dicerem, Hæc omnia quæ dixisti? AD. Rectè prorsus; & jam intelligo quam mirabiliter ostenderis me nomina enuntiasse: non enim aliter de his rectè dici potuisset, Hæc omnia. Sed enim vereor adhuc, ne propterea mihi rectè locutus videaris, quod has quatuor conjunctiones etiam verba esse non nego; ut ideo de his rectè

dici potuerit, Hæc omnia, quoniam rectè dicitur, Hæc verba omnia. Si autem à me quæras quæ sit pars orationis, verba, nihil aliud respondebo quàm nomen. Quare huic nomini fortasse pronomen adjunctum est, ut illa recta esset locutio tua.

14. AUG. Acutè quidem falleris, sed ut falli desinas, acutiùs adtende quod dicam, si tamen id dicere, ut volo, valero: nam verbis de verbis agere tam implicatum est, quàm digitos digitis inserere & confricare; ubi vix dignoscitur, nisi ab eo ipso qui id agit, qui digiti pruriant, & qui auxilièntur prurientibus. AD. En toto animo adsum, nam ista hæc similitudo me intentissimum fecit. AUG. Verba certè sono, & litteris constant. AD. Ita est. AUG. Ergo ut ea potissimum auctoritate utamur, quæ nobis carissima est, cum ait Paulus Apostolus: *Non erat in Christo est & non, sed est in illo erat*, non opinor, putandum est tres istas litteras, quas enuntiamus cum dicimus, est, fuisse in Christo, sed illud potiùs quod istis tribus litteris significatur. AD. Verum dicis. AUG. Intelligis igitur eum qui ait, *Est in illo erat*, nihil aliud dixisse quàm, Est appellatur quod in illo erat, tamquam si dixisset, Virtus in illo erat; non utique aliud dixisse acciperetur, nisi virtus appellatur quod in illo erat: ne duas istas syllabas quas enuntiamus, cum dicimus, Virtus, & non illud quod his duabus syllabis significatur, in illo fuisse arbitraremur. AD. Intelligo ac sequor. AUG. Quid, illud nonnè intelligis etiam nihil interesse utrùm quisque dicat, virtus appellatur, an virtus nominatur? AD. Manifestum est. AUG. Ergo ita manifestum est, nihil interesse utrùm quis dicat, Est appellatur, an Est

2 Cor. I. 19.

1st 2nd &

Est nominatur quod in illo erat. AD. Video & hęc nihil distare. AUG. Jamne etiam vides quid velim ostendere? AD. Nondum sanè. AUG. Itane tu non vides nomen esse id, quo res aliqua nominatur? AD. Hoc planè nihil certius video. AUG. Vides ergo, Est, nomen esse, siquidem illud quod erat in illo, Est nominatur. AD. Negare non possum. AUG. At si ex te quærerem, quæ sit pars orationis, Est; non opinor nomen, sed verbum esse diceres, cum id ratio etiam nomen esse docuerit. AD. Ita est prorsus ut dicis. AUG. Num adhuc dubitas alias quoque partes orationis eodem modo, quo demonstravimus, nomina esse? AD. Non dubitò, quandoquidem fateor ea significare aliquid. Si autem res ipsæ quas significant, quid singulæ appellentur, id est, nominentur, interrogès, respondere non possum, nisi eas ipsas partes orationis, quas nomina non vocamus, sed, ut cerno, vocare convincimur.

15. AUG. Nihilne te movet, ne quis existat, qui nostram istam rationem labefactet, dicendo, Apostolo non verborum, sed rerum auctoritatem esse tribuendam; quamobrem fundamentum persuasionis hujus non tam esse firmum quàm putamus: fieri enim posse ut Paulus, quamquam vixerit præceperitque rectissimè, minùs tamen rectè locutus sit, cum ait: *Est in illo erat*; præsertim cum se ipse imperitum sermone fateatur? Quo tandem modo istum refellendum arbitraris? AD. Nihil habeo quod contradicam, & te oro ut aliquem de illis reperiatis, quibus verborum notitia summa conceditur, cujus auctoritate potiùs id quod cupis efficias. AUG. Minùs enim tibi videtur idonea, remotis auc-

H 3

to-

3 MSS. habent, *dixerit*, præceperitque.

2 Cor. II. 6.

toritatibus, ipsa ratio qua demonstratur omnibus partibus orationis significari aliquid, & ex eo appellari: si autem appellari, & nominari: si nominari, nomine utique nominari? Quod in diversis linguis facillimè judicatur. Quis enim non videat, si quæras quid Græci nomenclent quod nos nominamus, quis, responderi, τίς: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, volo, responderi, θέλω: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, bene, responderi, καλῶς: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, scriptum, responderi, τὸ γεγραμμένον: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, &, responderi, καί: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, ab, responderi, ἀπό: quid Græci nomenclent quod nos nominamus, heu, responderi, οἶ; atque in his omnibus partibus orationis, quas nunc enumeravi, rectè loqui eum qui sic interroget, quod, nisi nomina essent, fieri non posset? Hac ergo ratione Paulum Apostolum rectè locutum esse, cùm remotis omnium eloquentium auctoritatibus obtinere possimus, quid opus est quærare cujus persona sententia nostra fulciatur?

16. Sed ne quis tardior aut impudentior nondum cedit, asseratque, nisi illis auctoribus, quibus verborum leges consensu omnium tribuuntur, nullo modo esse cessurum; quid in latina lingua excellentius Cicerone inveniri potest? At hic in suis nobilissimis orationibus, quas Verrinas vocant, coram, præpositionem, sive illo loco adverbium sit, nomen appellavit. Verumtamen quia fieri potest, ut ego illum locum minùs bene intelligam, exponaturque aliàs aliter, vel à me vel ab alio; est ad quod responderi posse nihil puto. Tradunt

dunt enim nobilissimi disputationum magistri, nomine & verbo plenam constare sententiam, quæ affirmari negarique possit: quod genus idem Tullius quodam loco pronuntiatum vocat: & cùm verbi tertia persona est, nominativum cum ea cassum nominis ajunt esse oportere; & rectè ajunt: quod mecum si consideres, velut cùm dicimus, homo sedet, equus currit, agnoscis, ut opinor, duo esse pronuntiatia. AD. Agnosco. AUG. Cernis in singulis singula esse nomina, in uno homo, in altero equus; & verba singula, in uno sedet, in altero currit? AD. Cerno. AUG. Ergo si dicerem, sedet tantum, aut currit tantum, rectè à me quærerès, quis, vel quid; ut responderem, homo, vel equus, vel animal, vel quodlibet aliud, quo possit nomen redditum verbo implere pronuntiatum, id est, illam sententiam quæ affirmari & negari potest. AD. Intelligo. AUG. Adtende cetera, & finge nos videre aliquid longius, & incertum habere, utrum animal sit an saxum, vel quid aliud, meque tibi dicere: Quia homo est, animal est; nonnè temere dicerem? AD. Temere omninò: sed non temere planè dicerès: Si homo est, animal est. AUG. Rectè dicis. Itaque in locutione tua placet mihi, si; placet & tibi: utriusque autem nostrum in mea displicet, quia. AD. Assentior. AUG. Vide jam utrum istæ duæ sententiæ plena pronuntiatia sint: placet, si; displicet, quia. AD. Plena omninò. AUG. Ago nunc, dic mihi, quæ ibi sint verba, quæ nomina. AD. Verba ibi video esse, placet, & displicet: nomina verò quid aliud quàm, si; &, quia? AUG. Has ergo duas conjunctiones etiam nomina esse satis probatum est. AD. Prorsus satis. AUG. Potesne ipse per te in aliis

partibus orationis hoc idem ad eandem regulam docere? AD. Possum.

CAPUT VI.
Signa sui
significati-
va.

17. AUG. TRANSEAMUS ergo hinc, & jam dic mihi, utrum sicut omnia verba nomina, & omnia nomina verba esse comperimus, ita tibi & omnia nomina vocabula, & omnia vocabula nomina esse videantur. AD. Planè inter hæc quid distet, præter diversum syllabarum sonum non video. AUG. Nec ego interium resisto, quamquam non desint, qui etiam significatione ista discernunt, quorum sententiam modò considerare non opus est. Sed certè animadvertis ad ea jam signa nos pervenisse, quæ se invicem significant, nulla præter sonum distantia, & quæ se ipsa significant cum ceteris omnibus partibus orationis. AD. Non intelligo. AUG. Non ergo intelligis, & nomen vocabulo, & vocabulum nomine significari; & ita ut præter sonum litterarum nihil intersit, quantum ad generale nomen pertinet: nam & speciale nomen dicimus, quod inter octo partes orationis ita est, ut alias septem non contineat. AD. Intelligo. AUG. At hoc est quod dixi, se invicem significare vocabulum & nomen.

18. AD. Teneo, sed quæro, quid dixeris, cum etiam se ipsa significant cum aliis partibus orationis. AUG. Nonnè superior ratio docuit nos, omnes partes orationis, & nomina posse dici & vocabula, id est, & nomine & vocabulo posse significari? AD. Ita est. AUG. Quid ipsum nomen, id est, sonum istum duabus syllabis expressum, si ex te queram quid appelles, nonnè rectè mihi respondebis, nomen? AD. Rectè. AUG. Num ita se significat hoc signum quod quatuor syllabis enuntiamus cum dicimus, conjunctio? Hoc enim

no-

nomen inter illa quæ significat, numerari non potest. AD. Rectè accipio. AUG. Id est quod dictum est, nomen se ipsum significare cum aliis quæ significat; quod etiam de vocabulo licet per te ipsum intelligas. AD. Jam facilè est: sed illud mihi nunc venit in mentem, nomen & generaliter & specialiter dici; vocabulum autem inter octo partes orationis non accipi: quare hoc quoque inter se præter diversum sonum differre arbitror. AUG. Quid, nomen, & *ὄνομα* distare inter se aliquid putas præter sonum, quo etiam linguæ discernuntur latina atque græca? AD. Hic verò nihil aliud intelligo. AUG. Perventum est ergo ad ea signa, quæ & se ipsa significant, & aliud ab alio invicem significetur, & quidquid ab uno, hoc & ab alio; & nihil præter sonum inter se differant: nam hoc quartum modò invenimus: tria enim superiora, & de nomine & verbo intelliguntur. AD. Omnino perventum.

19. AUG. JAM quæ sermocinando invenimus velim recenseas. AD. Faciam quantum possum. Nam primò omnium recorder aliquamdiu nos quæsisse quam ob causam loquamur, inventumque esse docendi commemorandive gratia nos loqui, quandoquidem nec cum interrogamus, aliud agimus quam ut ille qui interrogatur, discat quid velimus audire; & in cantando, quod delectationis causa facere videmur, non sit proprium locutionis; in orando Deo, quem doceri aut commemorari existimare non possumus, id verba valeant, ut vel nos ipsos commonefaciamus, vel alii commoneantur doceanturve per nos. Deinde cum satis constitisset verba nihil aliud esse quam signa; ea verò quæ non aliquid significant, signa

CAP. VII.
Epitogus
precedentium
capitulum.

®

na

na esse non posse, proposuisti verbum, cuius verba singula quid significarent, conarer ostendere: is autem erat: *Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui.* Cujus secundum verbum quamvis notissimum & manifestissimum, quid tamen significaret, non reperiebamus. Cumque mihi videretur non frustra nos id in loquendo interponere, sed quod eo aliquid doceamus audientem, ipsam mentis affectionem, cum rem quam quærit, non esse invenit, vel invenisse se putat, hoc verbo fortasse indicari, respondisti tu quidem; sed tamen nescio quam profunditatem quæstionis joco evitans, in aliud tempus illustrandum distulisti, nec me debiti quoque tui oblitum putes. Inde tertium in versu verbum cum satagerem exponere, urgebar abs te, ut non verbum aliud, quod idem valeret, sed rem ipsam potius quæ per verba significaretur ostenderem. Cumque id sermocinantibus nobis fieri non posse dixissem, ventum est ad ea, quæ interrogantibus digito monstrantur. Hæc ego corporalia esse omnia arbitrabar, sed invenimus sola visibilia. Hinc nescio quomodo ad surdos & histriones devenimus, qui non sola quæ videri possunt, sed multa præterea ac prope omnia quæ loquimur, gestu sine voce significant, eosdem tamen gestus signa esse ceperimus. Tum rursus quærere coepimus, quomodo res ipsas quæ signis significantur, sine ullis signis valeremus ostendere, cum & ille paries, & color, & omne visibile, quod intentione digiti ostenditur, signo quodam vinceretur ostendi. Hic ego errans cum inveniri tale nihil posse dixissem, tandem inter nos constitit, ea posse demonstrari sine signo, quæ cum à nobis quæruntur, non agimus, &

post

post inquisitionem agere possumus; locutionem tamen ex eo non esse genere: si quidem & loquentes cum interrogamur, quid sit locutio, istam per se ipsam demonstrare facile esse satis apparuit.

20. Ex quo admoniti sumus aut signis signa monstrari, aut signis alia quæ signa non sunt, aut etiam sine signo res quas agere post interrogationem possumus: horumque trium primum diligentius considerandum discutendumque suscepimus. Qua disputatione declaratum est, partim esse signa, quæ ab eis signis quæ significarent, significari vicissim non possent, ut est hoc quadrisyllabum cum, conjunctio, dicimus: partim quæ possent, ut cum dicimus, signum, etiam verbum significamus; & cum dicimus, verbum, etiam signum significamus; nam signum & verbum, & duo signa, & duo verba sunt. In hoc autem genere, quo invicem se signa significant, quædam non tantum, quædam tantum, quædam verò etiam idem valere monstratum est. Etenim hoc disyllabum, quod sonat cum dicimus, signum, prorsus omnia quibus quidque significatur significat: non autem omnium signorum signum est cum dicimus, verbum, sed tantum eorum quæ articulata voce proferuntur. Unde manifestum est, quamvis & verbum signo, & signum verbo, id est, & duæ istæ syllabæ illis, & illæ istis significantur, plus tamen signum valere quàm verbum, plura scilicet illis duabus syllabis, quàm istis significantibus. Tantundem autem valet generale verbum, & generale nomen. Docuit enim ratio omnes partes orationis etiam nomina esse, quòd & pronomina his addi possunt, & de omnibus dici potest quòd aliquid nominent, & nulla earum sit, quæ non verbo

ad-

adjuncto pronuntiatum possit implere. Sed cum tantumdem valeant nomen & verbum, eo quod omnia quæ verba sunt, sint etiam nomina; non tamen idem valent. Alia quippe de causa verba, & alia nomina nuncupari, satis probabiliter disputatum est. Siquidem alterum horum ad auris verberationem, alterum ad animi commemorationem notandam esse compertum, vel ex hoc intelligi potest, quod in loquendo rectissime dicimus, quod est huic rei nomen, rem memoriæ mandare cupientes; quod est autem huic rei verbum, dicere non solemus. Quæ verò non solum tantumdem, sed etiam idem omnino significant, & inter quæ nihil præter litterarum distet sonum, nomen & *ὄνομα* invenimus. Illud sanè mihi elapsum erat in hoc genere, in quo invicem se significant, nullum nos signum comperisse, quod non inter cetera quæ significat, se quoque significet. Hæc quantum potui recordatus sum. Tu jam videris, quem nihil puto in hoc sermone nisi scientem certumque dixisse, utrum ista bene ordinatèque digesserim.

CAP. VIII.
Non frustra hæc disputari. Item signis auditis animum ut interroganti respondeatur ad res significatas esse referendum.

21. AUG. SATIS tu quidem memoriter omnia quæ vellem recolui, & ut tibi fatear, multo evidentius mihi nunc videntur ista distincta, quam cum ea inquirendo ac disserendo de nescio quibus latebris ambo erueremus. Sed quoniam tantis ambagibus tecum pervenire moliar, difficile dictu est hoc loco. Tu enim fortasse aut ludere nos, & à seriis rebus avocare animum, quasi quibusdam puerilibus quæstiunculis, arbitraris, aut parvam vel mediocrem aliquam utilitatem requirere; aut si magnum quiddam parturire istam disputationem suspicaris, jamjamque id scire sive saltem audire desideras. Ego autem credas velim,

nc-

neque me vilia ludicra hoc instituisse sermone, quamvis fortasse ludamus, idque ipsum tamen non puerili sensu æstimandum sit; neque parva bona vel mediocria cogitare. Et tamen si dicam, vitam esse quamdam beatam, eandemque sempiternam, quò nos Deo duce, id est, ipsa veritate, gradibus quibusdam infirmo gressui nostro accommodatis perducere cupiam, vereor ne ridiculus videar, qui non rerum ipsarum quæ significantur, sed consideratione signorum tantam viam ingredi cœperim. Dabis igitur veniam, si præludo tecum non ludendi gratia, sed exercendi vires & mentis aciem, quibus regionis illius, ubi beata vita est, calorem ac lucem non modo sustinere, verum etiam amare possimus. AD. Perge potius ut cœpisti: nam numquam ego contemnenda putem, quæ tu dicenda vel agenda putaveris.

22. AUG. Age jam ergo illam partem consideremus, cum signis non alia signa significantur, sed ea quæ significabilia vocamus. Et primum dic mihi, utrum homo, homo sit. AD. Nunc verò an ludas nescio. AUG. Quid ita? AD. Quia quærendum ex me censes, utrum homo aliud sit quam homo. AUG. Ita credo te illud arbitraris, si etiam quærerem utrum prima hujus nominis syllaba aliud sit quam, ho, & aliud secunda quam, mo. AD. Ita omnino. AUG. At istæ duæ syllabæ conjunctæ, homo est: an negabis? AD. Quis neget? AUG. Quæro ergo, num tu duæ istæ syllabæ conjunctæ sis? AD. Nullo modo: sed video quò tendas. AUG. Dicit ergo, ne me contumeliosum putes. AD. Concludi existimas, quod homo non sim? AUG. Quid, tu non idem existimas, quia omnia superiora ex quibus hoc confectum est, vera esse concedis? AD. Non tibi ego dicam

cam quid existimem, nisi prius abs te audiero, cum quæreses utrum homo, homo sit, de duabus istis syllabis, an de re ipsa quam significant, me interrogaveris? AUG. Tu potius responde ex qua parte acceperis interrogationem meam: nam si est ambigua, prius hoc cavere debuisti, neque mihi respondere antequam certus fieres, quonam modo rogaverim. AD. Quid enim me impediret hæc ambiguitas, cum ego ad utrumque responderim; homo enim prorsus homo est: nam & istæ duæ syllabæ nihil aliud sunt quam istæ duæ syllabæ, & id quod significant, nihil aliud est, quam id quod est. AUG. Scitè hoc quidem: sed cur hoc solum quod dictum est homo, non etiam cetera quæ locuti sumus, ad utrumque accepisti? AD. Unde enim convincor quod & cetera non sic acceperim? AUG. Ut alia omitam, eam ipsam primam rogationem meam, si totam ex ea parte accepisses, qua syllabæ sonant, nihil mihi respondisses; possem tibi enim videri nihil etiam interrogasse: nunc verò cum tria verba sonuerim, quorum unum in medio repetivi dicens: utrum homo homo sit, primum & ultimum verbum, non secundum ipsa signa, sed secundum ea quæ his significantur te accepisse vel hoc solo manifestum est, quod statim certus ac fidens rogationi respondendum putasti. AD. Verum dicis. AUG. Cur ergo id tantum quod in medio positum est, & secundum id quod sonat, & secundum id quod significat, te accipere libuit? AD. Ecce jam totum ex ea tantum parte qua significantur accipio: assentior enim tibi, sermocinari nos omnino non posse, nisi auditis verbis ad ea feratur animus, quorum ista sunt signa. Quare ostende, nunc quomodo ista ratiocinatione deceptus sim, qua me ho-

hominem non esse concluditur. AUG. Immo eadem rursus interrogabo, ut ipse invenias ubi lapsus sis. AD. Bene facis.

23. AUG. Illud ergo quod primo quæsieram, quia jam dedisti, non quæram. Vide igitur diligentius, utrum syllaba, ho, nihil aliud sit quam, ho; & utrum, mo, nihil aliud sit quam, mo. AD. Hic prorsus nihil aliud video. AUG. Vide etiam num istis duabus junctis, homo, fiat. AD. Nequaquam hoc concesserim: placuit enim, & rectè placuit, signo dato, id quod significatur adtendere, & ex ejus consideratione vel dare, vel negare quod dicitur. Illæ autem separatim enunciatae syllabæ, quia sine ulla significatione sonuerunt, hoc eas esse quod sonuere concessum est. AUG. Placet igitur, firmumque animo tenes, non respondendum esse interrogationibus, nisi ex iis rebus quæ verbis significantur. AD. Non intellico cur displiceat, si modò verba sint. AUG. Vellem scire quomodo illi resisteres, de quo jocantes solemus audire, quod ex ejus ore cum quo disputabat, leonem processisse concluderet. Cum enim quæsisset, utrum ea quæ loqueremur, nostro ore procederent, atque ille non potuisset negare, quod facile fuit, egit cum homine, ut in loquendo leonem nominaret: hoc ubi factum est, ridiculè insultare cepit, & premere, ut quoniam quidquid loquimur, ore nostro exire confessus erat, & leonem se locutum esse nequibat abnuere, homo non malus tam immanem bestiam videretur vomuisse. AD. Minimè verò erat arduum scurræ huic resistere; non enim concederem ore nostro exire quodcumque loquimur. Nam quæ loquimur, ea significamus: non autem quæ res significatur, sed signum quo significatur loquen-

quentis ore procedit, nisi cum ipsa signa significantur: quod genus paulo ante tractavimus.

24. AUG. Bene tu quidem hoc modo adversus illum esses paratus: verumtamen mihi quid respondebis, utrum homo nomen sit requirenti? AD. Quid nisi esse nomen? AUG. Quid cum te video, num nomen video? AD. Non. AUG. Visne igitur dicam quod sequitur? AD. Ne quaeso; nam mihi ipse renuntio, me hominem non esse, qui nomen esse responderim, cum homo utrum nomen esset inquireres: Jam enim placuerat, ex ea re quae significaretur, aut assentiri, aut negare quod dicitur. AUG. At mihi videtur non te frustra in hanc responsionem decidisse: nam vigilantiam tuam mentibus nostris indita ipsa lex rationis evicit. Nam si quaerem, quid esset homo, responderes fortasse, animal: si autem quaerem, quae pars orationis esset homo, nullo modo posses recte respondere nisi, nomen: quamobrem cum homo & nomen, & animal esse inveniat, illud dicitur ex ea parte qua signum est, hoc ex parte rei quam significat. Qui ergo quaerit, utrum homo nomen sit; nihil ei aliud quam esse respondeam: satis enim significat ex ea parte se velle audire, qua signum est. Si autem quaerit utrum animal sit, multo proclivius annuat: quoniam si tacens & nomen & animal, tantum quid esset homo requireret, placita illa loquendi regula ad id quod duabus syllabis significatur, animus curreret; neque quidquam responderetur nisi animal, vel etiam tota definitio diceretur, id est, animal rationale mortale: an tibi non videtur? AD. Prorsus videtur: sed cum esse nomen concesserimus, quomodo illam conclusionem nimis contumeliosam evitabimus, qua nos homines non

non esse conficitur? AUG. Quomodo putas, nisi docendo non ex ea parte illatam, qua interroganti assentiebamur. Aut si ex ea parte illam se fatetur inferre, nullo modo est formidanda: quid enim metuam hominem, id est, tres istas syllabas non esse me confiteri? AD. Nihil est verius. Cur ergo animum offendit, cum dicitur: Non es igitur homo; cum secundum illa concessa nihil verius dici potuerit? AUG. Quia non possum non putare ad id conclusionem referri, quod his duabus syllabis significatur, simul atque ista verba sonuerint, ea scilicet regula, quae naturaliter plurimum valet, ut auditis signis ad res significatas feratur intentio. AD. Accipio quod dicis.

25. AUG. JAM ergo intelligas volo, res quae significantur, plures quam signa esse pendendas. Quidquid enim propter aliud est, vilius sit necesse est, quam id propter quod est: nisi tu aliud existimas. AD. Videtur mihi non temere hic esse assentiendum: nam cum dicimus, coenum, longè hoc nomen arbitror rei quam significat antecellere. Quod enim nos offendit audientes, non ad ipsius verbi pertinet sonum; coenum enim nomen, mutata una littera, caelum est; inter illa verò quae his nominibus significantur, quantum distet videmus. Quamobrem nequaquam huic signo tribuerim, quod in re quam significat odimus; & propterea hoc illi jure antepono: libentius enim hoc audimus, quam ullo sensu illud attingimus. AUG. Vigilantissime omnino. Itaque falsum est, omnes res plures quam earum signa esse pendendas. AD. Ita videtur. AUG. Dic ergo mihi, quid arbitreris eos secutos esse, qui huic rei tam foedae atque aspernabili nomen indiderunt, vel utrum eos probes, an improbes?

Tom. I.

I

AD.

CAPUT IX.
An res quaeque, vel ejus cognitio pluris habenda sit quam ipsius signa.

AD. Ego verò illos nec probare, nec improbare audeo, nec quid fuerint secuti scio. AUG. Potesne saltem scire, quid tu sequaris, cum hoc nomen enuntias? AD. Hoc planè possum: nam significare volo, ut eum cum quo loquor, doceam vel admoneam de re illa, quod eum doceri vel admoneri oportere arbitror. AUG. Quid, ipsum docere aut admonere, sive doceri aut admoneri, quod vel tu exhibes commodè per hoc nomen, vel exhibetur tibi, nonne carius quam ipsum nomen habendum est? AD. Concedo ipsam scientiam, quæ per hoc signum evenit, eidem signo esse anteponendam: sed non ideo etiam rem ipsam puto.

26. AUG. In illa igitur sententia nostra, quamquam sit falsum, res omnes signis suis præponi oportere; non tamen falsum est, omne quod propter aliud est, vilius esse quam id propter quod est. Cognitio quippe cœni, propter quam hoc nomen est institutum, pluris habenda est ipso nomine, quod eidem cœno præponendum esse comperimus. Non enim ob aliud ista cognitio signo, de quo agimus, antelata est, nisi quia illud propter hanc, non hæc propter illud esse convincitur. Nam ita cum quidam vorator, ventrisque, ut ab Apostolo dicitur, cultor, diceret ideo se vivere, ut vesceretur; non tulit qui audiebat frugi homo: & Quanto, inquit, melius ideo vesceris ut viveres? ^a quod utique ex eadem ista regula locutus est. Nam neque alia de causa ille displicuit, nisi quod vitam suam tam parvi penderet, ut eam duceret gutturis voluptate viliores, dicendo se propter epulas vivere: neque

^a Ita MSS. At in editis, ut viverent; uterque tamen ex eadem &c.

que hic ob aliud jure laudatur, nisi quod in iis duobus quid propter quid fieret, hoc est, quid cui subjectum esset intelligens, cibandum potius ut vivamus, quam vivendum ut cibemur admonuit. Similiter & tu fortasse, & quilibet hominum non imperitè res æstimantium, dicenti cupiam loquaci amatorique verborum; Ideo doceo ut loquar; responderetis: Homo, cur non potius ideo loqueris ut doceas? Quod si hæc vera sunt, sicuti esse cognoscis, vides profectò quantum verba minoris habenda sint, quam id propter quod utimur verbis; cum ipse usus verborum jam sit verbis anteponendus: verba enim sunt ut his utamur; utimur autem his ad docendum. Quanto est ergo melius docere quam loqui, tanto melior est quam verba locutio. Multò ergo melior doctrina quam verba. Sed cupio audire, quid fortè contradicendum putes.

27. AD. Assentior quidem meliorem quam verba esse doctrinam; sed utrum adversus istam regulam qua dicitur: Omne quod propter aliud est, inferius esse quam id propter quod est, nihil sit quod objici possit, ignoro. AUG. Aliàs hoc opportuniùs, diligentiusque tractabimus: nunc illud quod concedis, satis est ad id quod conficere studeo. Das enim cognitionem rerum, quam signa rerum esse cariorem. Quamobrem cognitio rerum quæ significantur, cognitione signorum anteferenda est: an tibi non videtur? AD. Num ego cognitionem rerum cognitione signorum, ac non signis ipsis præstantiorem esse concessi? Quare vereor ut hîc tibi assentiar. Quid si enim ut cœnum nomen melius est ea re quam significat, ita & hujus nominis cognitio cognitioni quoque illius rei est anteponenda; quamvis ea cognitio-

ne sit ipsum nomen inferius? Quatuor quippe sunt: nomen, & res, cognitio nominis, & cognitio rei. Sicut ergo primum secundo, cur non & tertium quarto antecellat? Sed ut non antecellat, num etiam subjiendum est?

28. AUG. Mirè omninò te video & tenuisse quid concesseris, & explicasse quid senseris. Sed, ut opinor, intelligis hoc trisyllabum nomen, quod sonat cum dicimus, vitium, melius esse quàm id quod significat; cum ipsius cognitio nominis multò sit inferior cognitione vitiorum. Licet itaque constituas etiam ista quatuor atque consideres, nomen & rem, cognitionem nominis & cognitionem rei: primum secundo jure præponimus. Hoc enim positum nomen in carmine, cum ait Persius:

Satyræ 3.
Nempe.

Sed stupet hic vitio, non modò nihil vitii fecit in versu, sed nonnihil etiam ornatus dedit: cum tamen res ipsa quæ significatur hoc nomine, in quocumque inest, cogat esse vitiosum. At non ita & tertium quarto, sed quartum tertio videmus excellere. Hujus enim cognitio nominis vilis est præ cognitione vitiorum. AD. Etiamne cum ista cognitio miseriores facit, censes esse præferendam? Nam idem Persius omnibus poënis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere. AUG. Potes hoc modo cognitioni hujus nominis ipsam quoque virtutum cognitionem negare præferendam: quia VIRTUTEM videre nec tenere, supplicium est: quo idem ille Satyricus tyranni ut puniantur optavit. AD. Deus hanc avertat amentiam: jam enim intelligo non ipsas cognitiones, quibus animum imbuunt optima omnium disciplina, esse culpandas; sed

eos

eos omnium misserrimos judicandos, sicut & Persium judicasse arbitror, qui tali morbo affecti sunt, cui nec tanta medicina subveniat. AUG. Bene intelligis: sed quoquo modo se habeat Persiana sententia, quid ad nos? Non enim horum auctoritati subjecti sumus in talibus rebus. Deinde si qua cognitio cognitioni præferenda sit, non hic facile est explicare. Satis habeo quod effectum est, cognitionem rerum quæ significantur, etsi non cognitione rerum, ipsis tamen signis esse potiorum. Quare jam illud magis magisque discutiamus, quale sit genus rerum, quas sine signis monstrari posse dicebamus per se ipsas, ut loqui, ambulare, sedere, jacere, atque hujusmodi cetera. AD. Jam recolo quid dicas.

29. AUG. OMNIA-NE tibi videntur, quæ interrogati mox agere possumus, sine signo posse monstrari, an aliquid excipis? AD. Ego verò etiam atque etiam genus hoc totum considerans, nihil adhuc invenio quod sine signo valeat doceri, nisi fortè locutionem, & si fortè id ipsum quispiam quærat, quid sit docere. Video enim eum, quidquid post ejus interrogationem fecero ut discat, ab ea ipsa re non discere, quam sibi demonstrari cupit: nam si me cessantem, ut dictum est, vel aliud agentem roget quispiam, quid sit ambulare, & ego statim ambulando, eum quod rogavit sine signo coner docere, unde cavebo ne id tantum putet esse ambulare, quantum ego ambulavero? Quod si putaverit, decipietur: quisquis enim plus minusve quàm ego ambulaverit, hunc ille ambulasse non arbitrabitur. Et quod de hoc uno verbo dixi, transit in omnia quæ sine signo monstrari posse consenseram, præter duo illa quæ excepimus.

CAPUT X.
An quædam doceri sine signis queant

30. AUG. Accipio quidem istud . sed nonne tibi videtur aliud esse loqui, aliud docere? AD. Videtur sane: nam si esset idem, non doceret quisquam nisi loquens: cum verò & aliis signis, præter verba, multa doceamus, quis de ista differentia dubitaverit? AUG. Quid docere & significare, nihilne interest, an aliquid differunt? AD. Idem puto esse. AUG. Nonne rectè dicit, qui dicit, ideo nos significare ut doceamus? AD. Rectè prorsus. AUG. Quid si dicat alius, ideo nos docere ut significemus, nonne facile superiore sententia refelletur? AD. Ita est. AUG. Si ergo significamus ut doceamus, non docemus ut significemus; aliud est docere, aliud significare. AD. Verum dicis, nec rectè idem esse utrumque respondi. AUG. Nunc illud responde, utrum qui docet, quid sit docere, significando id agat, an aliter. AD. Non video quomodo aliter possit. AUG. Falsum est igitur quod paulò antè dixisti, doceri rem posse sine signis, cum quaeritur, quid sit ipsum docere; quando ne hoc quidem videmus sine significatione agi posse, cum aliud esse significare, aliud docere concesseris. Si enim diversa sunt, sicut apparet, neque hoc nisi per illud ostenditur, non per se utique ostenditur, sicut tibi visum erat. Quamobrem nihil adhuc inventum est, quod monstrari per se ipsum queat præter locutionem, quæ inter alia se quoque significat: quæ tamen cum etiam ipsa signum sit, nondum prorsus extat, quod sine signis doceri posse videatur. AD. Nihil habeo cur non assentiar.

31. AUG. Confectum est igitur, & nihil sine signis doceri, & cognitionem ipsam signis quibus cognoscimus, cariorem nobis esse oportere: quamvis non omnia quæ significan-

tur,

tur, possint signis suis esse potiora. AD. Ita videtur. AUG. Quanto tandem circuitu res tantilla peracta sit, meministine, quæso? Nam ex quo inter nos verba jaculamur, quod tam diu fecimus, hæc tria ut invenirentur laboratum est: utrum nihil sine signis possit doceri; & utrum sint quædam signa rebus quas significant præferenda; & utrum melior quàm signa sit rerum ipsa cognitio. Sed quartum est, quod breviter abs te vellem cognoscere, utrumnam ista inventa sic putes, ut jam de his dubitare non possis? AD. Vellem quidem tantis ambagibus atque amfractibus esset ad certa perventum; sed & ista rogatio tua nescio quomodo me sollicitat, & ab assensione deterret. Vidêris enim mihi non hæc de me fuisse quaesiturus, nisi haberes quod contradiceres; & ipsa rerum implicatio totum me inspicere, ac securum respondere non sinit, verentem ne quid in tantis involucris lateat, quod acies mentis meæ lustrare non possit. AUG. Dubitationem tuam non invitus accipio; significat enim animum minimè temerarium: quæ custodia tranquillitatis est maxima. Nam difficillimum omnino est non perturbari, cum ea quæ pro-na & procliva approbatione tenebamus, contrariis disputationibus labefactantur, & quasi extorquentur è manibus. Quare, ut æquum est bene consideratis perceptisque rationibus cedere, ita incognita pro cognitis habere periculosum. Metus est enim, ne cum sæpe subruuntur quæ firmissimè statura & mansura præsumimus, in tantum odium vel timorem rationis incidamus, ut ne ipsi quidem perspicuæ veritati fides habenda videatur.

32. Sed age nunc expeditius retractemus, utrum rectè ista dubitanda putaveris. Nam

quæro abs te, si quisquam ignarus deceptionis avium, quæ calamis & visco affectatur, obviam fieret aucupi, armis quidem suis instructo, non tamen aucupanti, sed iter agenti, quo viso premeret gradum, secumque, ut sit, admirans cogitaret & quæreretur, quidnam sibi hominis ille vellet ornatus; auceps autem cum in se videret adtentum, ostentandi se studio cannas expediret, & propè animadversam aliquam aviculam fistula & accipitre figeret, subigeret, & caperet; nonne illum spectatorem suum doceret nullo significatu, sed re ipsa, quod ille scire cupiebat? AD. Metuo ne quid hic tale sit, quale de illo dixi, qui quærit, quid sit ambulare. Neque enim video, & hic totum illud aucupium esse monstratum. AUG. Facile est hac cura te exuere; addo enim, si ille ita intelligens esset, ut ex hoc quod vidit, totum illud genus artis agnosceret: satis est namque ad rem, & de quibusdam rebus tametsi non omnibus, & quosdam homines doceri posse sine signo. AD. Hoc etiam ego possum illi addere; si enim sit bene intelligens, paucis passibus ambulatione monstrata, totum quid sit ambulare cognoscet. AUG. Facias per me licet, nec tantum nihil resisto, verum etiam faveo: vides enim ab utroque nostrum id effici, ut quædam quidem doceri sine signis queant, falsumque illud sit quod nobis paulo antè videbatur, nihil esse omnino quod sine signis possit ostendi. Jam enim ex his non unum aliquid aut alterum, sed millia rerum animo occurrunt, quæ nullo signo dato per se ipsa monstrantur. Quid enim dubitemus, oro te? Nam ut hominum omittam innumerabilia spectacula in omnibus theatris sine signo ipsis rebus exhibentium; solem cer-

tè istum, lucemque hæc omnia perfundentem atque vestientem, lunam & cetera sidera, terras & maria, quæque in his innumerabiliter gignuntur, nonne per se ipsa exhibet, atque ostendit Deus & natura cernentibus.

33. Quod si diligentius consideremus, fortasse nihil invenies, quod per sua signa discatur. Cum enim mihi signum datur, si nescientem me invenit cujus rei signum sit, docere me nihil potest: si verò scientem, quid discō per signum? Non enim mihi rem quam significat, ostendit verbum cum lego: & *saraballa eorum non sunt immutata*. Nam si quædam capitum tegmina nuncupantur hoc nomine; num ego hoc audito, aut quid sit caput, aut quid sint tegmina didici? Antè ista novèram; neque cum appellarentur ab aliis, sed cum à me viderentur, eorum est mihi facta notitia. Etenim cum primùm istæ duæ syllabæ cum dicimus, caput, aures meas impulerunt, tam nescivi quid significarent, quàm cum primò audirem legeremve, saraballas. Sed cum

Res non
discuntur
per ipsa
verba.

Dan. 3.94

a

sc-

a In editione Bad. & nostris MSS. hic & infra constantè scribitur per *sarabara*; quo pacto etiam Tertullianus scripsit in lib. de Pallio, & lib. de Resurrect. carnis. Porro autem textus græcus Dan. 3. 94. habet in neutro genere, τὰ σαρὰβαα: quem scribendi modum non pauci sequuntur, improbat verò Hieronymus in Dan. 3. 21. vultque legendum, *saraballa*. Ad hæc MSS. Fiscannensis & Michaelius pro, *quædam capitum*, habent, *quædam pedum tegmina*; & consentaneè postea præferunt: aut quid sint pedes &c. cum dicimus pedes, aures &c. pedes notans &c. denique omittunt, *capitum*, eo loco ubi legimus, *tegmina quidem illa capitum*. Contigit isthæc varietas ex varia vocabuli istius interpretatione, quod quibusdam significat, *tegmina capitum*, ut refert Isidorus lib. 19. c. 23. Aliis, *fluxa ac sinuosa vestimenta*: ut ipsi Isidoro ibid. placet: *pallia* Vatablo aliisque Scripturæ interpretibus sonat; nonnullis etiam, *calceamenta*; Hieronymo demum in loco citato, *brachas, seu tibialia*.

sæpe diceretur, caput, notans atque animadvertens quando diceretur, reperi vocabulum esse rei, quæ mihi jam erat videndo notissima. Quod prius quàm reperissem, tantum mihi sonus erat hoc verbum: signum verò esse didici, quando cuius rei signum esset inveni; quam quidem (ut dixi) non significatu, sed aspectu didiceram. Itaque magis signum re cognita, quàm signo dato ipsa res discitur.

34. Quod ut apertius intelligas, finge nos primum nunc audire quod dicitur, caput; & nescientes utrùm vox ista sit tantemmodo sonans, an aliquid etiam significans, quærere quid sit caput (memento nos non rei quæ significatur, sed ipsius signi velle habere notitiam, qua caremus profecto, quamdiu cuius signum est ignoramus) si ergo ita quærentibus res ipsa digito demonstretur, hac conspecta discimus signum, quod audieramus tantum, nondum noveramus. In quo tamen signo cum duo sint, sonus & significatio, sonum certè non per signum percipimus, sed eo ipso aure pulsata: significationem autem re, quæ significatur adspecta. Nam illa intentio digiti significare nihil aliud potest, quàm illud in quod intenditur digitus: intentus est autem non in signum, sed in membrum quod caput vocatur. Itaque per illam neque rem possum nosse quam noveram, neque signum in quod intentus digitus non est. Sed de intentione digiti non nimis curo; quia ipsius demonstrationis signum mihi videtur potius, quàm rerum aliquid quæ demonstrantur, sicut adverbium quod, ecce, dicimus; nam & cum hoc adverbio digitum solemus intendere, ne unum demonstrandi signum non sit satis. Et id maxime tibi nitor persuadere, si potero, per ea
sig-

signa, quæ verba appellantur, nos nihil discernere; potius enim, ut dixi, vim verbi, id est, significationem quæ latet in sono, re ipsa quæ significatur cognita, discimus, quàm illam tali significatione percipimus.

35. Et quod dixi de capite, hoc etiam de tegminibus, deque aliis rebus innumerabilibus dixerim: quas tamen cum jam noverim, saraballas illas adhuc usque non novi; quas mihi si gestu quispiam significarit aut pinxerit, aut aliquid cui similes sunt, ostenderit, non dicam non me docuerit, quod facile obtinerem, si paulò amplius loqui vellem; sed dico, id quod proximum est, non verbis docuerit. Quod si eis fortè conspectis cum simul adero me admonuerit, dicens: Ecce saraballas! discam rem quam nesciebam, non per verba quæ dicta sunt, sed per ejus adspectum, per quem factum est ut etiam nomen illud quid valeret, nossem ac tenerem. Non enim cum rem ipsam didici, verbis alienis credidi, sed oculis meis: illis tamen fortasse ut adtenderem credidi, id est, ut adspectu quærerem quid viderem.

36. HACTENUS verba valuerunt, quibus ut plurimum tribuam, admonent tantum ut quæramus res, non exhibent ut noverimus. Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea quæ cognoscere volo. Verbis igitur nisi verba non discimus, immo sonitum strepitumque verborum: nam si ea quæ signa non sunt, verba esse non possunt, quamvis jam auditum verbum, nescio tamen verbum esse, donec quid significet sciam. Rebus ergo cognitis, verborum quoque cognitio perficitur: verbis verò auditis, nec verba discuntur. Non enim ea verba quæ novimus, discimus; aut
quæ

CAPUT XI.
Discimus
non verbis
foris sonan-
tibus, sed
docente in-
tus verita-
te.

Ⓡ

quæ non novimus, didicisse nos possumus confiteri, nisi eorum significatione percepta, quæ non auditione vocum emissarum, sed rerum significatarum cognitione contingit. Verissima quippe ratio est, & verissime dicitur, cum verba proferuntur, aut scire nos quid significant, aut nescire; si scimus, commemorari potius quam discere; si autem nescimus, ne commemorari quidem, sed fortasse ad quærendum admoneri.

37. Quod si dixeris, tegmina quidem illa capitum, quorum nomen sono tantum teneamus, non nos posse nisi visa cognoscere, neque nomen ipsum plenius nisi ipsis cognitissimè nosse: quod tamen de ipsis pueris accepimus, ut regem ac flammam fide ac religione superaverint, quas laudes Deo cecinerint, quos honores ab ipso etiam inimico meruerint, num aliter nisi per verba didicimus? Respondebo, cuncta quæ illis verbis significata sunt, in nostra notitia jam fuisse. Nam quid sint tres pueri, quid fornax, quid ignis, quid rex, quid denique illæsi ab igne, ceteraque omnia jam tenebam, quæ verba illa significant. Ananias vero, & Azarias, & Misaël tam mihi ignoti sunt, quam illæ saraballæ; nec ad eos cognoscendos hæc me nomina quidquam adjuverunt, aut adjuvare jam potuerunt. Hæc autem omnia quæ in illa leguntur historia, ita illo tempore facta esse, ut scripta sunt, credere me potius quam scire fateor: neque istam differentiam iidem ipsi quibus credimus nesciunt. Ait enim Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis*: quod non dixisset profecto, si nihil distare iudicasset. Quod ergo intelligo, id etiam credo: at non omne quod credo, etiam intelligo. Omne autem quod intelligo,

scio:

scio: non omne quod credo, scio. Nec ideo nescio quam sit utile credere etiam multa quæ nescio: cui utilitati hanc quoque adjungo de tribus pueris historiam: quare pleraque rerum cum scire non possim, quanta tamen utilitate credantur, scio.

38. DE UNIVERSIS autem quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est, incommutabilis Dei Virtus atque sempiterna Sapientia: quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam sive bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis: ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est, quod corporei oculi sæpe falluntur: quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis quantum cernere valeamus ostendat.

39. QUOD si & de coloribus lucem, & de ceteris quæ per corpus sentimus, elementa hujus mundi eademque corpora quæ sentimus, sensusque ipsos quibus tamquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur; de his autem quæ intelliguntur, interiorum veritatem ratione consulimus: quid dici potest, unde clareat, verbis nos aliquid discere præter ipsum qui aures percutit sonum? Namque omnia quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus. Illa sensibilia, hæc intelligibilia, sive, ut more Auctorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritualia nominamus. De illis dum interrogamur, respondemus, si præsto sunt ea quæ sentimus; velut

CAP. XII.
Christus
veritas in-
tus docet.

cum

cum à nobis quæritur intuentibus lunam novam, qualis aut ubi sit. Hic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, & sæpe non credit: discit autem nullo modo, nisi & ipse quod dicitur videat; ubi jam non verbis quæ sonuerunt, sed rebus ipsis & sensibus discit. Nam verba eadem sonant videnti, quæ non videnti etiam sonuerunt. Cum verò non de iis quæ coram sentimus, sed de his quæ aliquando sensimus quæritur, non jam res ipsas, sed imagines ab iis impressas memoriæque mandatas loquimur: quæ omnino quomodo vera dicamus, cum falsa intueamur, ignoro, nisi quia non nos ea videre ac sentire, sed vidisse ac sensisse narramus. Ita illas imagines in memoriæ penetralibus rerum antè sensarum quædam documenta gestamus, quæ animo contemplantes bona conscientia non mentimur cum loquimur: sed nobis sunt ista documenta; is enim qui audit, si ea sensit atque adfuit, non discit meis verbis, sed recognoscit ablati secum & ipse imaginibus: si autem illa non sensit, quis non eum credere potius verbis, quam discere intelligat?

40. Cum verò de iis agitur quæ mente conspicimus, id est, intellectu atque ratione, ea quidem loquimur quæ præsentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur & fruatur: sed tunc quoque noster auditor, si & ipse illa secreto ac simplici oculo videt, novit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem doceo vera dicens, vera intuentem: docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus Deo intus pendente manifestis: itaque de his etiam interrogatus respondere posset. Quid autem ab-

sur-

surdus, quam eum putare locutione mea doceri, qui posset antequam loquerer, ea ipsa interrogatus exponere? Nam quod sæpè contingit, ut interrogatus aliquid neget, atque ad id fatendum aliis interrogationibus urgeatur, fit hoc imbecillitate cernentis, qui de re tota illam lucem consulere non potest: quod ut partibus faciat, admonetur, cum de iisdem istis partibus interrogatur, quibus illa summa constat, quam totam cernere non valebat. Quò si verbis perducitur ejus qui interrogat, non tamen docentibus verbis, sed eo modo inquirentibus, quo modo est ille, à quo quæritur, intus discere idoneus; velut si abs te quærerem hoc ipsum quod agitur, utrumnam verbis doceri nihil possit, & absurdum tibi primò videretur non valenti totum conspiciere: sic ergo quære oportuit, ut tuæ sese vires habent ad audiendum illum intus Magistrum, ut dicerem: Ea quæ me loquente vera esse confiteris, & certus es, & te illa nosse confirmas; unde didicisti? Responderes fortasse, quòd ego docuissem. Tum ego subnecterem: Quid si me hominem volantem vidisse dicerem, itane te certum verba mea redderent, quemadmodum si audires, sapientes homines stultis esse meliores? Negares profectò & responderes, illud te non credere, aut etiam si crederes ignorare, hoc autem certissimè scire. Ex hoc jam nimirum intelligeres, neque in illo quod me affirmante ignorares, neque in hoc quod optimè scires, aliquid te didicisse verbis meis, quandoquidem etiam interrogatus de singulis, & illud ignotum, & hoc tibi notum esse jures. Tum verò totum illud quod negaveras fatereris, cum hæc ex quibus constat, clara &

cer-

certa esse cognosceres, omnia scilicet quæ loquimur, aut ignorare auditorem, utrum vera sint, aut falsa esse non ignorare, aut scire vera esse. Horum trium in primo aut credere, aut opinari, aut dubitare; in secundo adversari atque renuere; in tertio adtestari: nusquam igitur discere. Quia & ille qui post verba nostra rem nescit, & qui se falsa novit audisse, & qui posset interrogatus eadem respondere quæ dicta sunt, nihil verbis meis didicisse convincitur.

CAP. XIII.
Verborum
vi ne qui-
dem ani-
mus lo-
quentis a-
peritur.

41. QUAMOBREM in iis etiam quæ mente cernuntur, frustra cernentis loquelas audit, quisquis ea cernere non potest, nisi quia talia quamdiu ignorantur utile est credere: quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris iudex loquentis, vel potius ipsius locutionis: nam plerumque scit illa quæ dicta sunt, eo ipso nesciente qui dixit. Veluti si quisquam Epicureis credens, & mortalem animam putans, eas rationes, quæ de immortalitate ejus à prudentioribus tractatæ sunt, eloquatur illo audiente, qui spiritualia contueri potest; judicat iste eum vera dicere: at ille qui dicit, utrum vera dicat ignorat, immo etiam falsissima existimat: num igitur putandus est ea docere quæ nescit? Atqui iisdem verbis utitur, quibus uti etiam sciens posset.

42. Quare jam ne hoc quidem relinquatur verbis, ut his saltem loquentis animus indicetur: siquidem incertum est, utrum ea quæ loquitur sciat. Adde mentientes atque fallentes, per quos facile intelligas non modo non aperiri, verum etiam occultari animum verbis. Nam nullo modo ambigo id conari verba veracium, & quodam modo profiteri, ut animus loquentis appareat; quod obtinerent om-

omnibus concedentibus, si loqui mentientibus non liceret. Quamquam sæpe experti fuimus & in nobis & in aliis, non earum rerum quæ cogitantur verba proferri: quod duobus modis posse accidere video, cum aut sermo memoriæ mandatus, & sæpe decursus, alia cogitantis ore funditur, quod nobis cum hymnum canimus sæpe contingit; aut cum alia pro aliis verba præter voluntatem nostram linguæ ipsius errore prosiliunt: nam hæc quoque non earum rerum signa, quas in animo habemus, audiuntur. Nam mentientes quidem cogitant etiam de iis rebus quas loquuntur, ut tametsi nesciamus an verum dicant, sciamus tamen eos in animo habere quod dicunt, si non eis aliquid duorum quæ dixi accidat: quæ si quis & interdum accidere contendit, & cum accidit apparere, quamquam sæpe occultum est, & sæpe me fefellit audientem, non resisto.

43. Sed his accidit aliud genus, sanè latè patens, & semen innumerabilium dissensionum atque certaminum; cum ille qui loquitur, eadem quidem significat quæ cogitat, sed plerumque tantum sibi, & aliis quibusdam: ei verò cui loquitur, & item aliis nonnullis, non idem significat. Dixerit enim aliquis audientibus nobis, ab aliquibus belluis hominem virtute superari: nos illico ferre non possumus, & hanc tam falsam pestiferamque sententiam magna intentione refellimus: cum ille fortasse virtutem, vires corporis vocet, & hoc nomine id quod cogitavit enuntiet, nec mentiat, nec erret in rebus; nec aliud aliquid volvens animo, mandata memoriæ verba contexit, nec linguæ lapsu aliud quam volebat sonet; sed tantummodo rem quam cogitat, alio quam nos nomine appellat: de qua

illi statim assentiremur, si ejus cogitationem possemus inspicere, quam verbis jam prolatis explicataque sententia sua, nondum nobis pandere valuit. Huic errori definitionem mēderi posse dicunt, ut in hac quæstione si definiret quid sit virtus, eluceret, ajunt, non de re, sed de verbo esse controversiam: quod ut concedam ita esse, quotusquisque bonus definitor inveniri potest? Et tamen adversus disciplinam definiendi multa disputata sunt, quæ neque hoc loco tractare opportunum est, nec usquequaque à me probantur.

44. Omitto quod multa non bene audimus, & quasi de auditis diu multumque contendimus; velut tu nuper verbo quodam punico, cum ego misericordiam dixissem, pietatem significari te audisse dicebas ab eis, quibus hæc lingua magis nota esset: ego autem resistens, quid acceperis tibi omnino excidisse asserebam; visus enim mihi eras non pietatem dixisse, sed fidem, cum & conjunctissimus mihi assideres, & nullo modo hæc duo nomina similitudine soni aurem decipiant. Diu te tamen arbitratus sum nescire quid tibi dictum sit, cum ego nescirem quid dixeris: nam si te bene audissem, nequaquam mihi videretur absurdum, pietatem & misericordiam uno vocabulo punicè vocari. Hæc plerumque accidunt, sed ea (ut dixi) omittamus, ne calumniam verbis de audientis negligentia, vel etiam de surditate hominum videar commovere: illa magis angunt quæ superius enumeravi, ubi verbis liquidissimè aure perceptis, & latinis non valemus, cum ejusdem linguæ simus, loquentium cogitata cognoscere.

45. Sed ecce jam remitto & concedo, cum verba ejus auditu cui nota sunt, accepta fuerint,

rint, posse illi esse notum de iis rebus, quas significant, loquentem cogitavisse: num ideo etiam quod nunc quaritur, utrum vera dixerit, discit? * NUM hoc magistri profitentur, ut cogitata eorum, ac non ipsæ disciplinæ, quas loquendo se tradere putant, percipiantur atque teneantur? Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in scholam, ut quid magister cogitet discat? At istas omnes disciplinas quas se docere profitentur, ipsiusque virtutis atque sapientiæ, cum verbis explicaverint, tum illi qui discipuli vocantur, utrum vera dicta sint, apud semetipsos considerant, interiorē scilicet illam veritatem pro viribus intuentes. Tunc ergo discunt: & cum vera dicta esse intus invenerint, laudant, nescientes non se doctores potius laudare quàm doctos; si tamen & illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, ut eos, qui non sunt, magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis, nulla mora interponitur; & quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo, qui admonuit, didicisse arbitrantur.

46. Sed de tota utilitate verborum, quæ si bene consideretur non parva est, alias si Deus siverit requiremus. Nunc enim ne plus eis quàm oportet tribueremus, admonui te; ut jam non crederemus tantum, sed etiam intelligere inciperemus, quàm verè scriptum sit auctoritate divina, ne nobis quemquam magistrum dicamus in terris, quod unus omnium Magister in cælis sit. Quid sit autem in cælis, docebit ipse, à quo etiam per homines signis admonemur & foris, ut ad eum intro conversi erudiamur; QUEM diligere ac nosse

*CAP. XIV.
Christus
intus doce-
ret, homo
verbis foris admo-
net.

Matth. 23.
10.

tia, quamvis nulla ibidem facta sit de illis mentio, pro genuinis habens, quia à Possidio, & à Beda vulgato citantur. Hæc nimirum opuscula ex iis sunt Tractatibus popularibus, qui Augustino, sicuti ad Quodvultdeum in epistola CCXXIV. n. 2. scribit, post absoluta jam duo de librorum suorum recensione volumina, retractandi cum Epistolis restabant. Nobiscum verò consentit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano; & titulum qui in editis præfixus erat, De fide rerum invisibilium, emendandum haud immeritò censet; quando de fide hîc agitur, non earum tantummodo rerum quæ corporeis oculis adtingere nunquam licet, sed quarundam etiam quæ iis, si præsentibus exhiberentur, videri possent. Opusculum post annum 399. quo leges ab Honorio contra idola datæ sunt, collocandum esse, ex iis quæ n. 10. de idolorum subversione leguntur, nemo non agnoscat.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE FIDE RERUM QUÆ NON VIDENTUR

LIBER UNUS. *

In quo demonstratur, nos in christiana religione, non culpabili temeritate, sed laudabili fide credere res, quas oculis nostris non videmus.

* Scriptus
post ann.
399.

SUNT qui putant, christianam religionem propterea ridendam potius quam tenendam, quia in ea, non res quæ videatur ostenditur, sed fides rerum quæ non videntur, hominibus imperatur. Nos ergo ad hos refellendos, qui prudenter sibi videntur nolle credere, quod videre non possunt, etsi non valemus humanis adspectibus monstrare divina quæ credimus, tamen humanis mentibus etiam illa, quæ non videntur, credenda esse monstramus. Ac primum isti, quos oculis carneis sic stultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non sibi existiment esse credendum, admonendi sunt, quam multa non solum credant, verum etiam sciant, quæ talibus oculis videri non possunt. Quæ cum sint innumerabilia in ipso animo nostro, cujus invisibilis est natura, ut alia taceam, fides ipsa qua credimus, sive cogitatio qua nos vel credere aliquid, vel non credere novimus,

CAPUT I.
Etiam in
rebus hu-
manismul-
ta credi,
quæ non
cernuntur
oculis.

tia, quamvis nulla ibidem facta sit de illis mentio, pro genuinis habens, quia à Possidio, & à Beda vulgato citantur. Hæc nimirum opuscula ex iis sunt Tractatibus popularibus, qui Augustino, sicuti ad Quodvultdeum in epistola CCXXIV. n. 2. scribit, post absoluta jam duo de librorum suorum recensione volumina, retractandi cum Epistolis restabant. Nobiscum verò consentit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano; & titulum qui in editis præfixus erat, De fide rerum invisibilium, emendandum haud immeritò censet; quando de fide hîc agitur, non earum tantummodo rerum quæ corporeis oculis attingere nunquam licet, sed quarundam etiam quæ iis, si præsentibus exhiberentur, videri possent. Opusculum post annum 399. quo leges ab Honorio contra idola datæ sunt, collocandum esse, ex iis quæ n. 10. de idolorum subversione leguntur, nemo non agnoscat.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE FIDE RERUM QUÆ NON VIDENTUR

LIBER UNUS. *

In quo demonstratur, nos in christiana religione, non culpabili temeritate, sed laudabili fide credere res, quas oculis nostris non videmus.

* Scriptus
post ann.
399.

SUNT qui putant, christianam religionem propterea ridendam potius quam tenendam, quia in ea, non res quæ videatur ostenditur, sed fides rerum quæ non videntur, hominibus imperatur. Nos ergo ad hos refellendos, qui prudenter sibi videntur nolle credere, quod videre non possunt, etsi non valemus humanis adspectibus monstrare divina quæ credimus, tamen humanis mentibus etiam illa, quæ non videntur, credenda esse monstramus. Ac primum isti, quos oculis carneis sic stultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non sibi existiment esse credendum, admonendi sunt, quam multa non solum credant, verum etiam sciant, quæ talibus oculis videri non possunt. Quæ cum sint innumerabilia in ipso animo nostro, cujus invisibilis est natura, ut alia taceam, fides ipsa qua credimus, sive cogitatio qua nos vel credere aliquid, vel non credere novimus,

CAPUT I.
Etiam in
rebus hu-
manismul-
ta credi,
quæ non
cernuntur
oculis.

K 4

cum

cum prorsus aliena sit ab istorum conspectibus oculorum, quid tam nudum, tam clarum, quid tam certum est interioribus visibus animorum? Quomodo ergo credendum non est, quod corporeis oculis non videmus, cum vel credere nos, vel non credere, ubi corporeos oculos adhibere non possumus, sine ulla dubitatione videamus?

Voluntas
amici bona
non vide-
tur, sed
creditur.

2. Sed, inquit, ista quæ in animo sunt, cum possimus ipso animo cernere, non opus habemus per oculos corporis nosse: quæ autem dicitis vos, ut credamus, nec foris ostenditis, ut ea per oculos corporis noverimus, nec intus in animo nostro sunt, ut ea cogitando videamus. Sic ista dicunt, quasi quisquam credere juberetur, si jam sibi præsentatum posset videre, quod creditur. Ideo utique debemus credere nonnulla etiam temporalia, quæ non videmus, ut æterna etiam mereamur videre, quæ credimus. Sed quisquis es, qui non vis credere nisi quod vides, ecce præsentia corpora corporeis oculis vides, præsentem voluntates & cogitationes tuas, quia in animo tuo sunt, ipso animo vides: dic mihi, obsecro te, amici tui erga te voluntatem quibus oculis vides? Nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest. An verò etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno? Quod si non vides, quomodo a amicali benevolentia vicem rependis, si quod non potes videre, non credis? An fortè dicturus es, alterius voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus, & verba es auditorus, de amici autem voluntate id, quod videri & audiri non potest, crediturus. Non enim voluntas illa color est

* Aliquot MSS. *amicabili*.

est aut figura, ut oculis ingeratur; vel sonus aut cantilena, ut auribus illabatur; aut verò tua est, ut tui cordis affectione sentiatur. Restat itaque, ut nec visa, nec audita, nec apud te intus a conspecta credatur, ne tua vita deserta sine ulla amicitia relinquantur, vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur. Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres, aut extrinsecus corpore, aut intrinsecus corde? Ecce ex corde tuo, credis cordi non tuo; & quò nec carnis nec mentis dirigis aciem, accommodas fidem. Amici faciem cernis corpore tuo, fidem tuam cernis animo tuo: amici verò non abs te amatur fides, si non in te mutuo illa sit fides, qua credas quod in illo non vides. Quamvis homo possit & fallere fingendo benevolentiam, tegendo malitiam: aut si nocere non cogitat, tamen expectando a te aliquam commoditatem, simulat, quia caritatem non habet.

3. Sed dicis, ideo te credere amico, cujus videre cor non potes, quia in tuis tentationibus eum probasti, & cujusmodi animum erga te haberet in tuis periculis, ubi te non deseruit, cognovisti. Numquid ergo, ut amicorum probetur erga nos caritas, videtur tibi nostra optanda calamitas? Nec quisquam erit ex amicis certissimis felix, nisi fuerit adversis rebus infelix: ut videlicet explorato alterius amore non fruatur, nisi suo dolore vel timore crucietur. Et quomodo in habendis veris amicis optari ea, non potius timeri, felicitas potest, quam probare nisi infelicitas non potest? Et tamen verum est, haberi posse amicum etiam in rebus prosperis, probari autem certius in

Amici etiam probati benevolentia nobis non constat sine aliqua fide.

a Sic MSS. Editi verò, *conscripta*.

CAPUT II. rebus adversis. * SED utique ut eum probes, periculis tuis nec te committeres, nisi crederes. Ac per hoc cum te committis ut probes, credis ante quàm probes. Certè enim si rebus non visis credere non debemus, * quando quidem & nondum certius probatis amicorum cordibus credimus; & cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius, quàm videmus: nisi quia tanta fides est, ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus: cum propterea credere debeamus, quia videre non possumus.

4. Si auferatur hæc fides de rebus humanis, quis non adtendat quanta earum perturbatio, & quàm horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si quod non video, credere non debeo? Tota itaque peribit amicitia, quia non nisi mutuo amore constat. Quid enim ejus poterit ab aliquo recipere, si nihil ejus creditum fuerit exhiberi? Porro amicitia pereunte, neque connubiorum, neque cognationum & affinitatum vincula in animo servabuntur; quia & in his utique amica consensus est. Non ergo conjugem conjux vicissim diligere poterit, quando se diligi, quia ipsam dilectionem non potest videre, non credit. Nec filios habere desiderabunt, quos vicissim sibi a reddituros esse non credunt. Qui si nascantur & crescant, multo minùs ipsi parentes suos amabunt, quorum erga se amorem in eorum cordibus, quia est invisibilis, non videbunt; si ea quæ non videntur, non laudabili fide, sed culpabili temeritate creduntur. Quid jam de

a Codex Vatic. credituros.

de ceteris necessitudinibus dicam, fratrum, sororum, generorum atque socerorum, & quilibet consanguinitate & affinitate junctorum, si caritas incerta, voluntasque suspecta est, & filiiis parentum, & parentibus filiorum, a dum benevolentia non redditur debita; quia nec deberi putatur, quando in alio quæ non videtur, esse non creditur? Porro si non ingeniosa, sed odiosa est ista cautela, ubi nos amari non credimus, quod amorem amantium non videmus, vicemque non rependimus, quibus eam nos debere mutuum non putamus: usque adeo res humanæ perturbantur, si quod non videmus non credamus, ut omnino funditus evertantur, si nullas credamus hominum voluntates, quas utique videre non possumus. Omitto dicere quàm multa isti, qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ & historiæ, vel de locis, ubi ipsi non fuerunt; nec dicant: Non credimus, quia non vidimus. Quoniam si hoc dicant, coguntur fateri incertos sibi esse parentes suos: quia & hinc aliis narrantibus, nec tamen, quia jam præteritum est, id ostendere valentibus, crediderunt, nullum retinentes illius temporis sensum, & tamen aliis inde loquentibus adhibentes sine ulla dubitatione consensum: quod nisi fiat, incurrat necesse est adversus parentes infidelis impietas, dum quasi vitatur in his quæ videre non possumus, credendi temeritas. * SI ergo non credentibus nobis quæ videre non possumus, ipsa humana societas, concordia perennte, non stabit; quanto magis est fides, quamvis quæ non videntur, rebus adhibenda divinis? Quæ si non adhibeatur, non

a Plures MSS. dum benevolentia non redditur debitum.

* Locus perplexus & vitiat.

Fide de rebus humanis sublata, quàm horrenda confusio sequeretur.

* CAP. III.

amicitia quorumlibet hominum, sed ipsa summa religio violatur, ut summa miseria consequatur.

Indicia
quæ confir-
mant fi-
dem.

5. Sed amici hominis, inquires, erga me benevolentiam quamquam videre non possum, multis tamen indiciis indagare possum: vos autem quæ vultis ut non visa credamus, nullis indiciis potestis ostendere. Interim non parum est, quod fateris quorundam indiciorum perspicuitate res aliquas, etiam quæ non videntur, credi oportere: etiam sic enim constat, non omnia quæ non videntur, non esse credenda; jacetque illud abjectum atque convictum, quod dicitur, ea quæ non videmus, non debere nos credere. Multum autem falluntur, qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum. Nam quæ sunt indicia clariora, quam ea quæ nunc videmus prædicta & impleta? Proinde qui putaris nulla esse indicia, cur de Christo credere debeatis quæ non vidistis, attendite quæ videtis. Ipsa vos Ecclesia ore maternæ dilectionis alloquitur. Ego, quam miramini per universum mundum fructificantem atque crescentem, qualem me conspiciatis, ali-

quando non fui. Sed: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quando Deus Abraham benedicebat, me promittebat: per omnes enim gentes in Christi benedictione diffundor. Semen Abraham Christum succedentium generationum ordo testatur. Quod ut breviter colligam, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit duodecim filios, ex quibus ortus est populus Israel. Jacob quippe ipse appellatus est Israel. In his duodecim filiis genuit Judam, unde nomen est Judæorum, ex quibus nata est virgo Maria, quæ peperit Christum. Et ecce in Christo, id est, in semine Abra-

Abrahæ benedici omnes gentes, videtis & stupetis; & adhuc in eum credere timetis, in quem non credere potius timere debuistis. An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cum magis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et hoc namque accipite per Prophetam fuisse prædictum: *Ecce virgo accipiet in utero, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Non ergo dubitabitis virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem; mundi regimen non relinquente, & ad homines in carne venientem; matri fecunditatem afferentem, integritatem non auferentem. Sic hominem nasci oportebat, etsi semper erat Deus, ex quo nascendo fieret nobis Deus. ^a Hinc de eo rursus Propheta dicit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Ista unctio spiritalis est, qua Deus unxit Deum, Pater scilicet Filium: unde appellatum à chrismate, id est, ab unctione novimus Christum. Ego sum Ecclesia, de qua illi in eodem Psalmo dicitur, & tamquam factum quod futurum fuerat prænuntiatur: *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate:* id est, ^b in sacramento sapientiæ, linguarum varietate decorata. Ibi mihi dicitur: *Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; quia concupivit rex speciem tuam;* quo-

^a Psal. 44. 7.
& 8.

^b Ibid. 10. &c.

^a Aliquot MSS. Huic Deo rursus.

^b Ita MSS. At editi, sacrario.

quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum filie Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filie regis intrinsecus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Adducentur regi virgines post eam, proxima ejus adducentur tibi; adducentur in letitia & exultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, & in sæculum sæculi.

Prophetia
de Ecclesia
impleta.

6. Si hanc reginam non videtis, jam etiam regia prole fecundam: si non videt impletum, quod audivit esse promissum, cui dictum est: *Audi filia, & vide*: si non reliquit ritus pristinos mundi, cui dictum est: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui*: si non ubique Christum Dominum confitetur, cui dictum est: *Concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus*: si non videt civitates gentium Christo preces fundere, & munera offerre, de quo illi dictum est: *Adorabunt eum filie Tyri in muneribus*: si non etiam superbia deponitur divitum, & ab Ecclesia deprecantur auxilium, cui dictum est: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*: si non agnoscit filiam regis, cui dicere jussa est: *Pater noster, qui es in cælis*; & in sanctis suis in interiore homine renovatur de die in diem, de qua dicitur est: *Omnis gloria ejus filie regis intrinsecus*; quamvis & oculos extraneorum * fulgentes fama prædicatorum suorum in diversitate linguarum, velut in fimbriis aureis & vestis varietate, perstringat; si non

* f. fulgente.

non postea quàm diffamatur in quocumque loco odore bono ejus, etiam consecrandæ virgines adducentur ad Christum; de quo dicitur, & cui dicitur: *Adducentur regi virgines post eam, proxima ejus adducentur tibi*: et ne quasi captivæ in aliquem velut carcerem viderentur adduci: *Adducentur*, inquit, *in letitia & exultatione, adducentur in templum regis*: si non parit filios, ex quibus habeat tamquam patres, quos constituat sibi ubique rectores, cui dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*, quorum se orationibus mater, & prælata, & subjecta commendat; unde subjunctum est: *Memores erunt nominis tui, in omni generatione & generatione*: si non propter eorumdem patrum prædicationem, in qua nominis ejus sine intermissione meminerunt, tam magnæ in ea multitudines congregantur, eique laudem gratiæ sine fine linguis propriis confitentur, cui dicitur: *Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, & in sæculum sæculi*: * SI non ista ita demonstrantur esse perspicua, ut non inveniant oculi inimicorum in quam partem avertantur, ubi non eadem perspicuitate feriantur, ut ex ea fatenti a manifestè cogantur; meritò fortasse dicitis, quòd nulla vobis ostendantur indicia, quibus visis, credatis etiam illa quæ non videtis. Si vero hæc, quæ videtis, & longe ante prædicta sunt, & tanta manifestatione complentur; si se ipsa Veritas & præcedentibus vobis & consequentibus declarat effectibus, ò reliquæ infidelitatis! ut credatis quæ non videtis, iis erubescite quæ videtis.

* CAP. IV.

Me

a In MSS. manifesta.

Ad cre-
denda quæ
non vidi-
mus move-
re debent
quæ nunc
impleta
conspici-
mus.

7. Me attendite, vobis dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judæa terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus & facta præsentia didicerunt. Hæc vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo hæc adspicite, in hæc intendite, hæc quæ cernitis cogitate, quæ vobis non præterita narrantur, nec futura prænantiantur, sed præsentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, & nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod prædictum, & impletum est de humana Christi nativitate: *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium*: sed videtis quod prædictum, & impletum est ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Non vidistis quod de mirabilibus Christi prædictum est: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram*: sed videtis quod prædictum est: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Non vidistis quod prædictum est, & impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt & conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: sed videtis quod in eodem Psalmo prædictum est, & nunc apparet impletum: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus*

Isai. 7. 14.

Gen. 22. 18.

Psal. 45. 9.

Psal. 2. 7.
& 8.

Psal. 21.
17. &c.

uni-

universæ patriæ gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Non vidistis, quod de resurrectione Christi prædictum atque completum est, loquente Psalmo ex persona ejus prius de traditore & persecutoribus ejus: *Egrediebantur foras, & loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me*. Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait: *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Et paulo post cum de ipso suo traditore per eandem prophetiam prædixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum*, hoc est, conculcavit me: continuo subdidit: *Tu autem, Domine, miserere mei, & resuscita me, & reddam illis*. Impletum est hoc, dormivit Christus, & evigilavit, hoc est, resurrexit: qui per eandem prophetiam in alio Psalmo ait: *Ego dormivi, & somnum cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me*. Verum hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de qua similiter dictum & impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent: Verè mendacia coluerunt patres nostri simulacra, & non est in illis utilitas*. Hoc certè, sive velitis seu nolitis, adspicitis, etiam si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem: certè tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus, audistis dicere: *Verè mendacia coluerunt patres nostri simulacra, & non est in illis utilitas: si faciet homo deos, & ecce ipsi non sunt*

Psal. 40.
7. &c.

Joan. 13.
18.

Psal. 3. 6.

Jerem. 16.
19.

TOM. I.

L

sunt

sunt dii. Nec putetis autem ad unum aliquem Dei locum gentes prædictas fuisse venturas, quoniam dictum est: *Ad te gentes venient ab extremo terra.* Intelligite, si potestis, ad Deum christianorum, qui summus & verus est Deus, non ambulando venire gentium populos, sed credendo. Nam res eadem ab alio Propheta sic prænuntiata est: *Prævalebit, inquit, Dominus adversus eos, & exterminabit omnes deos gentium terra; & adorabunt eum unusquisque de loco suo omnes insule gentium.* Quod ait ille: *Ad te omnes gentes venient:* hoc ait iste: *Adorabunt eum unusquisque de loco suo.* Ergo venient ad eum non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo. Non vidistis, quod prædictum & impletum est de ascensione Christi: *Exaltare super caelos, Deus: sed videtis quod continuò sequitur: Et super omnem terram gloria tua.* Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista præsentia in ejus Ecclesia videre vos non negatis. Utraque vobis prædicta monstramus: utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum præterita non valemus.

Sophon. 2.
11.

Psal. 107.
6.

CAPUT V.
Præsentium exhibitio adstruit fidem præteritorum & futurorum.

8. SED quemadmodum voluntates amicorum quæ non videntur, creduntur per indicia quæ videntur; sic Ecclesia quæ nunc videtur, omnium quæ non videntur, sed in eis litteris, ubi & ipsa est prædicta, monstrantur, & index est præteritorum, & prænuntiata futurorum. Quia & præterita, quæ jam non possunt videri, & præsentia, quæ a nec possunt videri omnia, cum prænuntiarentur, nihil horum poterat tunc videri.

a MSS. quæ nunc possunt videri, omnia cum &c.

deri. Cum ergo fieri prædicta cceperunt, ex illis quæ facta sunt usque ad ista quæ fiunt, de Christo & Ecclesia, quæ prædicta sunt, ordinata serie cucurrerunt: ad quam seriem pertinent de die judicii, de resurrectione mortuorum, de impiorum æterna damnatione cum diabolo, & de piorum æterna remuneratione cum Christo, quæ similiter prædicta ventura sunt. Cur ergo res primas & novissimas quas non videmus non credamus, cum testes utrarumque res medias quas videmus habeamus, atque in prophetis libris & primas & medias & novissimas vel audiamus prænuntiatas, ante quam fierent, vel legamus? Nisi fortè arbitrantur homines infideles à christianis illa esse conscripta, ut ista quæ jam credebant majus haberent pondus auctoritatis, si ante quam venirent, putarentur esse promissa.

9. QUOD si suspicantur, inimicorum nosrorum judæorum codices perscrutentur. Ibi legant ista, quæ commemoravimus, prænuntiata de Christo in quem credimus, & Ecclesia quam a cernimus ab initio laborioso fidei usque ad sempiternam beatitudinem regni. Sed cum legunt, non mirentur quod ista illi, quorum codices sunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab eisdem prophetis ante prædictum est: quod ut cetera oportebat impleri, & occulto justoque judicio Dei meritis eorum pœnam debitam reddi. Ille quippe, quem crucifixerunt, & cui fel & acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri: *Ignosce*

CAPUT VI.
Judæorum codices fidei nostræ adstipulantur.

®

LUC. 23. 34.

l 2

il-

a MSS. Vatic. & Gallicani, quam tenemus. Et ex his quidam, ab initio laboriosè fidei.

Psal. 68.
22. &c.

illis, quia nesciunt quid faciunt: tamen propter ceteros, quos occultioribus causis fuerat deserturus, per prophetam tanto antè prædixit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto; fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, & in retributionem, & in scandalum; obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum illorum semper incurva.* Cum causæ itaque nostræ præclarissimis testimoniis circumquaque ambulant oculis obscuratis, ut per eos hæc probentur, ubi & ipsi reprobantur. Ideo factum est, ne sic delerentur, ut eadem ^a secta omnino nulla esset; sed dispersa est super terras, ut portans in nos collatæ gratiæ prophetias, ad convincendos firmius infideles, nobis ubique prodesset. Et hoc ipsum quod dico, accipite quemadmodum fuerit prophetatum: *Ne occideris eos, inquit, ne quando obliviscantur legem tuam, disperge eos in virtute tua.* Non sunt ergo occisi, in eo quòd non sunt quæ apud eos legebantur, & audiebantur obliti. Si enim Scripturas sanctas, quamvis eas non intelligant, penitus obliviscerentur, in ipso judaico ritu occiderentur: quia cum Legis & prophetarum nihil nossent Judæi, prodesse non possent. Ergo occisi non sunt, sed dispersi: ut ^b quamvis in fide, unde salvi fierent, non haberent; tamen unde nos adjuvaremur, memoria retinerent, in libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes.

CAPUT VII.

Totius
mundi fi-
des

10. QUAMQUAM etiamsi de Christo & Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non mo-

^a Sic potiores MSS. At editi, ut eadem facta omnino nulla essent.

^b Codex Vatic. ut quamvis fidem.

movere deberet ut crederet, repentè illuxisse divinam humano generi claritatem, quando videmus relictis diis falsis, & eorum confRACTIS usquequaque simulacris, templis subversis, si-ve in usus alios commutatis, atque ab humana veteranosissima consuetudine tot vanis ritibus exstirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, ^a expalmatum, exprobratum, crucifixum, occisum, discipulis ejus, quos idiotas, & imperitos, & piscatores, & publicanos, per quos ejus magisterium commendaretur, elegit, annuntiantibus ejus resurrectionem, adscensionem, quam se vidisse dixerunt, & impleti Spiritu sancto, hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, sonuerunt. Quos qui audierunt, partim crediderunt, partim non credentes prædicantibus ferociter restiterunt. Ita fidelibus usque ad mortem pro veritate, non mala rependendo, sed perpetiando certantibus, nec occidendo, sed moriendo vincentibus; sic in istam religionem mutatus est mundus, sic ad hoc Evangelium corda conversa mortalium, marium & feminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum & indoctorum, sapientium & insipientium, potentium & infirmorum, nobilium & ignobilium, excelsorum & humilium, & per omnes gentes Ecclesia diffusa sic crevit, ut etiam contra ipsam catholicam fidem nulla secta perversa, nullum genus exoritur erroris, quod ita reperiat christianæ veritati adversari, ut non affectet atque ambiat Christi

L 3

no-

^a Editi, *exspoliatum*. At MSS. *expalmatum*: quod verbum familiare est Augustino.

des in Christum mirabiliter conciliata.

nomine gloriari: quod quidem non sineretur pullulare per terram, nisi exerceret sanam & ipsa contradictio disciplinam. Quando tantum crucifixus ille potuisset, nisi Deus hominem suscepisset, etiam si nulla per prophetas futura talia prædixisset? Cum vefo tam magnum pietatis sacramentum habuerit ^a antecedentes vates suos atque præcones, quorum divinis vocibus est prænuntiatum, & sic venerit quem admodum est prænuntiatum; quis ita sit demens, ut dicat apostolos de Christo fuisse mentitos, quem sic venisse prædicaverunt, quemadmodum eum venturum propheta ante prædixerunt, qui nec de ipsis apostolis vera futura tacuerunt? De his quippe dixerant: *Non sunt loquela neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quod certe in orbe videmus impletum, etsi in carne nondum vidimus Christum. Quis itaque nisi mirabili dementia cæcatus, aut mirabili pertinacia durus ac ferreus, nolit habere sacris litteris fidem, quæ totius orbis prædixerunt fidem?

Psal. 18. 4. & 5.

CAP. VIII.

Ad fidei immobilem observantiam cohortatio.

b

II. VOS autem, carissimi, qui hanc fidem habetis, vel qui nunc novam habere cœpistis, nutriatur, & crescat in vobis. Sicut enim venerunt temporalia ^b tanto ante prædicta, venient & sempiterna promissa. Nec vos decipiant vel vani pagani, vel falsi judæi, vel fallaces hæretici, nec non in ipsa Catholica mali christiani, tanto nocentiores, quanto interiores inimici. Quia & hinc ne perturbarentur infirmi, pro-

^a Editi, atque credentes vates suos. Castigantur auxilio MSS.

^b MSS. tanta prædicta: omisso antè.

prophetia divina non tacuit; ubi loquens in Cantico canticorum sponsus ad sponsam, id est, Christus Dominus ad Ecclesiam: *Sicut li-* *Cant. 2. 2.*
lum, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Non dixit, in medio extranearum; sed, *in medio filiarum.* *Matth. 13.*
Qui habet aures audiendi, audiat: & dum ^{9.}
sagena, quæ missa est in mare, & congregat omnia genera piscium, sicut sanctum loquitur *Ibidem 47.*
Evangelium, trahitur ad littus, id est, ad sæculi finem, secernat se à piscibus malis, corde, non corpore; mores malos mutando, non retia sancta rumpendo: ^a ne qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non vitam, sed poenam reperiant sempiternam, cum cœperint in littore separari.

^a Nonnulli codices, ut qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non poenam, sed vitam.

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS
ADMONITIO.

LIBRUM De Utilitate credendi recenset Augustinus primum eorum, quos edidit tempore sui presbyteratus. Hanc verò dignitatem Hippone suscepit sub initium anni 397. quod jam alias demonstravimus in secundo Tomi præfatione, ad Augustini epistolas VIII. IX. &c.

Opus Honorati causa scripsit, ut à manichæorum errore amicum revocaret, quem olim in eorum laqueos ipse conjecerat, sicuti sub libri exordium confitetur. Deceptus fuerat Honoratus speciosis illis manichæorum pollicitationibus, quibus se nihil nisi quod ratione evidens, & apertum fieret, docturos promittebant: irridebatque ille in Catholicæ Ecclesiæ disciplina, quòd fides hominibus imperaretur, nec verum eis ratione demonstraretur. Cum igitur falsa veritatis specie illusus, non temporalis commodi gratia inductus, adhereret errori, sicque magis deceptus ab hæreticis, quàm hæreticus esset, speravit Augustinus fore, ut illum ad veram religionem adduceret, si modò ostenderet, manichæos sacrilegè ac temere in eos invocari, qui Catholicæ fidei auctoritatem sequentes, ante quàm illud verum quod pura mente conspicitur intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminato præparantur Deo. Id autem sic præstat hoc in opere, ut veteris quoque Testamen-

menti, cujus illi maxime reprehensione commovebant imperitos, patrocinium suscipiat.

Augustini labori studioque optatus erga Honoratum respondit, eventus, si tamen is est, ut Rivius arbitratur, qui ab urbe Carthagine scribebat ad Augustinum circa annum 412. & varias illi quæstiones enodandas proponebat. Quamvis enim Honoratus iste necdum baptismum percepisset, illæ tamen quæ ab eo proponuntur quæstiones, minime redolent manichæum, nec de manichæis nisi ex occasione loquitur ipsi Augustinus, & tamquam de iis, quos ipse censeret hæreticos. Istum ipsum Honoratum, cui Augustinus epistolam CXL. scribit, presbyterum Cassiodorus nuncupat: qui fortè ad presbyteratum provectus postea fuerit. Loquitur Augustinus in Epistola LXXXIII. de morte alterius cujusdam Honorati presbyteri. Sub finem quoque vite suæ scripsit Epistolam CCXXVIII. ad Thabensem episcopum ejusdem nominis.

LIBRI I. RETRACTATIONUM
CAPUT XIV.

JAM verò apud Hipponem-regium presbyter scripsi librum De Utilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum à manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina, quòd juberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur. In hoc libro dixi: In quibus tamen Legis præceptis atque mandatis, quibus nunc christianos uti fas non est, quale vel sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia, & si quid hu-

hujusmodi est, tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat, nihil esse perniciosius, quam quidquid ibi est, accipi ad litteram, id est, ad verbum; nihil autem salubrius, quam spiritu revelari. Inde est, Littera occidit, spiritus autem vivificat. Sed aliter exposui verba ista apostoli Pauli, & quantum mihi videtur, vel potius ipsis rebus apparet, multò convenientius in eo libro, qui inscribitur, *De spiritu & littera*: quamvis non sit & iste sensus respuendus.

2. Item dixi: *Duæ sunt enim personæ in religione laudabiles, una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicari necesse est: alia eorum, qui studiosissimè & rectissimè inquirunt. Primi ergo sunt jam in ipsa possessione; alteri in via, qua tamen certissimè pervenitur.* In his verbis meis, si illi qui jam invenerunt, quos in ipsa possessione jam esse diximus, sic accipiantur beatissimi, ut non in hac vita, sed in ea quam speramus, & ad quam per fidei viam tendimus, sint, non habet iste sensus errorem: ipsi enim judicandi sunt, quod quærendum est invenisse, qui jam ibi sunt, quo nos quærendo & credendo, id est, viam fidei tenendo, cupimus pervenire. Si autem in hac vita isti esse putantur vel fuisse, id verum esse non mihi videtur: non quia in hac vita nihil veri omninò inveniri potest, quod mente cernatur, non fide credatur; sed quia tantum est quidquid est, ut non faciat beatissimos. Neque enim quod dicit Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, & Nunc scio ex parte,* non cernitur mente. Cernitur planè, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit, quod dicit: *Tunc autem faciem ad faciem,*

Cap. II.

2. Cor. 3. 6.

1. Cor. 13.

12.

Ibidem.

ciem, & tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Qui hoc invenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei quam tenemus, & quò credendo cupimus pervenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in ea possessione, quò ducit hæc via, magna quæstio est. Et Angeli quidem sancti quòd ibi sint, nulla quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrùm ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, meritò quæritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc exspectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrùm ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, *Faciem ad faciem*, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando requirere. Item quod dixi: *Nam scire magna, & honesta, vel etiam divina, beatissimum est,* ad eandem beatitudinem referre debemus. In hac enim vita quantumcumque id sciatur, nondum est beatissimum: quoniam incomparabiliter longè est amplius, quod inde nescitur.

3. Et quod dixi: *Multum interesse, utrùm aliquid mentis certa ratione teneatur, quod scire dicimus, an famæ vel litteris credendum posteris utiliter commendetur;* et paulò post: *Quod scimus igitur, debemus rationi; quod credimus auctoritati:* non sic accipiendum est, ut in sermone usitato vereamur nos dicere scire, quod idoneis testibus credimus. Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus. Cum verò loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam di-

Sap. 9.
Rom. 8.
Psal. 15.

Cap. II.

Ibidem.

divina Scriptura, non dubitemus dicere, scire nos, & quod percepimus nostri corporis sensibus, & quod fide dignis credimus testibus, dum tamen inter hæc & illud quid distet, intelligamus.

Cap. 12.

4. Item quod dixi: *Nemini dubium est, omnes homines aut stultos esse, aut sapientes, potest videri esse contrarium illi, quod legitur in libro tertio de Libero arbitrio: Quasi verò natura humana præter stultitiam, & sapientiam nullam mediam recipiat affectionem.* Sed illud ibi dictum est, ubi de primo homine quærebatur, utrum sapiens fuerit factus, an stultus, an neutrum: quoniam nullo modo stultum dicere poteramus, qui sine vitio factus est, cum sit stultitia magnum vitium; & sapientem quomodo diceremus, qui potuit seduci, non satis apparebat. Ideoque ad compendium dicere volui: *Quasi verò natura humana præter stultitiam, & sapientiam nullam mediam recipiat affectionem.* Intuebar quippe etiam parvulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes nec stultos possumus proprie dicere, nondum utentes libero arbitrio, seu bene seu malè. Nunc autem aut sapientes aut stultos esse homines dixi, eos volens intelligi, qui jam ratione utuntur, qua discernuntur à pecoribus, ut homines sint: sicut dicimus, beatos esse omnes homines velle. Numquid enim in hac sententia tam vera, atque manifesta metuimus, ne intelligantur & parvuli, qui hoc adhuc velle non possunt?

Cap. 16.

5. Alio loco cum miracula commemorassem, quæ Dominus Jesus fecit, cum hinc esset in carne, adjunxi, dicens: *Cur, inquires, ista modo non fiunt?* Atque respondi: *Quia non*

non moverent nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent. Hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modò, non quia nulla fiunt etiam modò.

Cap. 18.

6. In fine autem libri: *Sed quoniam sermo iste noster, inquam, multò processit longius quàm putabam, hic finem libro faciamus, in quo meminere volo, nondum me manichæos cœpisse refellere, & illas nugas nondum invasisse, neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse; sed voluisse tantummodo eruere tibi, si possem, falsam opinionem de veris christianis malitiosè aut imperitè nobis insinuatam, & erigere ad magna quædam & divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortassis in ceteris promtior.* Hæc non ita dixi, quasi nihil contra manichæos adhuc scripsissem, vel nihil de doctrina catholica mandassem litteris, cum tot superiùs edita volumina de utraque re non me tacuisse testentur: sed in hoc libro ad illum scripto nondum manichæos refellere cœperam, & illas nugas nondum invaseram, neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperueram: quoniam sperabam hoc initio facto, ad eum ipsum me scripturum fuisse, quæ hinc nondum scriberam. Hic liber sic incipit: *Si mihi, Honorate, unum atque idem videtur esse.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE UTILITATE CREDENDI
AD HONORATUM,

LIBER UNUS. *

* Scriptus
circiter an-
num 391.

Contra manicheos disputat, probatque ipsos sacrilegè ac temerè in eos invocari, qui catholice fidei auctoritatem sequentes, ad mysteriorum intelligentiam sese illius subsidio comparant, dum ea credunt, quæ nondum valent animo percipere. Sed in primis ostendit vetus Testamentum perperam ab iisdem hæreticis reprehendi.

CAPUT I.
Quo consilio hæc Honorato scribat.

Hæreticus, & hæreticis credens, non idem.

SI mihi, Honorate, unum atque idem videretur esse, hæreticus, & credens hæreticis homo, tam lingua quam stilo in hac caussa conquiescendum mihi esse arbitrarer. Nunc verò cum inter hæc duo plurimum intersit: quando quidem hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur; ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusos: cum hæc ergo ita sint, non putavi apud te silendum esse, quid mihi de invenienda ac retinenda veritate videatur; cujus, ut scis, ab ineunte adolescentia magno amore flagravimus. Sed res est longe romano-

mota à vanorum hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque notissimis nuntiis corporis sentiunt; & quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere à sensibus; & ex earum mortifera & fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis rectissimè se metiri putant. Nihil est facilius, mi carissime, quam non solum se dicere, sed etiam opinari verum invenisse: sed quam re ipsa difficillimum sit, agnosces, ut confido, his litteris meis. Quæ ut tibi prosint, aut certè nihil obsint, omnibusque omnino quorum in manus fortè devenerint, & rogavi Deum, & rogo; & spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quòd ad hunc stilum pio & officioso animo, non vani nominis appetitione, ac nugatoriæ ostentationis accessi.

2. Est igitur mihi propositum, ut pro-
bem tibi, si possim, quòd manichæi sacrilegè ac temerè invehantur in eos, qui catholice fidei auctoritatem sequentes, ante quam illud verum quod pura mente conspicitur, intrueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quòd se dicebant, terribili auctoritate separata, ^a mera & simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat, annos ferè novem, sprete religione quæ mihi * puerulo à parentibus insita erant, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quòd nos superstitione ter-

Operis argumentum.

a

* V. lib. I.
Confess. c.
II. & lib.
5. c. 14.

rc-

a Editi, mira. Melius aliquot MSS. mera.

Quomodo per manichæos Augustinus deceptus evaserit.

veri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus & garrulus, qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, & ab eis promissum, apertum, & sincerum verum tenere, atque haurire cupientem? Sed quæ rursus ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu quem vocant Auditorum tenerem, ut huius mundi spem atque negotia non dimitterem; nisi quod ipsos quoque animadvertēbam, plus in refellendis aliis disertos, & copiosos esse, quam in suis probandis firmos & certos manere? Sed de me quid dicam, qui jam catholicus christianus eram? ^a Quæ nunc ubera, post longissimam sitim penè exhaustus atque ^b aridus, tota aviditate repetivi, eaque altius flens & gemens concussi & expressi, ut id maneret, quod mihi sic affecto ad recreationem satis esse posset, & ad spem reducendam vitæ ac salutis. Quid ergo de me ipso dicam? Tu nondum christianus, qui hortatu meo, cum eos vehementer execrereris, vix adductus es, ut audiendi tibi atque explorandi viderentur, qua, quæso, alia re delectatus es (recordare obsecro te) nisi magna quadam præsumptione ac pollicitatione rationum? Sed quia diu multumque de imperitorum erroribus latissimè ac vehementissimè disputabant, quod cuivis medio-

^a In excusis, qui nunc ubera Ecclesiæ. At in MSS. quæ, ommissa voce, Ecclesiæ.

^b Editi, atque avidus. Emendantur à MSS.

criter erudito esse facillimum, serò didici: si quid etiam suorum nobis inserebant, necessitate retinendum, cum alia non occurrerent in quibus adquiesceremus, arbitrabamur. Itaque nobis faciebant, quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos ^a propter aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant. Obruunt enim, & quoquo modo cooperiunt alias quæ circa sunt aquas, vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos, non electione, sed inopia decident.

3. Sed cur non ipse mihi respondeo, quòd istæ lautæ ac lepidæ similitudines, atque huiusmodi reprehensiones, in omnes qui aliquid docent, à quovis adversario effundi urbanissimè ac dicacissimè possunt? Sed ob hoc putavi aliquid tale inserendum litteris meis, ut eos admoneam, desinant talibus agere: ut quemadmodum ille * ait, separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat. Quare desinant dicere illud, quod in ore habent quasi necessarium, cum eos quisque deseruerit qui diutius audisset: *Lumen per illum transitum fecit.* Vides enim tu meâ maxima cura (nam de illis non nimis æstuo) quàm hoc inane & facillimum ad reprehendum cuius esse possit. Itaque hoc discutiendum dimitto prudentiæ tuæ. Non enim vereor, ne me arbitreris inhabitatum lumine, cum vitæ huius mundi eram implicatus, tenebrosam spem gerens, de pulchritudine uxoris, de pompa divitiarum, de inanitate honorum, ceterisque noxiis & perniciosis voluptatibus. Hæc enim omnia, quod te

TOM. I.

M

non

^a Editi, prope aquam. At MSS. propter aquam: eodem sensu.

Manichæorum dictum in sua secta desertores.

®

non latet, cum studiosè illos audirem, cupere, & sperare non desistebam. Neque hoc eorum doctrinæ tribuo: fateor enim & illos sedulo monere, ut ista caveantur. Sed modò me dicere desertum lumine, cum ab his omnibus umbris rerum me averterim, soloque victu ad valetudinem corporis necessario contentus esse decreverim; illustratum autem atque fulgentem fuisse, cum ista diligerem & his involutus tenerer: hominis est, ut mitissimè dicam, minus acutè considerantis res, de quibus loqui multum amat. Sed veniamus ad causam, si placet.

CAPUT II.
Manichæi
vetus Testa-
mentum
reprehendunt
apud imperitos.

4. **NAM** bene nosti, quòd reprehendentes manichæi catholicam fidem, & maximè vetus Testamentum discerpentes & dilaniantes, commovent imperitos: qui profectò nesciunt quatenus sint accipienda illa, & quemadmodum hausta utiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasque descendant. Et quia sunt ibi quædam, quæ suboffendant animos ignaros & negligentes sui, quæ maxima turba est, popularitèr accusari possunt: defendi autem popularitèr, propter mysteria quæ his continentur, non à multis admodum possunt. Qui verò pauci hoc facere noverunt, non amant propatula, & famigerula quædam in disputatione certamina; & ob hoc minimè noti sunt, nisi his qui eos instantissimè requirunt. De hac igitur manichæorum temeritate, qua vetus Testamentum & catholicam fidem reprehendunt, accipe, obsecro, quæ me moveant. Opto autem, ac spero te hoc animo accepturum, quo à me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientia meæ, nihil me in hoc sermone malitiosè agere; sed ut existimo accipiendum esse, veri probandi caus-

sa:

sa: cui uni rei vivere jam diu statuimus, & incredibili sollicitudine: ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed præsumo, quòd & in hac spe, qua spero vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille cui sacratus sum, quem dies noctesque intueri conor; & quoniam propter peccata mea, propterque consuetudinem plagis veterinosarum opinionum sauciatum oculum animæ gerens, invalidum me esse cognosco, sæpè rogo cum lacrymis. Et quemadmodum post longam cæcitatem ac tenebras, luminibus vix apertis, & adhuc lucem palpitando atque aversando, quam tamen desiderant, recusantibus, præsertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere: ita mihi nunc evenit, non neganti esse ineffabile quiddam & singulare animæ bonum, quod mente videatur; & me ad contemplandum nondum esse idoneum, cum fletu & gemitu confitenti. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo, ne fallaris.

5. **OMNIS** igitur Scriptura, quæ Testamentum vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur, secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. Ne me ineptum putes, græcis nominibus utentem. Primum quia sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare quàm accepi. Deinde tu quoque animadvertis, non esse harum rerum apud nos usitata nomina: quæ si fabricassem interpretando, essem profectò ineptior; si autem circumloquerer, minus essem in disserendo expeditus. Id tantum oro credas, quoquo mo-

CAP. III.
Quadruplex scripturas veteris Testamenti tractandi ratio.

do errem, nihil à me inflato ac tumido fieri. Secundum historiam ergo traditur, cum docetur quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit. Secundum ætiologiam, cum ostenditur quid qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta vetus & novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figuratè intelligenda.

6. His omnibus modis Dominus noster Jesus Christus & Apostoli usi sunt. Nam de historia illud sumtum est, cum objectum esset, quod die sabbati discipuli ejus spicas evulsissent: *Non legistis*, inquit, *quod fecit David, cum esuriret, & qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis manducavit, quos non licebat ei manducare, neque eis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Ad ætiologiam verò illud pertinet, quod cum Christus prohibuisset uxorem abjici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus, Moysen libello dato repudiij permisisse licentiam: *Hoc*, inquit, *Moyses fecit propter duritiam cordis vestri.* Hic enim causa reddita est, cur illud à Moyse pro tempore bene permissum sit; ut hoc quod Christus præcipiebat, alia jam tempora demonstrare videretur. Horum autem temporum vices, atque ordinem mira quadam divinæ providentiæ dispositione digestum atque compositum, longum est explanare.

7. Jam porro à analogiam, qua utriusque

^a In excusis, *analogia*. In MSS. verò, *analogium*. Refertur ad verbum *usos*, quod cum accusandi casu non ineleganter jungitur. Sic infra cap. 8. *cujusmodi vitam usus fuerim.*

Historia & ætiologia in Scripturis.

Matth. 12. 3. & 4.

Matth. 19. 8.

Analogia.
a

Testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam usos fuisse omnes quorum auctoritati illi cedunt; cum secum ipsi considerare possint, quam multa soleant dicere immissa esse Scripturis divinis à nescio quibus corruptoribus veritatis? Quæ vox mihi semper quidem, etiam cum eos audirem, invalidissima visa est: nec mihi soli, sed etiam tibi (nam bene memini) & nobis omnibus, qui paulò majorem diligentiam in judicando habere conabamur, quam turba credentium. Nunc verò posteaquam mihi sunt exposita atque enodata multa, quæ me maxime movebant, ea scilicet in quibus illorum plerumque se jactat, & quo securius sine adversario, eo effusius exultat oratio; nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius & imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas: cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possint convincere. Si enim dicerent, eas sibi penitus accipiendas non putasse, quod ab his essent conscriptæ, quos verum scripsisse non arbitrarentur; esset utcumque tergiversatio eorum rector, vel error humanior. Hoc enim de illo libro fecerunt, qui Actus Apostolorum inscribitur. Quod eorum consilium cum mecum ipse pertracto, nequeo satis mirari. Non enim sapientiam hominum in hac re, sed cor mediocre desidero. Tanta enim liber iste habet, quæ similia sint his quæ accipiunt, ut magnæ stultitiæ mihi videatur, non & hunc accipere, & si quid ibi eos offendit, falsum atque immissum dicere. Aut si talis oratio impudens est, sicuti est, cur in Pauli epistolis, cur in quatuor Evangelii libris ea valere aliquid putant, in quibus haud scio an multò plura sint proportionem, quam

in illo libro esse potuerunt, quæ à corruptoribus interjecta credi volunt? Sed nimirum illud est quod mihi videtur, quod peto placidissimo & serenissimo iudicio mecum consideres. Nosti enim quod auctoris sui Manichæi personam in Apostolorum numerum inducere molientes, dicunt Spiritum sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse. Itaque si illos Actus Apostolorum acciperent, in quibus evidenter adventus sancti Spiritus prædicatur, non invenirent quomodo id immissum esse dicerent. Volunt enim nescio quos corruptores divinatorum librorum ante ipsius Manichæi tempora fuisse: corruptisse autem illos, qui Judæorum legem Evangelio miscere cupiebant. Hoc autem de Spiritu sancto dicere nequeunt, nisi fortè divinasse illos asserant, & posuisse in suis libris quod contra futurum aliquando Manichæum, qui Spiritum sanctum per se missum esse diceret, proferretur. Verùm de Spiritu sancto aliàs planius aliquid eloquemur. Nunc ad hoc quod intenderam redeamus.

Allegoria.

8. Nam & historiam veteris Testamenti, & ætiologiam, & analogiam in novo Testamento inveniri, satis, ut puto, est demonstratum. de allegoria restat ostendere. Ipse Liberator noster in Evangelio allegoria utitur ex veteri Testamento: *Generatio*, inquit, hæc signum querit, & non dabitur ei nisi signum *Jonæ prophetæ*; sicut enim *Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus fuit, sic & Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus erit in corde terræ*. Nam quid ego de apostolo Paulo dicam? qui etiam ipsam Exodi historiam futuræ christianæ plebis allegoriam fuisse significat ad Corinthios epistola prima:

No-

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in a Moysen baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eundem cibum spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacuit Deo: prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostræ fuerunt, ut non simus cupidi malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idola colamus, sicut quidam ex illis, sicut scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia hominum. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus interierunt. Neque murmuremus, sicut quidam ex illis murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Omnia autem ista in figura contingebant illis. Scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Est item apud Apostolum allegoria quædam, sane ad causam maximè pertinens, ideo quod ipsi eam in disputando proferre, atque ostentare consueverunt. Idem enim Paulus dicit ad Galatas: Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per promissionem: quæ sunt per al-

M 4

le-

a Editi, in Moysse. At MSS. juxta græcum in Moysen. Sic infra consentientes græci veteres libri habent, Bibebant enim: ubi editi, Bibebant autem.

I. Cor. 10.

I. Ec.

2

Exod. 32.

6.

Gal. 4. 22.

Ec.

Act. 2. 2.

Matth. 12.
39. & 40.

legoriam dicta. Nam hæc sunt duo Testamenta, unum quidem de monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confinis ei quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.

Lex non necessaria nisi iis quibus utilis est servitus ac timor.

Gal. 5. 4.

9. Hic igitur illi homines nimium mali, dum frustrare legem conantur, eas Scripturas approbare nos cogunt. Adtendunt enim quod dictum est, in servitute esse eos qui sub lege sunt, & id ultimum præ ceteris ventilant: *Evacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Nos hæc omnia vera esse concedimus, nec illam legem necessariam esse dicimus, nisi eis quibus est adhuc utilis servitus: ideoque utiliter esse latam, quod homines, qui revocari à peccatis ratione non poterant, tali lege coercendi erant, poenarum scilicet istarum, quæ videri ab stultis possunt, minis atque terroribus: à quibus gratia Christi cum liberat, non legem illam damnat, sed aliquando nos obtemperare suæ caritati, non servire timori legis, invitat. Ipsa est gratia, id est, beneficium quod non intelligunt sibi venisse divinitus, qui adhuc esse cupiunt sub vinculis legis. Quos merito Paulus objurgat tamquam infideles, quia à servitute, cui certo tempore iustissima Dei dispositione subjecti erant, jam per Dominum nostrum Jesum se liberatos esse non credunt. Hinc est illud ejusdem Apostoli: *Lex enim pædagogus noster erat in Christo.* Ille igitur pædagogum dedit hominibus quem timerent, qui magistrum postea quem diligerent. In quibus tamen legis præceptis atque mandatis, quibus nunc christianos uti fas non est, quale

Gal. 3. 24.

I. Petr. 1. 4.
Mysteria in veteri lege velata.

vel sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia, & si quid hujusmodi est, tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat esse nihil perniciosius, quàm quicquid ibi est accipi ad litteram, id est, ad verbum; nihil autem salubrius, quàm spiritu revelari. Inde est: *Litæra occidit, spiritus autem vivificat.* Inde est: *Id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur.* Evacuatur namque in Christo, non vetus Testamentum, sed velamen ejus, ut per Christum intelligatur, & quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. Statim quippe idem Apostolus subjicit: *Cum autem transieris ad Christum, auferetur velamen.* Non enim ait, auferetur lex, aut Testamentum vetus. Non igitur per Domini gratiam, tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt; sed tegmen potius, quo utilia tegebantur. Hoc modo agitur cum iis, qui studiosè ac piè, non turbidè atque improbè, Scripturarum illarum sensum requirunt: demonstraturque sedulè & ordo rerum, & causæ factorum atque dicatorum, & veteris Testamenti ad novum tanta congruentia, ut apex nullus, qui non consonet, relinquatur; & figurarum tanta secreta, ut omnia quæ interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui hæc volunt antè condemnare, quàm discere.

10. SED ut, ommissa interim altitudine scientiæ, sic agam tecum, quomodo agendum arbitror cum familiari meo, id est, sicut ego possum, non sicut doctissimos viros posse miratus sum: Tria genera sunt erroris, quibus homines errant, cum aliquid legunt. De singulis dicam. Primum genus est, in quo id quod falsum est verum putatur, cum aliud qui

2. Cor. 3. 6.

Ibid. 14.

Ibid. 16.

CAPUT IV.
Triplex error legentium.

qui scripsit putaverit. Alterum est, quamvis non tam latè patens, non tamen minùs noxium, cùm id quod falsum est verum putatur, id tamen putatur, quod etiam ille qui scripsit putavit. Tertium est, cùm ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cùm hoc ille qui scripsit, non intellexerit. In quo genere non parum est utilitatis, imò si diligentius consideres, totus legendi fructus est integer. Primi generis exemplum est, ut si quisquam, verbi gratia, dicat & credat Rhadamanthum apud inferos audire ac dijudicare causas mortuorum, eo quòd Maronis in carmine id legitur. Hic enim errat duobus modis, quòd & rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille quem legit. Alterum genus animadverti sic potest: si quis, quia Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamque post mortem in easdem atomos solvi atque interire, id verum, ac sibi credendum arbitretur. Nam & hic non minùs miser est, si de re tanta id quod falsum est pro certo sibi persuasit; quamquam id Lucretius, cujus libris deceptus est, opinatus sit. Quid enim huic prodest de auctoris sententia certum esse, quando sibi eum non per quem ^a non erraret, sed cum quo erraret, elegerit? Tertio generi est illud accommodatum: si quis Epicurum, lecto ejus in libris aliquo loco ubi continentiam laudat, in virtute illum summum bonum posuisse asseveret, & ideo non esse culpandum. Huic etiam quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit; cum iste non se dederit tam turpi noxiæque sententiæ, neque ob aliam causam ei placeat

^a Hic in ante editis ommissa erat particula negans.

ceat Epicurus, nisi quòd eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modò humanus est, sed sæpe etiam homine dignissimus. Quid enim si mihi de aliquo quem diligerem nuntiaretur, quòd sibi, cùm esset barbatus, pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit, ut etiam juraverit se similiter velle vivere, idque ita mihi probaretur, ut impudenter negarem; num reprehendus viderer, si eum existimarem, cùm hoc diceret, significare voluisse, sibi placere innocentiam, & ab eis quibus hominum genus involveretur cupiditatibus animum alienum, & ex eo illum magis magisque diligerem, quàm antea diligebam; etiam si fortasse ille in puerorum ætatibus libertatem quamdam in ludendo, & cibando, atque ignavum otium stultus adamasset? Fac enim eum esse defunctum post quàm hoc mihi nuntiatum est, nec interrogari à me potuisse quidquam, ut aperire sententiam suam; essetne quisquam tam improbus, qui mihi succenseret, cùm hominis laudarem propositum, & voluntatem per illa ipsa verba quæ acceperam? Quid quòd etiam justus rerum existimator non dubitaret fortasse laudare opinionem ac voluntatem meam, cùm & innocentia mihi placeret, & homo de homine in re dubia bene potius existimarem, eum etiam ^a malè liceret?

II. QUÆ cum ita sint, audi etiam earumdem scripturarum totidem conditiones & differentias. Nam necesse est totidem occurrant. Aut enim utiliter scripsit quispiam, & non utiliter ab aliquo intelligitur: aut utrumque

in-

^a Lov. male diceret. Melius Er. & MSS. male liceret: supple, existimare.

^a
CAPUT V.
Tres scripturarum
quarumque
differentiæ.

inutiliter fit: aut utiliter intelligit lector, cum ille contra, qui legitur, scripserit. Horum trium primum non improbo, ultimum non curo. Nam neque possum reprehendere hominem, qui nulla sua culpa male intellectus est; nec molestè habere quemquam legi, qui verum non viderit, cum obesse legentibus nihil videam. Unum igitur genus est probatissimum, & quasi purgatissimum, cum & bona scripta sunt, & in bonam partem accipiuntur à legentibus. Id quoque tamen adhuc in duo dividitur, non enim penitus excludit errorem. Nam eventit plerumque, ut cum bene senserit scriptor, bene etiam lector sentiat, sed aliud quam ille, & sæpè melius, sæpè inferius, utiliter tamen. Cum autem & hoc sentimus quod ille quem legimus, & id est vitæ bene agendæ accommodatissimum, cumulatissimè sese habet veritas, nec aliunde aperitur falsitatis locus. Quod genus cum de rebus obscurissimis lectio est, rarissimum omninò est; neque id, mea sententia, liquidò sciri, sed tantummodo credi potest. Quibus enim argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim; cum etiam si præsens interrogaretur, multa esse possent, quæ si malus non esset, officiosissimè absconderet? Illud autem nihil ad rem cognoscendam valere arbitror, qualis fuerit ille qui scripsit: honestissimè tamen bonus creditur, cujus litteris generi humano posteritatiq; consultum est.

Ecclesia catholica erroris secundum modum ex prædictis redargui 12. **Quamobrem vellem mihi isti dicerent, in quo genere ponant Ecclesiæ catholicæ, quem putant, errorem. Si in primo, grave omninò crimen, sed defensionem longinquam non requirit; satis est eam negare ita nos intelligere, ut illi cum invehuntur existimant. Si in**

se-

secundo, non minùs grave est: sed eadem voce refellentur. Si in tertio, nullum crimen est. Age, ac deinde Scripturas ipsas considera. Quid enim libris obijciunt veteris, quod dicitur, Testamenti? Numquidam quod boni sunt, sed malè intelliguntur à nobis? At eos ipsi non accipiunt. An quia nec boni sunt, nec bene accipiuntur? At hoc superior defensio satis expugnat. An illud dicent, quamvis bene à vobis accipiantur, mali sunt tamen? Quid est aliud vivos, cum quibus res agitur, adversarios absolvere, atque olim mortuos, cum quibus nulla contentio est, accusare? Ego quidem illos viros & omnia utiliter memoriæ mandasse, & magnos ac divinos fuisse, & illam legem Dei jussu ac voluntate promulgatam esse, & conditam, credo: & id, quamquam perpauca ejus generis librorum sciam, persuadere tamen facillè possum, si mihi æquus & minimè pertinax animus adhibeatur: atque id faciam, cum copia nobis data fuerit benivolæ auriæ ac mentis tuæ. Sed hoc cum potero; nunc autem nonnè mihi satis est, quoquo modo se ista res habeat, deceptum non fuisse?

13. **TESTOR**, Honorate, conscientiam meam, & puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentiùs, castius, religiosius, quam sunt illæ Scripturæ omnes, quas Testamenti veteris nomine catholica Ecclesia retinet. Miraris, novi. Non enim dissimulare possum, longe aliter nobis fuisse persuasum. Sed nihil est profectò temeritatis plenus (quæ nobis tunc pueris inerat) quam quorumque librorum expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profitentur, & eorum sententiam requirere ab his, qui con-

non potest
in veteris
Testamenti
lectione.

CAPUT VI.
De Scripturis non credendum expositoribus earum inimicis.

di-

ditoribus illorum atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt. Quis enim sibi unquam libros Aristotelis reconditos & obscuros ab ejus inimico exponendos putavit? Ut de his loquar disciplinis, in quibus lector fortasse sine sacrilegio labi potest. Quis denique geometricas litteras Archimedis legere, magistro Epicuro, aut discere voluit? Contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens, disserebat. An ista Scripturae legis planissima sunt, in quas isti quasi vulgo expositas, impetum faciunt frustra & inaniter? Qui mihi similes videntur illi mulierculæ, quam iidem ipsi solent deridere, quæ irata quod ei sol iste laudaretur, & à marichæa quadam femina colendus commendaretur, ut erat religiosè simplex, concita exsilivit, & eum locum quem sol per fenestram illustraverat, crebro pede percutiens: Ecce solem, deumque tuum calco, clamare cœpit: stultè omnino atque muliebriter, quis negat? Sed nonnè tibi tales videntur isti, qui ea quæ non intelligunt, aut cur, aut omnino qualia sunt, quamvis jacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque divina, magno impetu orationis maledictisque lacerantes, quia eis imperiti plaudunt, aliquid se proficere existimant? Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum est: inest omnino veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina; & planè ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poscit, accedat. Quod ut tibi probem, multis rationibus & longiore oratione opus est. Agendum enim tecum prius est, ut auctores

ip-

ipsos non oderis, deinde ut ames, & hoc agendum quovis alio modo potius, quam exponendis eorum sententiis, & litteris. Propterea quia si Virgilium odissemus, imò si non eum prius quam intellectus esset majorum nostrorum commendatione diligeremus, numquam nobis satis fieret de illis ejus quæstionibus innumerabilibus, quibus grammatici agitari & perturbari solent; nec audiremus libenter, qui eum ejus laude illas expediret; sed ei faveremus, qui per eas illum errasse, ac delirasse conaretur ostendere. Nunc verò eum eas multi ac variè pro suo quisque captu aperire conentur, his potissimum plauditur, per quorum expositionem melior invenitur poëta, qui non solum nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse, ab eis etiam qui illum non intelligunt, creditur. Itaque in quæstioncula magistro deficiente, & quid respondeat non habenti, succensemus potius, quam illum mutuum vitio Maronis putamus. Jam si ad defensionem suam peccatum tanti auctoris asserere voluerit, vix apud eum discipuli vel datis mercedibus remanebunt. Quantum erat ut similem benevolentiam præberemus eis, per quos locutum esse Spiritum sanctum tam diuturna vetustate firmatum est? Sed scilicet intelligentissimi adolescentes, & miri rationum exploratores, non evolutis saltem illis litteris, non quasitis magistris, non aliquantum nostra tarditate accusata, non denique vel medioeri corde concesso eis, qui ejusmodi litteras per totum orbem tam longo tempore legi, custodiri, tractarique voluerunt; nihil apud illos credendum putavimus, eorum, qui istis inimici infestique sunt, voce commoti, apud quos falsa pollicitatione rationis inaudita in illa fabula-

la-

CAP. VII.
Quærenda
vera reli-
gio.

larum credere, & colere cogeremur.
14. SED nunc quod institui peragam, si possum, & sic apud te agam, ut fidem catholicam non interim aperiã, sed ad scrutanda ejus magna mysteria, e'is quorum animæ sibi curæ sunt, spem divini fructus, & inveniendæ veritatis ostendam. Nemo dubitat eum qui veram religionem requirit, aut jam credere immortalem esse animam, cui prosit illa religio, aut etiam id ipsum in eadem religione velle invenire. Animæ igitur caussa omnis religio: nam corporis natura quoquo modo se habeat, nullam curam ac sollicitudinem incutit ei, præsertim post mortem, cujus anima tenuerit, quo beata sit. Animæ igitur caussa vel solius vel maximè vera, si qua est, religio constituta est. Hæc autem anima (videro quam ob causam, & obscurissimum esse confiteor) errat tamen ac stulta est, ut videmus, donec adipiscatur percipiatque sapientiam, & fortasse ipsa est vera religio. Num te ad fabulas mitto? Num aliquid cogo te temere credere? Animam nostram dico errore ac stultitia irretitam & demersam, viam, si qua est, quærere veritatis. Si hoc in te non est, da veniam, & participare mecum, quæso, sapientiam tuam: sin id quod dico agnoscis in te, simul, obsecro, quæramus verum.

In eis quærenda, qui excellunt famæ celebritate, & omnium occupatione populorum.

15. Puta nos adhuc neminem audisse cuiuspiam religionis insinuatorem. Ecce res nova est à nobis, negotiumque susceptum. Quærendi sunt, credo, hujus rei, si ulla est, professores. Fac nos reperisse alios aliud opinantes, & diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes; sed inter hos excellere famæ interim celebritate quosdam, atque omnium penè occupatione populorum. Utrum isti ve-

rum

rum teneant, magna quæstio est: sed nonnè prius sunt explorandi, ut quamdiu erramus, si quidem homines sumus, cum ipso genere humano errare videamur?

16. At enim apud paucos quosdam est veritas. Scis ergo jam quæ sit, si scis apud quos sit. Nonnè dixeram paulò antè, ut quasi rudes quæreremus? Sed si ex ipsa vi veritatis paucos eam tenere conjectas, qui verò sint, nescis; quid si ita pauci sunt qui verum sciunt, ut auctoritate sua multitudinem teneant, unde se in illa secreta expedire, & quasi eliquare paucitas possit? Nonnè videmus quàm pauci summam eloquentiam consequantur, cum per totum orbem rethorum scholæ adolescentium gregibus perstrepant? Numquidnam imperitorum perterriti multitudine, quicumque boni oratores evadere volunt, Cæcilii sibi potiùs, aut Erucii orationibus, quàm Tullianis navandam operam existimant? Hæc appetunt omnes, quæ majorum auctoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbæ discere moliantur, quæ à paucis doctis discenda recepta sunt: assequuntur autem perpauci, agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Quid si tale quiddam est vera religio? Quid si multitudo imperitorum frequentat Ecclesias, sed nullum argumentum est, ideo neminem illis mysteriis factum esse perfectum? Et tamen si tam pauci student eloquentiæ, quàm pauci sunt eloquentes, numquam nos parentes nostri magistris talibus commendandos putarent. Cum igitur ad hæc studia nos multitudo invitaverit, quæ imperitorum parte copiosa est, ut id quod pauci adipisci possunt adamaremus; cur nobis esse similem in religione nolumus causam, quam cum magno animæ discrimine fortasse

Objectari frustra, apud paucos esse veritatem, nec quærendam in multitudine catholicorum.

Tom. I.

N

con-

contemnimus? Si enim verissimus & sincerissimus Dei cultus, quamvis sit apud paucos, apud eos tamen est quibus multitudo, quamquam cupiditatibus involuta; & à puritate intelligentiæ remota, consentit (quod fieri posse quis dubitet?) quæro, si quis temeritatem recordiamque nostram arguat, quòd non apud ejus magistros eam diligenter investigamus, cujus inveniendæ nobis magna cura inest, quid respondere possimus? Deterruit me multitudo? Cur ab studio artium liberalium, vix huic præsentis vitæ aliquid commodi afferentium, cur ab inquirenda pecuniâ, cur ab honore adipiscendo, cur denique à comparanda & retinenda bona valetudine, postremò cur ab ipsa beatæ vitæ appetitione, cum his omnes occupentur, pauci excellant, nulla deterruit multitudo?

Temerè
visum Ho-
norato, ab-
surda quæ-
dam tradi
in catholi-
ca religio-
ne.

17. At absurda ibi dici videbantur. Quibus asserentibus? Nempe inimicis, qualibet causa, qualibet ratione, non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipse cognovi. Itane est? Nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro adtingere non auderes; Asper, Cornutus, Donatus & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poëta possit intelligi, cujus carmina & theatri plausus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen, divinarumque rerum pleni, propè totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de iis sine præceptore audes ferre sententiam; nec si tibi aliqua occurrunt quæ videantur absurda, tarditatem tuam & putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quam eos qui fortasse à talibus intelligi nequeunt. Quæres aliquem pium

si-

simul & doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cujus & præceptis melior & doctrina peritior fieres. Non facillè reperiebatur? Cum labore investigaretur. Deerat in ea terra quam incolebas? Quæ causa utilitatis cogeret peregrinari? In continenti prorsus latebat, aut non erat? Navigaretur. Si in propinquo trans mare non inveniatur, progredieris usque ad illas terras, in quibus ea quæ illis libris continentur, gesta esse dicuntur. Quid tale fecimus, Honorate? Et tamen religionem fortasse sanctissimam (adhuc enim quasi dubitandum sit, loquor) cujus opinio totum jam terrarum orbem occupavit, miserissimi pueri pro nostro arbitrio judicioque damnavimus. Quid si illa quæ nonnullos imperitos in eisdem Scripturis videntur offendere, eò sunt ita posita, ut cum res abhorrentes à sensu qualiumcumque hominum, nedum prudentium atque sanctorum, legerentur, secretam significationem multò studiosius quæreremus? Nonnè cernis, ut *Catamitum*^a *Bucolicorum*, cui pastor durus effluxit, conentur homines interpretari, & *Alexim* puerum, in quem Plato etiam carmen amatorium fecisse dicitur, nescio quid magnum significare, sed imperitorum judicium fugere affirmant; cum sine ullo sacrilegio poëta uberrimus videri possit libidinosas cantiunculas edidisse?

18. Sed re vera revocabat nos atque prohibebat à quærendo, aut alicujus legis sanctio, aut adversantium potentia, aut ^b sacratorum

N 2

per-

^a Editi, *Catamitum Bucolicum*. At MSS. *Catamitum Bucolicorum*. *Catamitus* hic, quo nomine puer meritorius vocatur, intelligendus ipse *Alexis* puer, de quo *Virgilius* in *Bucolicis*, *Ecolg. 2.*

^b Unus *Michaelinus* codex, *sectatorum*.

A religione
quærenda
apud ca-
tholicos ni-
hil prohibe-
bat.

b

persona vilis, aut fama turpis, aut institutionis novitas, aut occulta professio? Nihil horum est. Omnia divina & humana jura permittunt quærere catholicam fidem; tenere autem & colere, per humanum certè jus licet, si de divino quamdiu erramus, incertum est: nemo imbecillitatem nostram terret inimicus (quamquam veritas atque animæ salus si diligenter quæsita, ubi tutissimè licet, inventa non fuerit, cum quovis discrimine quæri debeat) omnium dignitatum & potestatum gradus huic divino cultui devotissimè inserviunt: honestissimum est religionis nomen, & præclarissimum. Quid impedit tandem perscrutari atque discutere pia & sedula investigatione, utrùm hic sit illud quod sincerissimè nosse, & custodire paucos necesse est, etiamsi omnium in id gentium voluntas favorque conspiret?

Cum inquitur vera religio, sumendum exordium à catholica Ecclesia.

19. Quæ cum ita sint, fac nos, ut dixi, nunc primùm quærere, cuiam religioni animas nostras purgandas instaurandasque tradamus: proculdubio à catholica Ecclesia sumendum exordium. Plures enim jam christiani sunt, quàm si Judæi simulacrorum cultoribus adjungantur. Eorundem autem christianorum, cum sint hereses plures, atque omnes se catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, referentior multitudine; ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia quæstio est: quod autem quærentibus satis est, una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris quos

quos nulla impedit gratia, a cui sit catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum. Sed ne id loquacissimè aut superfluo quispiam disserendum putet, una est certè, in qua ipsæ quodam modo etiam humanæ leges christianæ sunt. Nullum ego hinc præjudicium fieri volo, sed exordium quærendi opportunissimum judico. Non enim metuendum est, ne verus Dei cultus nullo proprio robore innixus, ab eis quos fulcire debeat, fulciendus esse videatur: sed certè perfectæ felicitatis est, si potuerit ibi verum inveniri, ubi & inquisitio ejus & retentio securissima est: si non potuerit, tum demum alio, quocumque periculo, adeundum, atque rimandum.

20. HIS igitur constitutis, quæ, ut opinor, ita justa sunt, ut obtinere apud te istam causam quovis adversario debeam, edam tibi ut possim, cujusmodi viam usus fuerim, cum eo animo quærerem veram religionem, quo nunc exposui esse quærendam. Ut enim à vobis trans mare abscessi, jam cunctabundus atque hæsitans, quid mihi tenendum, quid dimittendum esset (quæ mihi cunctatio in dies major oboriebatur, ex quo illum * hominem, cuius nobis adventus, ut nosti, ad explicanda omnia quæ nos movebant, quasi de cælo promittebatur, audivi, eumque excepta quadam eloquentia talem quales ceteros esse cognovi) rationem ipse mecum habui, magnamque deliberationem jam in Italia constitutus, non utrùm manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quonam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli meliùs quàm tibi nota sunt. Sæpè

CAP. VIII.
Qua Augustinus via venerit ad catholicam religionem.

* Faustum ex lib. 5. Confess. cap. 6.

a Nonnulli MSS. quod ei sit.

mihî videbatur non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in academico- rum suffragium ferebantur. Sæpè rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quòd in ea quærendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quære- re, quænam illa esset auctoritas; cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inseri multum pigebat: atque inter hæc sine ulla requie, cupiditate repertiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacry- mosis & miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam: & jam ferè me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis * episcopi, ut non sine spe aliqua de ipso vetere Testamento multa quære- re cuperem, quæ, ut scis, malè nobis commendata exsecrabamur. Decreveram- que tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus à parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi persuaderem non esse quærendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset qui posset docere. Hoc ergo modo, & simili animæ tuæ cura ^a si diu te quoque affectum vides, & si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis im-
po-

* Ambrosii.
Vid. lib. 5.
Confess. c.
13. & 14.

^a Editio Lov. omittit, si: cujus loco Er. & MSS. habent, sit.

ponere: sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, & ab hinc ad posteros manatura est.

21. RIDICULUM, inquis, istud est, cum omnes hanc se profiteantur tenere, ac docere. Profitentur hoc omnes hæretici, negare non possum; sed ita ut eis, quos illeceant, rationem se de obscuris, & imis rebus polliceantur reddituros: eoque Catholicam maxime criminantur, quòd illis qui ad eam veniunt, præcipitur ut credant; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit, quòd ad eorum laudem ^a magis pertineret? Non ita est. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis: qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ malè committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam VERA RELIGIO, nisi credantur ea quæ quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, & omnino SINE QUODAM GRAVI AUCTORITATIS IMPERIO INIRI RECTE NULO PACTO POTEST.

22. Sed quæris fortasse vel de hoc ipso aliquam accipere rationem, qua tibi persuadeatur, non prius ratione quam fide te esse docendum. Quod facile potest, si modò æquum te præbeas. Sed ut commodè fiat, volo quasi respondeas interroganti: & primò dicas mihi, quare tibi videatur non esse credendum. Quod

CAPUT IX.
Catholica
Ecclesia
venienti-
bus præci-
pit fidem,
hæretici
promittunt
rationem.

a

Nihil vitii esse in fide, atque inter credentem & credulum (quod nomen culpe datur) plurimum interesse.

N 4

ip-

^a Omnes MSS. Maxime pertineret.

ipsa, inquis, credulitas, à qua creduli nominantur, vitium quoddam mihi videtur esse: alioquin hoc nomen non pro convicio obiectare soleremus. Nam si suspiciosus in vitio est, eo quòd non comperta suspicatur: quanto magis credulus, qui hoc à suspicioso differt, quòd ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem. Interim accipio hanc opinionem ac distinctionem. Sed scis etiam curiosum non nos solere appellare sine convicio; studiosum verò etiam cum laude. Quamobrem adtende, si placet, etiam inter hæc duo quid tibi distare videatur. Id certè respondes, quòd quamvis uterque agatur magna cupiditate noscendi, curiosus tamen ea requirit, quæ nihil ad se adtinent: studiosus autem contrà, quæ ad sese adtinent requirit. Sed quia non negamus ad hominem pertinere conjugem, ac liberos, & eorum salutem, si quispiam peregre positus, quemadmodum valeant ac sese agant sua conjux ac liberi, omnes advenientes sedulo percontetur, magna utique ducitur cupiditate noscendi: & tamen hunc studiosum non vocamus, qui & magnopere scire vult, & ea quæ ad se maximè pertinent. Quare jam intelligis eo vacillare istam definitionem studiosi, quod omnis quidem studiosus ea nosse vult quæ ad se pertinent, non tamen omnis qui id agit studiosus vocandus est; sed is qui ea quæ ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impensissimè requirit^a: tamen studentem rectè appellamus, præsertim addentes quid studeat audire. Nam etiam suorum studiosum possumus appellare, si

^a Editi vitiosè serebant, impensissimè requirit, cum studentem rectè appellamus. Emendantur ex MSS.

si suos tantum diligit: non tamen adjunctione nulla, communi nomine studiosorum dignum putamus. Audiendi autem cupidum quemadmodum se sui haberent, non appellarem studiosum audiendi, nisi gaudens fama bona idipsum sæpè vellet audire: studentem verò etiam si semel. Refer nunc animum ad curiosum, & dic mihi, utrum si quis fabellam libenter audiret, nihil sibi omnino profuturam, id est, rerum ad se non pertinentium; neque id^a odiosè atque crebrò, sed rarissimè ac modestissimè, vel in convivio, vel in aliquo circulo, ullove consessu; videreturne tibi curiosus? Non opinor: sed certè habens illius rei curam, quam libenter audiret, profectò videretur. Quapropter etiam curiosi definitio ea regula, qua studiosi, emendanda est. Vide igitur utrum & illa superiora emendanda sint. Cur enim non & suspiciosi nomine indignus sit, qui aliquando aliquid suspicatur; & creduli, qui aliquando aliquid credit? Itaque ut inter studentem alicujus rei & omnino studiosum, rursumque inter curam habentem atque curiosum, ita inter credentem & credulum plurimum interest.

23. SED nunc vide, inquis, utrum in religione credere debeamus. Neque enim si concedimus aliud esse credere, aliud credulum esse, sequitur ut nulla culpa sit in religionibus credere. Quid enim si & credere & credulum esse vitiosum est, quemadmodum & ebrium & ebriosum esse? Quod qui certum existimat, nullum mihi habere posse amicum videtur. Si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter fa-

CAPUT X.
Turpe non esse credere in religione.

^a Quidam MSS. otiosè.

facit, qui amico credit, aut nihil amico credens, quomodo amicum vel ipsum vel se appellet non video. Hic fortasse dicas: Concedo aliquid aliquando esse credendum, nunc expedi quomodo in religione turpe non sit credere, antè quàm scire. Faciam, si potero. Quocirca ex te quæro, quid existimes in graviore culpa esse, religionem tradere indigno, an id quod ab eis qui illam tradunt dicitur, credere. Si quem dicam indignum non intelligis; eum dico, qui ficto pectore accedit. Concedis, ut arbitror, magis culpandum esse, tali homini pandere si qua sunt sancta secreta, quàm religiosus viris de ipsa religione aliquid affirmantibus credere. Neque enim te aliud respondere decuerit. Quare nunc fac putes eum adesse, qui tibi religionem sit traditurus: quonam modo illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quidquam in te, quod ad hanc rem adinet, doli atque simulationis esse? Dices, bona tua conscientia nihil te fingere, quantis poteris id ipsum asserens verbis, sed tamen verbis. Non enim animi tui latebras, ita ut intimè sciaris, homo homini aperire possit. At ille si dixerit: Ecce credo tibi, sed nonne est æquius, ut etiam tu credas mihi, cum tu beneficium, si aliquid veri teneo, sis accepturus, daturus ego? Quid respondebis, nisi esse credendum?

Rationi percipiendæ idonei per paucis: via ad religionem tutior, & tenenda ab omnibus, fides.

24. Sed inquis: Nonne erat melius, rationem mihi redderes, ut ea quocumque me duceret, sine ulla sequerer temeritate? Erat fortasse: sed cum res tanta sit, ut Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnes ne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo.

Ho-

Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiam hoc tibi credere: quod quidem facit. Tu tantum memento, jam eum bis credidisse tibi incerta dicenti; te illi religiosè admonenti ne semel quidem velle credere. Verum fac ita esse, & vero animo te ad accipiendam religionem accedere, & ita paucorum te esse hominum, ut rationes quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere possis: quid, ceteris hominibus, qui tam sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse duce-dos? Vides planè quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantæ cupiditate ullo modo deserendus, aut respuendus videri potest. Sed nonne censes, nisi primò credat se ad id quod instituit perventurum, mentemque^a supplicem præbeat, & quibusdam magnis necessariisque præceptis obtemperans quadam vitæ actione perpurget, non eum esse aliter illa quæ purè vera sunt adepturum? Censes profectò. Quid ergo istis, quorum de genere te esse jam credo, qui facillimè divina secreta ratione certa capere possunt, si hac via veniant, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tamen ais: Quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo ceteris. Vix enim est, qui de se tantum sentiat, quantum potest: sed qui minus, excitandus est; qui amplius, reprimendus; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste præcipitetur audacia. Quod facile fit,

^a In quatuor MSS. *simplicem*.

fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento, paulisper cogantur incedere, quā etiam ceteris tutum est. Hæc est providentia veræ religionis, hoc jussum divinitus, hoc à beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum: hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quò intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellent ingenio, nisi Deus adsit, ^a humi repunt. Tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmiter in cælum reperiri potest. Ego quidem huic rationi non possum resistere; nam nihil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere? Cùm & amicitia, nisi aliquid credatur, quod certa ratione demonstrari non potest, omninò nulla sit, & sæpè dispensatoribus servis siæ ulla culpa dominorum credatur. In religione verò quid iniquius fieri potest, quàm ut Dei Antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere? Postremò quæ potest esse via salubrior, quàm idoneum primò fieri percipiendæ veritatis, adhibendo iis fidem, quæ ad præcolendum, & ad præcurandum animum sunt divinitus constituta? Aut si jam prorsus idoneus sis, circumire potiùs aliquantum quàm tutissimum est ingredi, quàm & tibi esse auctorem periculi, & ceteris temeritatis exemplum?

CAPUT XI.
Credentes
ab opinan-
tium teme-
ritate quo-
modo alie-
ui,

25. **QUARE** jam superest ut consideremus, quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur ratione ducturos. Nam quomodo

^a Veteres libri constanter, *humo repunt.*

sine culpa possimus sequi eos qui credere jubent, jam dictum est: ad hos autem sponsores rationis, non modò sine vituperatione, sed etiam cum aliqua laude se venire nonnulli putant; sed non ita est. Duæ enim personæ in religione sunt laudabiles: una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicare necesse est: alia eorum qui studiosissimè & rectissimè inquirunt. Primi ergo sunt ^a jam in ipsa possessione, alteri in via, qua tamen certissimè pervenitur. Tria sunt alia hominum genera, profectò improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt. Alterum eorum qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quærunt, ut invenire possint. Tertium eorum, qui neque se scire existimant, nec quærere volunt. Tria sunt item velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium numquam sine vitio. ^b Nam * intelligere magna & honesta vel etiam divina, beatissimum est. Intelligere autem superflua, nihil nocet; sed fortasse discere nocuit, cùm tempus necessariorum occuparent. Ipsa etiam noxia, non intelligere, sed facere, aut pati, miserum est. Non enim si quis intelligat, quomodo possit inimicus sine suo periculo occidi, intelligentia ipsa, ac non cupiditate reus est: quæ si absit, quid innocentius di-

^a Sic MSS. At editi, *sunt etiam.*

^b Editi post, *numquam sine vitio*, addunt: & hoc ad eandem beatitudinem referre debemus. In hac enim vita quantumcumque id sciatur, &c. Retractatio ipsa est subsequentis sententiæ huc à librariis translata.

I. Retr. 14.

Intellige-
re, credere,
opinari.

^b
I. Retr.
14.

Cicer. in
Orat. pro
Sylla.

dici potest? Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facile creditur. In ceteris vero rebus si quis quid credit, si se id nescire intelligat, nulla culpa est. Credo enim sceleratissimos conjuratos virtute Ciceronis quondam interfectos: atque id non solum nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certo scio. Opinari autem duas ob res turpissimum est: quod & discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; & per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est. Nam etiam si hoc ipsum quod de Cicerone dixi, scire se quisquam arbitratur, quamquam nihil eum impediat à discendo, quia res ipsa nulla scientia teneri potest: tamen quod non intelligit * multum interesse, utrum aliquid a mentis certa ratione teneatur, quod intelligere dicimus, an famæ vel litteris credendum posteris utiliter commendetur; profecto errat, neque quisquam error turpitudine caret. Quod intelligimus igitur, debemus rationi: quod credimus auctoritati: quod opinamur, errori. Sed intelligens omnis etiam credit: credit omnis & qui opinatur: non omnis qui credit intelligit: nullus qui opinatur intelligit. Hæc ergo tria si ad illa quinque hominum genera, quæ paulò antè commemoravimus, referantur, id est, duo probanda quæ priora posuimus, & tria reliqua vitiosa: invenimus primum beatorum genus ipsi veritati credere: secundum autem studiosorum amatorumque veritatis, auctoritati. In quibus ^b duorum generibus laudabiliter credi-

a Plerique MSS. menti certa ratione videatur.

b Sic MSS. Editi verò, In quibus duobus.

ditur. In primo autem vitiosorum, id est, eorum qui opinantur se scire quod nesciant, est profecto vitiosa credulitas. Cetera duo improbanda genera nihil credunt, & illi qui verum quærunt cum desperatione inveniendi, & illi qui omnino non quærunt. Et hoc dumtaxat in rebus ad aliquam pertinentibus disciplinam. Nam in alio vitæ actu, prorsus nescio quo pacto possit homo nihil credere. Quamquam in illis etiam qui se in agendo probabilia sequi dicunt, scire potius nihil posse, quam nihil credere, volunt videri. Quis enim quod probat non credit? Aut quomodo est illud quod sequuntur, si non probatur, probabile? Quare duo genera possunt esse adversantium veritati: unum eorum, qui scientiam tantum oppugnant, non fidem: alterum eorum, qui utrumque condemnant; qui tamen utrum in rebus humanis inveniri possint, rursus ignoro. Hæc dicta sunt, ut intelligeremus nos retenta fide illarum etiam rerum quas nondum comprehendimus, à temeritate opinantium vindicari. Nam qui dicunt nihil esse credendum nisi quod scimus, id unum cavent nomen opinionationis, quod fatendum est turpe ac miserrimum: sed si ^a diligenter considerent plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua auctoritate commotus: profecto erroris, & inhumanitatis, atque superbiæ crimen vitabit.

26. QUÆRO enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed inter-

CAP. XII.
Credere
in multis
quàm ne-
cessarium
ad huma-
nam socie-
tatem.

a Sola editio Lov. Sed si quis consideret.

terposita matris auctoritate de patre creditur; de ipsa verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur: quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum iudicaverit, qui veros fortasse parentes minimè dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omninò humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum.

Tutissimum obtemperare sapientibus.

§ I. Retr. 14.

27. Sed nunc accipe, quod jam facilius me tibi persuasurum esse confido. Cum de religione, id est, cum de colendo atque intelligendo Deo agitur, ii minis sequendi sunt, qui nos credere vetant, rationem promptissime pollicentes. Nam * nemini dubium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse. Nunc autem sapientes voco, non cordatos & ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes: ceteros autem, cujusque modi artibus inertisque affecti sint, quolibet victu probandi sive improbandi, stultorum in numero deputaverim. Quæ cum ita sint, quis mediocriter intelligens non planè viderit, stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtempe-

ra-

rare sapientium, quàm suo iudicio vitam degere? Nam omne factum, si rectè factum non est, peccatum est: nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præstò est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit: à recta enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, ut ita dicam, dominus sui facti stultus existimandus est, cum est tamquam instrumentum ministeriumque sapientis. Quare si omnibus hominibus non peccare quàm peccare melius est; melius profectò stulti omnes viverent, si servi possent esse sapientium. Atque hoc si in rebus minoribus, ut in mercando vel colendo agro, in uxore ducenda, in suscipiendis educandisque liberis, in ipsa denique re familiari administranda expedire nemo ambigit, multò magis in religione. Nam & res humanæ promptiores ad dignoscendum sunt, quàm divinæ; & in quibuscumque sanctoribus & præstantioribus, quo majus eis obsequium cultumque debemus, eo sceleratiùs periculosiusque peccatur. Nihil igitur nobis restare à modo vides, quamdiù stulti sumus, si nobis vita optima & religiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiæ neque ita multum sentire, dum inest nobis, & evadere aliquando possumus.

28. HIC rursus oritur difficillima quæstio. Quonam enim modo stulti sapientem inveniant. TOM. I.

a Omnes MSS. admodum vides, sive quod idem est, ammodum.

CAP. XIII. Quis sapientia caret, non quærit sapientem, nisi esse credat.

re poterimus, cum hoc nomen, tametsi nemo ferè audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vindicant, cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut a certum unum necesse sit esse sapientem? Sed quinam iste sit, cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci planè atque percipi, omnino non video. Neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum, cujus ea signa sunt, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat. Non enim ut aurum & argentum, ceteraque id genus, & cognoscere cum videas, & non habere concessum est; ita sapientiam mentis ejus oculo, qui ea careat, videri fas est. Sensu enim corporis quæcumque adtingimus, forinsecus nobis offeruntur: & ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum, vel ejus generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est: nec id habere quidquam est aliud, quàm videre. caret autem stultus sapientia: non igitur novit sapientiam. Non enim oculis eam posset videre: non autem potest videre & non habere, neque habere ac stultus esse. Nescit hanc igitur, & dum nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non potest quamdiu stultus est, quisquam certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando tanto stultitiæ malo liberetur.

Ita & Religio non quæritur, nisi esse credatur.

29. Huic igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quærimus, Deus solus mederi potest: quem nisi & esse, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem

a Er. & plures MSS. aut certè unum.

dem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tanto molimine investigare cupimus? Quid optamus adtingere? Quò pervenire desideramus? Eòne, quod esse, aut ad nos pertinere non credimus? Nihil est tali mente perversius. Tunc cum beneficium à me petere non aures, aut certè impudenter aures, inventionem religionis postulatum venis, cum Deum neque esse, neque si sit, curare nos putes? Quid si tanta res est, quæ nisi sedulo, atque omnibus viribus quæsita nequeat reperiri? Quid si ipsa difficillima inventio, ad capiendum quod inventum erit, mentem quærentis exercet? Quid enim oculis nostris hac luce jucundius, & familiarius? Quam tamen perpeti, atque tolerare post diuturnas tenebras nequeunt. Quid exhausto ægrotatione corpori accommodatius, quàm cibus & potio? Videmus tamen convalescentes refrenari atque cohiberi, ne saturitati valentium committere sese audeant, cibusque ipsis agere, ut ad illum morbum, quo eos repudiabat, revertantur. De convalescentibus loquor: quid, ipsos ægrotantes nonne urgemus, ut aliquid sumant? In quo profectò nobis cum tanta molestia non obtemperarent, si se illum morbum evasuros esse non crederent. Quando ergo tu te operosissimæ, ac laboriosissimæ inquisitioni dabis? Quando tantam, quanta ipsa res digna est, curam, negotiumque tibi audebis imponere, cum id quod quæris, esse non credas? Rectè igitur catholicæ disciplinæ majestate institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia.

30. ITAQUE ille hæreticus (si quidem de his nobis sermo est, qui se christianos dici volunt) quam mihi rationem afferat, quæso te?

o 2

CAP. XIV.
Si nihil credendum est, nec ipsa esse re-
li-

ligio cre-
detur.

te? Quid est, unde à credendo, veluti à temeritate revocet? Si nihil me credere jubet, hanc ipsam veram Religionem ullam in rebus humanis esse non credo: quam cum esse non credo, non quæro. At ille, ut opinor, quærenti monstraturus est: ita enim scriptum est: *Quærens inveniet.* Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem nisi aliquid crederem. Estne ulla major dementia, quam ut ei sola, quæ nulla scientia subnixæ est, fide displiceam, quæ ad eum ipsum me sola perduxit?

Matt. 7. 8.

Christo
creden-
dum esse
docent om-
nes etiam
hæretici.

31. Quid quòd omnes hæretici Christo nos credere hortantur? Possunt ne magis sibi adversari? In quo dupliciter urgendi sunt. Primum quærendum ab his, ubi sit ratio quam pollicebantur, ubi objurgatio temeritatis, ubi præsumptio scientiæ. Si enim turpe est sine ratione cuiquam credere, quid expectas, quid satagis, ut alicui sine ratione credam, quò facilius tua ratione duci possim? An firmum aliquid superædificabit ratio tua fundamento temeritatis? Secundum illos loquor, quibus credendo displicemus. Nam ego credere ante rationem, cum percipiendæ rationi non sis idoneus, & ipsa fide animum excolere excipientis seminibus veritatis, non solum saluberrimum iudico, sed tale omnino, sine quo ægris animis salus redire non possit. Quod illis cum deridendum, & plenum temeritatis videtur, profectò ut Christo credamus, agunt impudenter. Deinde fateor me jam Christo credidisse, & in animum induxisse, id esse verum quod ille dixerit, etiamsi nulla ratione fulciatur: hoc, hæretice, principio me a docturus es? Sine paulu-

a

a Plures MSS. ducturus es.

Iulium mecum ipse considerem (quoniam Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi) quibus de illo crediderim, ut ad te jam tali fide præstructus accedam. Nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ: hos autem populos Ecclesiæ catholicæ mysteria usquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid utile præcepisse jam credidi? Tune mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur a esse credendum? Hoc ergo credidi, ut dixi, famæ, celebritate, consensione, vetustate b roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, c quàm nihil dignum auctoritate præferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum; & à nobis disce, quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quidquam docere possent; multò facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam, nisi ab iis, per quos ei credidisset, discendum. O ingentem confidentiam, vel potiùs ineptiam! Ego te doceo, quid Christus præceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? Sed oportet, inquit, ut credas. Num vobis eum commendan-

a

b

c

o 3

ti-

a Vaticani quatuor, & nonnulli è Gallicanis MSS. non esse credendum.

b In MSS. roborata.

c Plures MSS. quin.

tibus? Non, inquit: nam nos, illos qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est. Utrum per vos, an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam, ut tu me doceas? Deberem fortasse; nisi me hoc illi præcipuè monerent, ut omnino ad te non accederem: dicunt enim perniciosas vos habere doctrinas. Respondebis, Mentiantur. Quomodo igitur eis de Christo credam, quem non viderunt; de te non credam, quem nolunt videre? Scriptis, ait, crede. At scriptura omnis, si nova & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione, non ei, sed illis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem scripturas istas si vos profertis, tam pauci & incogniti, non libet credere. Simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando, quam reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem famamque revocabis. Cohibe tandem pertinaciam, & nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & mone potius, ut huius multitudinis primates quæram, & quæram diligentissimè ac laboriosissimè, ut ab his potius de his litteris aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare sub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus auctoritatem ipse concedis.

Christus ipse maxime exegit fidem.

32. Si autem Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, christiani non sunt. Nam id adversus nos Pagani quidam dicunt, stultè quidem, sed non sibi adversi, nec repugnantes. Hos vero quis ferat ad Christum se pertinere profiteri, qui nisi apertissimam rationem stultis de Deo protulerint, nihil credendum esse contendunt? At ipsum

sum videmus quantum illa, cui & ipsi^a credunt, docet historia, nihil prius, neque fortius, quam credi sibi voluisse: cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. Quid enim aliud agunt tanta & tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur? Fide ille stultos ducebat, vos ratione ducitis. Clamabat ille ut crederetur, vos reclamatis. Laudabat credentes ille, vos objurgatis. Nisi verò, aut in vinum aquam converteret, ut alia omittam, si nihil tale facientem, sed docentem homines sequi possent: aut nihil pendenda vox illa est: *Credite Deo, Joan. 14. 1.* & *mihī credite*: aut temeritatis ille culpandus est, qui cum in domum suam venire noluit, solo ejus imperio pueri sui morbum credens esse cessurum. Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem: quam non solum hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veterinosus error violenter adversans, aliqua ex parte convelleret.

33. QUAMOBREM tametsi docere non valeo, monere tamen non desino: ut quoniam multi se sapientes videri volunt, neque utrum sint stulti, dignoscere facile est; omnintentione, votisque omnibus, gemitibus denique, vel etiam, si fieri potest, fletibus Deum deprecere, ut te ab erroris malo liberet, si tibi beata vita cordi est. Quod facilius fiet, si præceptis ejus, quæ tanta Ecclesiæ catholicæ

CAP. XV.
Sapientia
Dei incarnata, via
ad religionem
commodissima.

O 4

auc-

^a Veteres libri, cedunt.

auctoritate firmata esse voluit, libens obtemperes. Cùm enim sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separaret, Deus enim est veritas; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat: negare non possumus inter stultitiam hominis, & sincerissimam Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam. Sapiens enim, quantum datum est, imitatur Deum; homini autem stulto, ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius: quem quoniam, ut dictum est, intelligere ratione non facile est, oportebat quædam miracula ipsis oculis admoveri, quibus utuntur stulti multò quàm mente commodiùs, ut commotorum auctoritate hominum priùs vita moresque purgarentur, & ita rationi accipiendæ habiles fierent. Cùm igitur & homo esset imitandus, & non in homine spes ponenda; quid potuit indulgentius & liberalius divinitus fieri, quàm ut ipsa Dei sincera, æterna, incommutabilisque Sapientia, cui nos hæere oportet, suscipere hominem dignaretur? Qui non modò illa faceret, quibus ad sequendum Deum invitaremur; sed etiam illa pateretur, quibus à sequendo Deo deterrebamur. Nam cùm adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, nisi id plenè perfectèque dilexerit; quod nullo pacto fiet, quamdiù mala corporis, atque fortuita formidantur: ille nascendo mirabiliter, & operando conciliavit caritatem; moriendo autem & resurgendo exclusit timorem. Jam verò talem se in ceteris rebus omnibus præbuit, quas persequi longum est, ut & divina clementia quò porrigi, & humana infirmitas quò possit evehi, sentiremus.

HÆC

34. HÆC est, crede, saluberrima auctoritas, hæc priùs mentis nostræ à terrena inhabitatione suspensio, hæc in Deum verum ab hujus mundi amore conversio, sola est auctoritas, quæ commovet stultos ut ad sapientiam a festinent. Quamdiu intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est; sed certè miserius non moveri. Si enim Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin verò & species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, & interior nescio quæ conscientia Deum querendum, Deoque servientium meliores quosque animos quasi publicè privatimque hortatur; non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, adtollamur in Deum. Hæc autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut sæpè diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum est necessarium sapienti: quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, id est, inhæere veritati: quod profectò sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut brevè explicem, amor quarumlibet rerum, præter animum & Deum: à quibus sordibus quantò est quis purgator, tantò verum faciliùs intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cùm ideo purgetur ut videas, perversum certè atque præposterum est. Homini ergo non valenti

CAP. XVI.
Auctoritas
divinitus
constituta,
quæ partim
miraculis,
partim sequentium
multitudine
moveret
ad fidem.

a

b

a Plerique MSS. festinetur. Quidam, festinentur.

b Sic MSS. At editi, & interiori nescio qua conscientia.

verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præstò est: quam, ut paulò antè dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius, & omninò stultis hominibus, quàm id quod sensibus admoveatur. Sed rursus hæc in duo dividuntur: quædam enim sunt quæ solam faciunt admirationem; quædam verò magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volentem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi & desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam; saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt: ita quædam corpori manifestiore beneficio, quædam verò menti occultiore signo, & omnia hominibus majestatis testimonio consulebant: sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista * modò non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent. Nam diei & noctis vices, & constantissimum ordinem rerum cælestium, annorum quadrifariam conversionem, decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem

* I. Retr.

14.

nem lucis, colorum, sonorum, odorum, saporumque varietates, da qui primùm videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus, hebescit, obruiturque miraculis: nos verò hæc omnia, non cognoscendi facilitate (quid enim caussis horum obscurius?) sed certè sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.

35. MORES autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his prava sunt, quod ferè superantibus libidinibus evenit, improbare citiùs & detestari, quàm deserere aut mutare possimus. Parum ne consultum rebus humanis arbitraris, quòd nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque, in tam multis diversisque gentibus, & credit, & prædicat? Quòd continentia usque ad tenuissimum victum panis & aquæ, & non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quòd castitas usque ad conjugii prolisque contemptum; quòd patientia usque ad cruces flammisque neglectas; quòd liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus; quòd denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hæc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremò populi: populi suam imbecillitatem, quòd ista non possunt, nec sine propectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis

CAP. XVII.
Mores boni populis
ut uti-
ter aucto-
ritate per-
suasi.

tis accusant. Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate ^a damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos ratione præcolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto * labore prædita auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quamquam vilis & facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?

CAPUT
XVIII.
Conclusio
per exhortationem.

36. QUAMOBREM si quid te vel ratio, vel oratio nostra commovit, & si veram, ut credo, curam tui geris; velim me audias, & bonis præceptoribus catholice christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritate com-

^a Editio Er. cum aliquot MSS. *damnantis columnen auctoritatis.*

committas: Deumque ipsum, cujus unius & bonitate facti sumus, & justitia poenas limumus, & clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque præcepta, & disputationes doctissimorum hominum & verè christianorum, neque libri, neque serena ipsa cogitationes defuerint, quibus facile quod quæris invenias. Nam istos verbosos & miseros (quid enim aliud mitius dixerim?) penitus desere, qui dum nimis quærunt, unde sit malum, nihil reperiunt nisi malum. In qua quæstione sæpè auditores erigunt ad quærendum: sed ea docent excitatos, ut vel dormire semper satius sit, quam illo modo evigilare. De lethargicis enim phreneticos faciunt: inter quos morbos, cum sit uterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quod lethargici sine aliena vexatione moriuntur; phreneticus autem multis sanis, & eis potissimum qui volunt subvenire, metuentus est. Nam neque Deus mali auctor est, nec unquam eum quidquam fecisse poenituit, nec ullius commotionis animi tempestate turbatur, nec terræ particula regnum ejus est: nulla flagitia vel scelera probat, aut imperat, numquam mentitur. Hæc enim atque hujusmodi nos movebant, cum ea ^a magnis invectionibus quaterent, & hanc esse veteris Testamenti disciplinam insimularent: quod omnino falsissimum est. Itaque illos rectè reprehendere ista concedo. Quid ergo didici? Quid putas, nisi cum ista reprehenduntur, disciplinam catholicam non reprehendi? Ita quod apud eos verum didiceram, teneo: quod falsum putaveram, respuo. Sed & alia multa me docuit Ecclesia catholica, quò illi homines exsanguis corporibus,

^a Editi, *magis.* At MSS. *magnis.*

Ecclesiæ
catholicæ
auctoritas.

UNIVERSITATIS
MAGNÆ
AUGUSTINIANÆ

UNIVERSITATIS
MAGNÆ
AUGUSTINIANÆ
NOMINA
AL DE

bus, sed crassi mentibus, adspirare non possunt: Deum scilicet non esse corporeum, nullam ejus partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantia ejus atque natura ullo modo esse violabile aut commutabile, aut^a compositum aut fictum: quæ si mihi concedis (non enim aliter de Deo sentiendum est) omnia illorum machinamenta subversa sunt. Illud verò quomodo sit, ut nec Deus malum genuerit aut fecerit, nec ulla sit fueritve unquam natura atque substantia, quam non Deus aut genuerit aut fecerit, & tamen à malo nos liberet; tam necessariis rationibus approbatur, ut dubitari omninò non possit, præsertim tibi, atque talibus; si tamen bono ingenio pietas, & pax quædam mentis accedat, sine qua de tantis rebus nihil prorsus intelligi potest. Et hîc non fama de fumo est, & nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare, & animum non subtilem, sed planè puerilem. Longè omninò, longè se aliter, non ut manichæi desipiunt, veritas habet. Sed quoniam iste sermo noster multò processit longiùs quàm putabam, hîc finem libro faciamus: in quo meminere volo, * nondum me manichæos coepisse refellere, & illas nugas nondum invasisse: neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse; sed voluisse tantummodo erudere tibi, si possem, falsam opinionem de veris christianis malitiosè aut imperitè nobis insinuatam, & erigere ad magna quædam & divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortasse in ceteris promptior.

AD-

^a In MSS. aut compositum.

Persica fabella.

* i. Retr. 14.



ADMONITIO IN SEQUEM LIBRUM DE VERA RELIGIONE.

INTER opuscula, quæ S. Augustinus nondum presbyter (quam dignitatem anno 391. adeptus est) emisit in lucem, postremum in Retractationibus locum adsignat Libro de Vera Religione; quem idcirco ad annum 390. referendum censemus. Jam ante annos aliquot hujus argumenti tractationem Romaniano civi suo, & Mæcenati pollicitus erat, uti meminit cap. 7. n. 12. Id verò in se receperat scribens an. 386. contra Academicos lib. 2. cap. 3. n. 8. Porro in epistola 113. ad Romanianum, confectum à se opus memorat, ipsi propediem transmittendum.

Evodium postea de existentia Dei dubia quædam proponentem ad huncce librum remittit in epist. 101. patetque ex epist. 32. ad Paulinum, eundem librum unum esse ex quinque illis, quos Pentateuchum contra manichæos appellat Paulinus, qui eos ab Alypio dono acceperat, & quorum occasione in laudem Augustini sic exclamat in epist. 31. O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lu-

bus, sed crassi mentibus, adspirare non possunt: Deum scilicet non esse corporeum, nullam ejus partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantia ejus atque natura ullo modo esse violabile aut commutabile, aut^a compositum aut fictum: quæ si mihi concedis (non enim aliter de Deo sentiendum est) omnia illorum machinamenta subversa sunt. Illud verò quomodo sit, ut nec Deus malum genuerit aut fecerit, nec ulla sit fueritve unquam natura atque substantia, quam non Deus aut genuerit aut fecerit, & tamen à malo nos liberet; tam necessariis rationibus approbatur, ut dubitari omninò non possit, præsertim tibi, atque talibus; si tamen bono ingenio pietas, & pax quædam mentis accedat, sine qua de tantis rebus nihil prorsus intelligi potest. Et hîc non fama de fumo est, & nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare, & animum non subtilem, sed planè puerilem. Longè omninò, longè se aliter, non ut manichæi desipiunt, veritas habet. Sed quoniam iste sermo noster multò processit longiùs quàm putabam, hîc finem libro faciamus: in quo meminere volo, * nondum me manichæos coepisse refellere, & illas nugas nondum invasisse: neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse; sed voluisse tantummodo erudere tibi, si possem, falsam opinionem de veris christianis malitiosè aut imperitè nobis insinuatam, & erigere ad magna quædam & divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortasse in ceteris promptior.

AD-

^a In MSS. aut compositum.

Persica fabella.

* i. Retr. 14.



ADMONITIO IN SEQUEM LIBRUM DE VERA RELIGIONE.

INTER opuscula, quæ S. Augustinus nondum presbyter (quam dignitatem anno 391. adeptus est) emisit in lucem, postremum in Retractationibus locum adsignat Libro de Vera Religione; quem idcirco ad annum 390. referendum censemus. Jam ante annos aliquot hujus argumenti tractationem Romaniano civi suo, & Mæcenati pollicitus erat, uti meminit cap. 7. n. 12. Id verò in se receperat scribens an. 386. contra Academicos lib. 2. cap. 3. n. 8. Porro in epistola 113. ad Romanianum, confectum à se opus memorat, ipsi propediem transmittendum.

Evodius postea de existentia Dei dubia quædam proponentem ad huncce librum remittit in epist. 101. patetque ex epist. 32. ad Paulinum, eundem librum unum esse ex quinque illis, quos Pentateuchum contra manichæos appellat Paulinus, qui eos ab Alypio dono acceperat, & quorum occasione in laudem Augustini sic exclamatur in epist. 31. O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lu-

lucem veritatis à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas &c. *Certè liber de Vera Religione, si quis alius, hoc elogium Augustino demerebatur. Etsi enim recens tum, cum eum scripsit, in vera religionis partes perductus esset, nec alio quàm christiani catholici nomine præditus; eo tamen sublimi modo christiana Religionis sacramenta exponit, oppositorumque dogmatum in primis manichæorum revellit fundamenta, ut jam tum absolutissimi doctoris, & strenuissimi episcopi vices impleverit.*

LIB. I. RETRACT. CAP. XIII.

1. **T**UNC etiam *de Vera Religione* librum scripsi, in quo multipliciter & copiosissimè disputatur, unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Religionem vera colendum: & quanta misericordia ejus, per temporalem dispensationem concessa sit hominibus christiana Religio, quæ vera Religio est, & ad eundem cultum Dei quemadmodum sit homo quadam vita sua coaptandus. Maximè tamen contra duas naturas manichæorum liber hic loquitur.

Cap. 10.

2. In hoc libro quodam loco: *Sit, inquam, tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in Religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua.* Hic animam pro universa creatura incorporali posui, non loquens more Scripturarum, quæ animam, quando non translato verbo utuntur, nescio utrùm velint intelligi nisi eam, qua vivunt animalia mortalia, in quibus & homines sunt, quamdiu mortales sunt. Paulò post autem eundem

dem sensum meliùs sum, breviusque completus, ubi dixi: *Non ergo creature potius quàm creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris, & perfecta Religio est.* Creaturam quippe uno nomine utramque, id est, spiritalem corporalemque significavi. Restat quod ibi dixi, *aut phantasmata sua:* propter quod hic dixi, *nec evanescamus in cogitationibus nostris.*

3. Item quod dixi: *Ea est nostris temporibus christiana Religio, quam cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est;* secundum hoc nomen dictum est, non secundum ipsam rem, cujus hoc nomen est. Nam res ipsa, quæ nunc christiana Religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera Religio quæ jam erat, cœpit appellari christiana. Cum enim eum post resurrectionem adscensionemque in cælum cœpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli christiani. Propterea dixi: *Hæc est nostris temporibus christiana Religio;* non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit.

Ibidem.
Religio christiana apud antiquos fuit.
Act. II.
26.

4. Alio loco: *Intende igitur, inquam, in hæc quæ sequuntur diligenter & piè, quantum potes: tales enim adjuvat Deus.* Quod non ita intelligendum est, quasi tantummodo tales adjuvet, cum adjuvet etiam non tales, ut sint tales, id est, ut diligenter & piè quærant: tales autem adjuvat, ut inveniant. Itemque alibi: *Deinde, inquam, jam erit consequens, ut post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituitur pristinae stabilitati.*

Cap. 12.

Tom. I.

P

Quod

Quod sic accipiendum est, quia etiam pristina stabilitas corporis, quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, ut in defectum non vergeret senectutis. Huic ergo pristinae stabilitati restituatur hoc corpus in resurrectione mortuorum. Sed habebit amplius, ut nec alimentis corporalibus sustentetur; sed ad sufficientiam vivificetur solo spiritu, cum resurrexerit in spiritum vivificantem, qua causa etiam spiritale erit. Illud autem quod primum fuit, quamvis non moriturum nisi homo peccasset, tamen animale factum est in animam viventem.

Cap. 14.

5. Et alibi: *Usque adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Potest videri falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam poena peccati, sicut superius ostendi, cum quædam commemorarem ex libro tertio de Libero arbitrio. Quamvis & illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus vel à coactis perpetrantur, non omnimodo possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille qui concupiscentia adversus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult: sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitiæ, servusque peccati. Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam

Lib. 1.
Retr. c. 9.

VO-

voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hereditarium. Non itaque falsum est quod dixi: *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Ideo gratia Dei non solum reatus omnium præteritorum solvitur in omnibus, qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verum etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & caritatis.

6. Alio loco in eo quod dixi de Domino Jesu Christo: *Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo;* non mihi occurrerat, quod vendentes & ementes flagellando eiecit de templo. Sed quid hoc, aut quantum est? Quamvis & dæmones nolentes ab hominibus, non sermone suasionis, sed vi potestatis eiecerit. Item alio loco: *Prius, inquam, isti sequendi sunt, qui unum Deum summum, solum verum Deum, & solum colendum esse dicunt: si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est.* Quod ita potest videri dictum, quasi de hujus Religionis veritate dubitaverim. Dixi autem sicut ei * congruebat, ad quem scribebam. Sic enim dixi: *Si apud hos veritas non eluxerit, nihil dubitans quod apud eos elucesceret, quemadmodum ait Apostolus, si Christus non resurrexit, non utique dubitans, quod resurrexerit.*

Cap. 16.

Cap. 25.

* Romania-
no.1. Cor. 15.
14.

7. Item quod dixi: *Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravat, verum est quidem: non enim nunc usque, cum mantis imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum,*

P 2

tum,

tum, ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc usque ad umbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi: & si qualia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum fuisse jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus.

Protasii. &
Gervasii. l.
9. Conf. c.
7.

Cap. 41.

Rom. 13. 1.

Cap. 41.

Cap. 46.

Lib. 1.
Retr. c. 10.

8. Et alio loco illud quod dixi: *Sicut ait Apostolus: Omnis ordo à Deo est; non eisdem verbis hoc dixit Apostolus, quamvis eadem videatur esse sententia. Ait quippe ille: Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Et alibi: Prorsus, inquam, nemo nos fallat: quidquid rectè vituperatur, in melioris comparatione respicitur. Hoc de substantiis, atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis. Itemque alibi: Sed nec sic quidem, inquam, ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, aut affines, aut civas: nam & ista dilectio temporalis est. Non enim ulla tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis & imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegatur. Hunc sensum prorsus improbo, quem jam & superius improbavi in primo libro de Genesi contra manichæos. Ad hoc enim ducit, ut credantur illi conjuges primi non generaturi posteros homines, nisi peccassent; tamquam*

quam necesse fuerit, ut morituri gignerentur, si de concubitu maris & feminae gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse, ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura. Ac per hoc si & in parentibus, & in filiis fecunditas, felicitasque mansisset, usque ad certum sanctorum numerum, quem prædestinavit Deus, nascerentur homines, non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi. Essent ergo etiam istæ cogitationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur.

9. Item alio loco: *Ad unum Deum tendentes, inquam, & ei uni religantes animas nostras, unde Religio dicta creditur, omni superstitione careamus. In his verbis meis ratio quæ reddita est, unde sit dicta Religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam nominis hujus originem exposuisse latini sermonis auctores, quod inde sit appellata Religio, quod religitur: quod verbum compositum est à legendo, id est, eligendo, ut ita latinum videatur religo, sicut eligo. Hic liber sic incipit: Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ viæ.*

Cap. 55.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE VERA RELIGIONE

LIBER UNUS.*

* Scriptus
circa an.
Chr. 390.

Præmisso veram Religionem non reperiri apud Paganos, neque in secta ulla præterquam in catholica Ecclesia; mox divinæ æconomix erga humanam salutem historia (quod quidem christiæ religionis caput ac fundamentum est) sic explicatur, ut manichæorum de duabus præsertim naturis, seu de malæ origine, & natura errores revincantur. Agitur de duplici via, qua Deus hominibus consulit, auctoritate credentes ad salutem vocans, intelligentes ratione. Quippe ratione subnixus homo ex rebus inferioribus ad Deum evehitur: imò ad ipsum prosequendum admonetur ex ipsis vitiis, de quorum triplici genere prolixum hinc sermonem instituit Augustinus; qui denique unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vera Religione colendum esse concludit.

CAPUT I.
Philosophi
de religio-
ne aliud in
scholis do-
cebant, ali-

I. **CUM** omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera Religione sit constituta, qua unus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, à quo universitas & incohatur, & perficitur, & continetur:
hinc

hinc evidentiùs error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere, quàm unum verum Deum & Dominum omnium maluerunt, quòd eorum sapientes, quos Philosophos vocant, scholas habebant dissentientes, & templa communia. Non enim vel populos, vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quàm diversa sentirent, cum suam quisque opinionem publicè profiteri non formidaret, atque omnibus, si posset, persuadere moliretur; omnes tamen cum sectatoribus suis diversa & adversa sentientibus, ad sacra communia nullo prohibente veniebant. Non nunc agitur, quis eorum veriùs senserit; sed certè illud satis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione suscepisse cum populo, & aliud eodem ipso populo audiente defendisse privatim.

2. SOCRATES tamen audacior ceteris fuisse perhibetur, jurando per canem quemlibet, & lapidem quemlibet, & quidquid iuramento esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Credo intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ administrante divina providentia gignerentur, multò quàm hominum & quorumlibet opificum esse meliora, & ideo divinis honoribus digniora, quàm ea quæ in templis colebantur. Non quòd verè lapis, & canis essent colenda sapientibus, sed ut hoc modo intelligerent qui possent, tanta superstitione demersos esse homines, ut emergentibus hic esset tam turpis demonstrandus gradus, ad quem venire si puderet, viderent quanto magis pudendum esset in turpiore consistere. Simul & illos qui mundum istum visibilem summum Deum esse opinabantur, admonerat turpitudinis suæ, docens esse con-

ud in tem-
plis profi-
tebantur.

CAPUT II
De diis
quid Socra-
tes senserit.

Mundus
hic pro Deo
habitus.

sequens, ut quilibet lapis tamquam summi Dei particula jure coleretur. Quod si execrarentur, mutarent sententiam, & unum Deum quærerent, quem solum supra mentes nostras esse, & à quo omnem animam, & totum istum mundum fabricatum esse constaret. Postea suavius ad legendum, quam potentiùs ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic isti nati erant, ut populorum suorum opinionem ad verum cultum veri Dei, à simulacrorum superstitione, atque ab hujus mundi vanitate converterent. Itaque & ipse Socrates cum populo simulacra venerabatur, & post ejus damnationem mortemque, nemo ausus est jurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem Jovem, sed hæc tantummodo memorie litterisque mandare. Quod utrum timore a severitatis, an aliqua cognitione temporum fecerint, judicare non est meum.

CAPUT III.
Vera Religio christiana, quæ hominibus persuasit, quod illis persuaderi posse Plato non credit.

3. **ILLUD** tamen fidentissimè dixerim, pace horum omnium qui eorum libros pervicaciter diligunt, christianis temporibus quænam Religio potissimum tenenda sit, & quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viveret, & me interrogantem non aspernaretur, vel potius si quis ejus discipulus eo ipso tempore quo vivebat, eum interrogaret (cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri, cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quam vitam libidinibus deditam, & falsas imagines rerum sensibilem, quæ nobis ab hoc sensibili mundo

per

^a MSS. novem omittunt, *severitatis*, è quibus Gemeticensis ita prosequitur: *an alia cognitione*, &c.

per corpus impressæ, varias opiniones erroresque generarent: quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa verè summèque sit: cetera nasci, occidere, fluere, labi, & tamen in quantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata constare: in quibus animæ tantum rationali & intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur, atque afficiatur, orneturque ex ea, æternamque vitam possit mereri: sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore, ac dolore sauciatur, & dedita consuetudini hujus vitæ, atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irridet eos, qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola & intelligentia cerni queat) cum hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent; aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum divinis honoribus dignum judicaret: responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem fortè ipsa Dei Virtus, atque Sapientia ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate

te

te subveheret, ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiando quæ horrescunt, & omnia faciendo quæ mirantur; genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore, atque auctoritate converteret. De honoribus verò ejus frustra se consuli, cum facillè possit existimari, quanti honores debeantur Sapientiæ Dei, qua gestante & gubernante, ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium, & quod supra homines esset, mereretur.

4. Quæ si facta sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, & ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri, virtutibus, atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt: si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt: & ne de præteritis loquar, quæ potest quisque non credere, si hodie per gentes populosque prædicatur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima sanetur, & tantæ luci hauriendæ mentis acies convalescat, dicitur avaris: Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea & ærugo exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea neque rubigo exterminat, neque fures effodiunt, neque furantur: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum: dicitur luxuriosis: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æter-*

Joan. 1. 1.

Matt. 6. 19.

Gal. 6. 8.

æternam: dicitur superbis: Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur: dicitur iracundis: Accepisti alapam, para alteram maxillam: dicitur discordiosus: Diligite inimicos vestros: dicitur superstitiosus: Regnum Dei intra vos est: dicitur curiosus: Nolite querere quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt: postremò dicitur omnibus: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi.

5. Si hæc per totum orbem jam populis leguntur, & cum veneratione libentissimè audiuntur: si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto fertilius & uberiùs usque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt: si tot juvenum & virginum millia contemnentium nuptias, castèque viventium jam nemo miratur; quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturæ a, ut tamquam peccatum illud aboleretur: si hæc sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit: si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes, quas homines incolunt, sacra christiana traduntur: si hæc quotidie leguntur in Ecclesiis, & à sacerdotibus exponuntur: si tundunt pectora, qui conantur hæc implere: si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis, & honoribus hujus mundi ex omni hominum gene-

Luca 14. 11.

Matt. 5. 39.

Luca 6. 35.

Matt. 5. 44.

Luca 17. 21.

2. Cor. 4. 18.

1. Joan. 2. 15.

a In MSS. septem, sacrificasse naturæ naturam exsebratus, ut tamquam &c.

nere uni Deo summo totam vitam dicere volentium, desertæ quondam insulæ, ac multarum terrarum solitudo compleatur: si denique per urbes atque oppida, castella, vicos, & agros etiam, villasque privatas in tantum aperte persuadetur, & appetitur à terrenis aversio, & in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat: *Sursum corda se habere ad Dominum*: quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, & in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur; si quando autem ad disputationem venit, platonico nomine ora crepantia, quàm pectus vero plenum, magis habere gestimus?

6. QUI ergo sensibilem istum mundum contemnere, & animam virtute purgandam summo Deo subicere atque subjugare, vanum aut malum putant, alia ratione refellendi sunt: si tamen cum his dignum est disputare. Qui autem bonum & appetendum fatentur, cognoscant Deum, & cedant Deo, per quem populis jam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod utique ab ipsis fieret, si tantum valerent: aut si non fieret, crimen invidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei à quo factum est, nec curiositate aut inani jactantia impediuntur, quominus agnoscant, quid intersit inter paucorum^a timidæ conjecturas, & manifestam salutem correptionemque populorum. Illi enim si reviviscerent, quorum isti nominibus gloriantur, & invenirent refertas Ecclesias, templaque deserta, & à cupiditate bonorum temporalium & fluentium ad spem vitæ

^a Sic in MSS. melioris notæ. At in vulgatis legitur, *timidæ*.

tæ æternæ, & bona spiritalia & intelligibilia vocari, & currere humanum genus; dicerent fortasse (si tales essent quales fuisse memorantur) Hæc sunt quæ nos persuadere populis non ausi sumus, & eorum potius consuetudini cessimus, quàm illos in nostram fidem, voluntatemque traduximus.

7. Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursus agere potuissent, viderent profectò, cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus, & paucis mutatis verbis atque sententiis, christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur, neque facerent, in superbia & invidia remanentes, nescio utrùm possent ad ea ipsa, quæ appetenda & desideranda esse dixerant, cum istis sordibus, viscoque revolare. Nam tertio vitio curiositatis, in percunctandis dæmonibus, quo isti maximè cum quibus nunc agitur, pagani à christiana salute revocantur, quia nimis puerile est, nescio utrùm tales illi præpedirentur viri.

8. SED quoquo modo se habeat philosophorum jactantia, illud cuivis intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, & de suorum deorum natura ac summo bono, diversas contrariasque sententias in scholis suis, eadem teste multitudine, personabant. Quòd si hoc unum tantum vitium christiana disciplina sanatum videremus, inefabili laude prædicandam esse, neminem negare oporteret. Hæreses namque tam innumerabiles à regula christianitatis aversæ, testes sunt, non admitti ad communicanda sacramenta eos, qui de Patre Deo, & Sapientia ejus, & Munere divino aliter sentiunt, & hominibus

CAPUT V.
In quibus
sectis vera
religio.

Monus divinum, Spiritus Sanctus.

per-

persuadere conantur, quam veritas postulat. Sic enim creditur & docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est, sapientiæ studium, & aliam religionem; cum hi quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant.

9. Quod in illis minus mirandum est, qui eorum quoque sacramentorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui serpentini qui appellantur ^a, sicut manichæi, sicut alii nonnulli. Sed in illis magis animadvertendum hoc, magisque prædicandum, qui paria sacramenta celebrantes, tamen quia sententia dispares sunt, & errores suos animosius defendere, quam cautius corrigere maluerunt; exclusi à catholica communione, & à participatione quamvis parium sacramentorum, propria vocabula propriosque conventus, non in sermone tantum, sed etiam in superstitione meruerunt, ut photiniani, ariani, multique præterea. Nam de iis qui schismata fecerunt, alia quaestio est. Posset enim eos area dominica usque ad tempus ultimæ ventilationis velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimia levitate cecissent, & sese à nobis ultrò separassent. Judæi verò quamvis uni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen temporalia & visibilia bona de illo exspectantes, rudimenta novi populi ab humilitate surgentia, in ipsis suis Scripturis nimia securitate noluerunt advertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cum ita sint, neque in confusione paganorum, neque

^a In excusis omittitur, sicut, quam vocem in plerisque MSS. repertam restituimus, quia Serpentinus à Manichæis non obscure secernit Augustinus in lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 26. & clarius in lib. de hæresibus.

in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate judæorum quaerenda est Religio; sed apud eos solos, qui christiani, catholici, vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, & recta sectantes.

10. HÆC enim Ecclesia catholica per totum orbem validè latèque diffusa, omnibus errantibus utitur ad proventus suos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, judæis ad comparisonem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, id est, viventes aut sentientes carnaliter, tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error ejuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut poenitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentia; aut schisma faciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ; aut hæresim aliquam gignunt, ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi aut sustineri.

11. Sæpe etiam sinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium

CAPUT VI.
Vera religio in sola Ecclesia catholica, quæ omnibus errantibus utitur ad proventus suos

Boni nonnunquam ex Ecclesia ho-

per seditio-
sos expulsi. hominum seditiones expelli de congregatione
Christiana, etiam bonos viros. Quam contu-
meliam vel injuriam suam cum patientissimi-
mè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ul-
las novitates vel schismatis vel hæresis molliti
fuerint, docebunt homines, quam vero affectu,
& quanta sinceritate caritatis Deo servien-
dum sit. Talium ergo virorum propositum est,
aut sedatis remeare turbinibus; aut si id non
sinantur, vel eadem tempestate perseverante,
vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, te-
nent voluntatem consulendi, etiam eis ipsis
quorum motibus perturbationibusque cesserunt,
sine ulla conventiculorum segregatione
usque ad mortem defendentes, & testimonio
juvantes eam fidem, quam in Ecclesia catho-
lica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto
Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur
genus, sed tamen exempla non desunt: im-
mo plura sunt, quam credi potest. Ita omni-
bus generibus hominum, & exemplorum ad
animarum curationem, & ad institutionem spi-
ritalis populi, utitur divina providentia.

12. QUAMOBREM cum ante paucos an-
nos * promiserim tibi scribere, carissime mi-
hi Romaniane, quid de vera Religione senti-
rem; tempus nunc esse arbitratus, postquam
tuas acerrimas interrogationes sine ullo cer-
to fine fluctuare, ea caritate qua tibi obstric-
tus sum, diutiùs sustinere non possem. Re-
pudiatis igitur omnibus, qui neque in sacris
philosophantur, nec in philosophia consecran-
tur; & iis qui vel prava opinione, vel aliqua
simultate superbientes, à regula & commu-
nione Ecclesiæ catholice deviarunt; & iis qui
sanctarum Scripturarum lumen, & spiritualis
populi gratiam, quod novum Testamentum

CAPUT VII.
Catholice
Ecclesiæ
religio am-
plectenda.
Quid illa
profiteatur
* Lib. 2.
cont. Aca-
demicos. c.
3. n. 8.

VO-

vocatur, habere noluerunt, quos quanta po-
tuit brevitate perstrinxi: tenenda est nobis
christiana religio, & ejus Ecclesiæ communi-
catio quæ catholica est, & catholica nomi-
nata, non solum à suis, verum etiam ab om-
nibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quo-
que hæretici, & schismatum alumni, quando
non cum suis sed cum extraneis loquuntur,
Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant.
Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam no-
mine discernant, quo ab universo orbe nun-
cupatur.

13. Hujus religionis sectandæ caput est
historia, & prophetia dispensationis temporalis
divinæ providentiæ, pro salute generis huma-
ni in æternam vitam reformandi atque repa-
randi. Quæ cum credita fuerit, mentem pur-
gabit vitæ modus divinis præceptis conciliatus,
& idoneam faciet spiritalibus percipiendis, quæ
nec præterita sunt, nec futura, sed eodem
modo semper manentia, nulli mutabilitati ob-
noxia, id est, unum ipsum Deum Patrem, &
Filium, & Spiritum sanctum: qua Trinitate
quantum in hac vita datum est cognita, om-
nis intellectualis, & animalis, & corporalis crea-
tura, ab eadem Trinitate creatrice esse, in
quantum est, ^a & speciem suam habere, &
ordinatissimè administrari, sine ulla dubitatione
perspicitur; non ut aliam partem totius crea-
turæ fecisse intelligatur Pater, & aliam Filius,
& aliam Spiritus sanctus, sed & simul omnia
& unamquamque naturam Patrem fecisse per
Filium in dono Spiritus sancti. Omnis enim

TOM. I.

Q

res

^a MSS. undecim carent his verbis, & speciem suam
habere; quæ tamen hic apprimè conveniunt propter se-
cundam Trinitatis personam.

res, vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si quo alio verbo melius enuntiatur, simul hæc tria habet, ut & unum aliquid sit, & specie propria discernatur à ceteris, & rerum ordinem non excedat.

CAP. VIII.
Quæ primò
auctoritate
ducti credidimus,
postmodum
ratione intelligimus.

14. QUO cognito, satis apparebit, quantum homo assequi potest, quam necessariis, & invictis, & justis legibus Deo & Domino suo cuncta subjecta sint: ex quo illa omnia, quæ primò credidimus, nihil nisi auctoritatem secuti, partim sic intelliguntur, ut videamus esse certissima; partim sic ut videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse, doleamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quam nobiscum credere maluerunt. Non enim jam illa hominis sacrosancta susceptio, & Virginis partus, & mors Filii Dei pro nobis, & resurrectio à mortuis, & in cælum adscensio, & consensus ad dexteram Patris, & peccatorum abolitio, & iudicii dies, & corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis & mutabilitate creaturæ, creduntur tantum, & non etiam iudicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.

Hæretici
prosunt
Ecclesie,
1. Cor. II.
19.

15. Sed quoniam verissimè dictum est: *Oportet multas hereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos*; utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cùm autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum querendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quam-

dum

din imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malimus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur ergo etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.

16. CREDO autem adfuturum Deum, ut ista Scriptura, præcedente pietate, legentibus bonis, non adversus unam aliquam, sed adversus omnes pravæ & falsas opiniones possit valere. Contra eos tamen potissimum est instituta, qui duas naturas vel substantias singulis principiis adversus invicem rebelles esse arbitrantur. Offensi enim quibusdam rebus, & rursus quibusdam delectati, non earum quibus offenduntur, sed earum quibus delectantur, volunt esse auctorem Deum. Et cùm consuetudinem suam vincere nequeunt, jam carnalibus laqueis irretiti, duas animas esse in uno corpore existimant: unam de Deo, quæ naturaliter hoc sit quod ipse; alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abjecerit; sed quæ suam vitam, suam terram, suos fetus & animalia, suum postremò regnum habuerit, ingentumque principium; sed quodam tempore adversus Deum rebellasse, Deum autem cùm aliud quod faceret non haberet, & quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, & quamdam particulam suæ substantiæ, cujus commixtione atque a miscela hostem

CAPUT IX.
Manicheorum error
de duobus
principiis
& duabus
animabus.

Q 2

tem

a MSS. novendecim, atque miseria. Ita etiam Bad. & Er.

temperatum esse somniant, & mundum fabricatum.

17. Neque nunc opiniones eorum refellimus, quod partim jam fecimus, partim quantum Deus siverit faciemus: sed in hoc opere quomodo adversus eos fides catholica tuta sit, & quomodo non perturbent animum ea, quibus commoti homines in eorum cedunt sententiam, rationibus quas Dominus dare dignatur, quantum possumus, demonstramus. Illud sanè in primis tenere te volo, qui bene nosti animum meum, non hoc me fugiendæ arrogantiae gratia quasi sollemniter dicere: quidquid in his litteris erroris inveniri poterit, hoc solum mihi esse tribuendum; quidquid autem verum & convenienter expositum, uni omnium bonorum munerum largitori Deo.

CAPUT X.

Historiam divine æconomiae erga nostram salutem narraturus, ostendit primum unde error in religione contingat, & quomodo perfecta religio Deo subveniente instauratur.

*I. Retract. cap. 13. n. 2.

18. QUAMOBREM sit tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua, aut horum aliqua duo conjuncta, aut certè simul omnia; sed in hac vita societati generis humani sine dolo temporaliter congruens, æterna medigaretur, unum Deum colens: qui nisi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. Mutari autem animam posse, non quidem localiter, sed tamen temporaliter, suis affectionibus quisque cognoscit. Corpus vero & temporibus, & locis esse mutabile, cuivis advertere facile est. Phantasmata porro nihil sunt aliud, quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta: quæ memoriæ mandare, ut accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando, facillimum

num est, sed cum verum queritur, cavere & vitare difficile.

19. Non ergo creaturæ potius quam Creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris, & perfecta religio est. Aterno enim Creatori adhærentes, & nos æternitate afficiamur necesse est. Sed quia hoc anima peccatis suis obruta & implicata, per se ipsam videre ac tenere non posset, nullo in rebus humanis ad divina capessenda interposito gradu, per quem ad Dei similitudinem à terrena vita homo niteretur, ineffabili misericordia Dei temporali dispensatione per creaturam mutabilem, sed tamen æternis legibus servientem, ad commemorationem primæ suæ perfectæque naturæ, partim singulis hominibus, partim verò ipsi hominum generi subvenitur. Ea est nostris temporibus christiana religio, quam cognoscere ac sequi, securissima ac certissima salus est.

20. Defendi autem adversus loquaces, & aperiri querentibus, multis modis potest; omnipotente ipso Deo per seipsum demonstrante, quæ vera sunt, & ad hæc intuenda & percipienda bonas voluntates per bonos Angelos, & quoslibet homines adjuvante. Eo modo autem quisque utitur, quem videt congruere iis, cum quibus agit. Ego itaque diu multumque considerans, quales oblatrantes, & quales querentes expertus sim, vel qualis ipse, sive cum latrarem, sive cum quærerem, fuerim, hoc modo mihi utendum putavi. Quæ vera esse perspexeris, tene, & Ecclesiæ catholicæ tribue; quæ falsa, respue, & mihi qui homo sum ignosce; quæ dubia, crede; donec aut respuesta esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat

I. *Retract.*
c. 13. n. 4.

CAPUT XI.
Omnis vita
à Deo. Mors
animæ, ne-
quitia.

piat auctoritas. Intende igitur in hæc, quæ sequuntur, diligenter & piè, quantum potes: tales enim adjuvat Deus.

21. NULLA vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus utique summa vita est, & ipse fons vitæ: nec aliqua vita in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem. Mors autem vitæ non est, nisi nequitia, quæ ab eo quod ne quidquam sit, dicta est: & ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo, qui eam fecit, & cuius essentia fruebatur, & volens contra Dei legem frui corporibus, quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum: & hæc est nequitia: non quia corpus jam nihilum est. Nam & ipsum habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non posset. Ergo ab eo factum est & corpus, qui omnis concordie caput est. Habet corpus quamdam pacem suæ formæ, sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est & corporis conditor, à quo pax omnis est, & qui forma est infabricata, atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem, sine qua corpus non est corpus. Si ergo quæritur, quis instituerit corpus, ille quærat, qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium, & prima atque summa essentia, ex qua est omne quidquid est, in quantum est; quia in quantum est quidquid est, bonum est.

sep. 1. 13.

22. Et ideo ex Deo non est mors: *Non enim Deus mortem fecit, nec lætatur in perditione vivorum*: quoniam summa essentia esse facit omne quod est, unde & essentia dicitur. Mors autem non esse cogit quidquid mo-

moritur, in quantum moritur. Nam si ea quæ moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent, sed tantum moriuntur, quantum minùs essentia participant: quod brevius ita dici potest: tanto magis moriuntur, quanto minùs sunt. Corpus autem minùs est quam vita quælibet, quoniam quantumcumque manet in specie, per vitam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subjacet morti, & ideo vicinius est nihilo: quapropter vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia.

23. HOC autem pacto vita carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro & terra nominatur, & quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit, & eripitur ei quod amat. Id enim amat, quod & minùs est quam vita, quia corpus est; & propter ipsum peccatum, quod amatur fit corruptibile, ut fluendo deserat amatorem suum, quia & ille hoc amando deseruit Deum. Præcepta enim ejus neglexit dicentis: Hoc manduca, & hoc noli. Trahitur ergo ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum, & in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei, quam malè utendo anima corruptioni obnoxiauit? Quid autem dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse speraverat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, & pœna peccati.

o 4

Si

CAP. XII.
Lapsus &
reparatio
totius ho-
minis.

* Sic MSS. omnes. At editi habent, *fecit obnoxiam.*

24. Si autem dum in hoc studio vitæ humanæ anima degit, vincat eas, quas adversum se nutrit cupiditates fruendo mortalibus, & ad eas vincendas gratia Dei se adjuvari credat, mente illi serviens & bona voluntate, sine dubitatione reparabitur, & à multis mutabilibus ad unum incommutabile revertetur, reformata per Sapientiam non formatam, sed per quam formantur universa, fruaturque Deo per Spiritum sanctum, quod est Donum Dei. Ita fit homo spiritalis omnia iudicans, ut ipse à nemine iudicetur, diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima, in tota mente, & diligens proximum suum non carnaliter, sed tamquam se ipsum. Se autem spiritaliter diligit, qui ex toto, quod in eo vivit, Deum diligit: *In his enim duobus præceptis tota Lex pendet & Propheta.*

25. Inde jam erit consequens, ut post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinae stabilitati, quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo. Quæ rursus non per se stabilitur, sed per Deum quo fruitur; ideoque amplius quam corpus vigebit; corpus enim per ipsam vigebit, & ipsa per incommutabilem veritatem, qui Filius Dei unicus est; atque ita & corpus per ipsum Filium Dei vigebit, quia omnia per ipsum. Dono etiam eius, quod animæ datur, id est, sancto Spiritu, non solum anima, cui datur, salva & pacata & sancta fit, sed ipsum etiam corpus vivificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Ipse enim dixit: *Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt.* Dicit & Apostolus: *Vivificabit & mortalia corpora vestra propter Spi-*

Math. 22.
40.

I. Retr.
c. 13. 4.

Mat. 23.
26.

Rom. 8. II.

I. Cor. 15.
55.

ri-

ritum manentem in vobis. Ablato ergo peccato, auferetur & poena peccati: & ubi est malum? *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Vincit enim essentia nihilum, & sic absorbetur mors in victoriam.

26. NEC aliquid sanctificatis malus Angelus oberit, qui diabolus dicitur: quia & ipse, in quantum Angelus est, non est malus, sed in quantum perversus est propria voluntate. Fatendum est enim, & Angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incommutabilis: sed ea voluntate, qua magis Deum quam se diligunt, firmi & stabiles manent in illo, & fruuntur majestate ipsius, ei uni libentissime subditi. Ille autem Angelus magis se ipsum quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit, & lapsus est: & ob hoc minus est quam fuit, quia eo quod minus erat frui voluit, cum magis voluit sua potentia frui, quam Dei. Quamquam enim non summè, tamen amplius erat, quando eo, quod summè est, fruebatur, quoniam Deus solus summè est. Quidquid autem minus est quam erat, non in quantum est, sed in quantum minus est, malum est. Eo enim, quo minus est quam erat, tendit ad mortem. Quid autem mirum si ex defectu inopia, & ex inopia invidentia, qua diabolus utique diabolus est?

27. DEFECTUS autem iste, quod peccatum vocatur, si tamquam febris invitum occuparet, rectè injusta poena videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc verò usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc qui-

* *Reclus.*

CAP. XIII.
Angelo-
rum diffe-
rentia.

CAP. XIV.
A liberoar-
bitrio pec-
catum.

I. Retract.
cap. 13. n.
5. 2. sent.
dist. 41.
cap.
Post hæc.

quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui & poenitendo eam corrigi fatetur, & veniam poenitenti dari, & perseverantem in peccatis justa lege Dei damnari. Postremò si non voluntate male facimus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus: quibus sublati christiana lex, & disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

28. Liberaliter igitur Deo Angeli servant, neque hoc Deo, sed ipsis prodest. Deus enim bono alterius non indiget, quoniam à se ipso est. Quod autem ab eo genitum est, id ipsum est; quia non est factum, sed genitum. Illa verò quæ facta sunt, ejus bono indigent, summo scilicet bono, id est, summa essentia. Minus autem sunt quàm erant, cum per animæ peccatum minus ad illum moventur; nec tamen penitus separantur, nam omnino nulla essent. Quod autem affectibus contingit animæ, hoc locis corpori: nam illa movetur voluntate, corpus autem spatio. Quod autem homini à perverso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.

CAP. XV.
Pœna ipsa
pec-

29. QUOD verò corpus hominis, cum an-

ante peccatum esset in suo genere optimum, post peccatum factum est^a imbecillosum, & morti destinatum, quamquam justa vindicta peccati sit, plus tamen clementiæ Domini quàm severitatis ostendit. Ita enim nobis suadet à corporis voluptatibus ad æternam essentiam veritatis amorem nostrum oportere converti. Et est justitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine poenarum erudiamur. Nam ita etiam nostra supplicia divina providentia moderata est, ut & in hoc corpore tam corruptibili ad justitiam tendere liceret, & deposita omni superbia uni Deo vero collum subdere, nihil de se ipso fidere, illi uni se regendum tuendumque committere. Ita ipso duce, homo bonæ voluntatis molestias hujus vitæ in usum fortitudinis vertit: in copia verò voluptatum, prosperisque succesibus temporalium, temperantiam suam probat & roborat: acuit in tentationibus prudentiam, ut non solum in eas non inducatur, sed fiat etiam vigilantior, & in amorem veritatis, quæ sola non fallit, ardentior.

30. SED cum omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ejus ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfectosque tractandum est, nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quàm cum ipsa Sapientia Dei, id est, unicus Filius, consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum

peccati ad
resipiscen-
dum eru-
dimur.

CAP. XVI.
Incarna-
to Verbo
beneficentius homi-
ni consul-
tum est.
Joan. I. 14.

^a Er. Lov. & Arn. imbecillum, pro quo Bad. & MSS. imbecillosum.

tum est, & habitavit in nobis. Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus inveni in mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quòd non solum visibiliter (nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum adspectum tolerantiam temperato) sed hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat quæ liberanda. Et ne quis fortè sexus à suo Creatore se contemptum putaret, virum suscipit, natus ex femina.

1. *Retract.*
cap. 13. n.
6.

31. Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo. Veteri quippe servitute transacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè jam homini suadebatur atque salubriter, quàm libero esset creatus arbitrio. Miraculis conciliavit fidem Deo qui ^a erat, passione homini quem gerebat. Ita loquens ad turbas ut Deus, nuntiatam sibi matrem negavit: & tamen, ut Evangelium loquitur, *puer parentibus subditus erat*. Doctrina enim Deus apparebat, ætatibus homo. Item aquam in vinum conversurus, ut Deus dicit: *Recede à me, mulier: mihi & tibi quid est? Nondum venit hora mea*. Cum autem venisset hora, qua ut homo moreretur, de cruce cognitam matrem commendavit discipulo, quem præ ceteris diligebat. Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant: pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: rex fieri noluit.

Joan. 19.
17.

^a Bad. & Er. qui in eo erat. Paulò post MSS. tres optimæ notæ habent, *homini quem gerebat*, alii cum editis, *gerebat*. Utraque lectio recepta Augustino, qui superius c. 3. n. 3. susceptum hominem Sapientia Dei gestante & gubernante meruisse dicit.

Carnales filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria, quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo ^a vilefecit. Omnia quæ vitare cupientes à studio deviamus ^b veritatis, perpetiundo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit.

32. TOTA ITAQUE VITA EJUS in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio verò ejus à mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salva sunt Deo, satis indicavit; & quemadmodum cuncta serviant Creatori suo, sive ad vindictam peccatorum, sive ad hominis liberationem, quàmque facile corpus animæ serviat, cum ipsa subjicitur Deo. Quibus perfectis non solum nulla substantia malum est, quod fieri numquam potest, sed etiam nullo malo afficitur, quod fieri per peccatum & vindictam potuit. Et hæc est ^c disciplina naturalis christianis minùs intelligentibus plena fi-

^a Ita in MSS. At in editis, *vitia fecit*.

^b MSS. non habent vocem, *veritatis*.

^c Alludit ad antiquam Philosophiæ partitionem in Naturalem, Moralem, & Rationalem: Moralem supra commemoravit, cum ait vitam Christi disciplinam morum fuisse, hic porrò Naturalem, mox in sequenti capite Rationalem.

fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

CAP. XVII.
Doctrinae
ratio in ve-
ra Religio-
ne quam
optima, seu
vetus, seu
novum Tes-
tamentum
spectetur.

33. JAM verò ipsæ totius doctrinæ mo-
dus, partim ^a apertissimus, partim similitu-
dinibus, in dictis, in factis, in sacramentis, ad
omnem animæ instructionem exercitationem-
que accommodatus, quid aliud quam rationa-
lis disciplinæ regulam implevit? Nam & mys-
teriorum expositio ad ea dirigitur, quæ aper-
tissime dicta sunt. Et si ea tantum essent,
quæ facillimè intelliguntur, nec studiosè quæ-
reretur, nec suaviter inveniretur veritas. Ne-
que si essent in Scripturis ^b sacramenta, &
in sacramentis non essent signacula veritatis,
satis cum cognitione actio conveniret. Nunc
verò quoniam PIETAS TIMORE inchoatur,
caritate perficitur; populus timore constrictus
tempore servitutis in veteri Lege, multis sa-
cramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile
erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per
prophetas ventura canebatur. Quæ ubi venit,
ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, ^c à quo
in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta
saluberrima constituta sunt, quæ societatem
christiani populi, hoc est, sub uno Deo li-
beræ multitudinis continerent. Multa verò, quæ
populo hebræo, hoc est, sub eodem uno
Deo compeditæ multitudini imposita erant, ab
actione remota sunt, in fide atque interpreta-
tione manserunt. Ita nunc nec serviliter alli-
gant, & exercent liberaliter animum.

Quis-

^a Sic MSS. septemdecim, & Arn. At' Bad. Er. & Lov.
habent, partim apertissimis rationibus, partim similitu-
dinibus, &c.

^b Abest vox, sacramenta, à MSS. Germanensi, Ge-
meticensi, & aliquot aliis non deterioris notæ.

^c MSS. plerique, homine assumpto, & in libertatem
vocati sumus.

34. Quisquis autem ideo negat utrumque
Testamentum ab uno Deo esse posse, quia
non eisdem sacramentis tenetur populus nos-
ter, quibus judæi tenebantur, vel adhuc ten-
entur: potest dicere non posse fieri, ut unus
pater familias justissimus aliud imperet eis, qui-
bus servitutem duriores utilem judicat, aliud
eis, quos in filiorum gradum adoptare digna-
tur. Si autem præcepta vitæ movent, quod in
veteri Lege minora sunt, in Evangelio majora,
& ideo putatur non ad unum Deum utraque
pertinere: potest, qui hoc putat, perturbari, si
unus medicus alia per ministros suos imbecil-
lioribus, alia per se ipsum valentioribus præ-
cipiat ad reparandam, vel obtinendam salu-
tem. Ut enim ars medicinæ, cum eadem ma-
neat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat
tamen præcepta languentibus, quia mutabilis
est nostra valetudo: ita divina providentia,
cum sit ipsa omninò incommutabilis, mutabi-
li tamen creaturæ variè subvenit, & pro di-
versitate morborum alias alia jubet aut vetat,
ut à vitio unde mors incipit, & ab ipsa morte
ad naturam suam & essentiam, ea quæ defi-
ciunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat &
firmet.

35. SED dicis mihi, quare deficiunt?
Quia mutabilia sunt. Quare mutabilia sunt?
Quia non summè sunt. Quare non summè
sunt? Quia inferiora sunt eo, à quo facta sunt.
Quis ea fecit? Qui summè est. Quis hic est?
Deus incommutabilis Trinitas, quoniam & per
summam Sapientiam ea fecit, & summa Be-
nignitate conservat. Cur ea fecit? Ut essent.
Ipsam enim quantumcumque esse, bonum
est: quia summum bonum est, summè esse.
Unde fecit? Ex nihilo. Quoniam quidquid est,
quar-

CAPUT
XVIII.
Creatura
quare mu-
tabiles.

quantulacumque specie sit necesse est; ita etsi minimum bonum, tamen bonum erit, & ex Deo erit. Nam quoniam summa species summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo est. Ergo ex Deo est etiam minima species. Sanè quod de specie, hoc etiam de forma dici potest. Neque enim frustra tam speciosissimum, quàm etiam formosissimum in laude ponitur. Id ergo est, unde fecit Deus omnia, quod nullam speciem habet, nullamque formam; quod nihil est aliud, quàm nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, habet aliquid formæ, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum est nihil, ac per hoc id quoque in quantum est, non est nisi ex Deo.

Plato in
Timæo.

36. Quapropter etiam si de aliqua informi materia factus est mundus, hæc ipsa facta est omninò de nihilo. Nam & quod nondum formatum est, tamen aliquo modo ut formari possit inchoatum est, Dei beneficio formabile est: bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est & capacitas formæ: & ideo bonorum omnium auctor, qui præstitit formam, ipse fecit etiam posse formari. Ita omne quod est, in quantum est, & omne quod nondum est, in quantum esse potest, ex Deo habet. Quod alio modo sic dicitur: Omne formatum, in quantum formatum est, & omne quod nondum formatum est, in quantum formari potest, ex Deo habet. Nulla autem res obtinet integritatem naturæ suæ, nisi in suo genere salva sit. Ab eo autem est omnis salus, à quo est omne bonum: at omne bonum ex Deo: salus igitur omnis ex Deo.

HINC

37. HINC jam cui oculi mentis patent, nec pernicioso studio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facillè intelligit, omnia quæ vitiantur & moriuntur, bona esse, quamquam ipsum vitium, & ipsa mors, malum sit. Nisi enim salute aliqua privarentur, non eis noceret vitium vel mors: sed si non noceret vitium, nullo modo esset vitium. Si ergo salutem adversatur vitium, & nullo dubitante salus bonum est; bona omnia sunt, quibus adversatur vitium: quibus autem adversatur vitium, ipsa vitiantur: bona sunt ergo quæ vitiantur: sed ideo vitiantur, quia non summa bona sunt. Quia igitur bona sunt, ex Deo sunt: quia non summa bona sunt, non sunt Deus. Bonum ergo quod vitari non potest, Deus est. Cetera autem omnia bona ex ipso sunt, quæ per se ipsa possunt vitari, quia per se ipsa nihil sunt: per ipsum autem partim non vitiantur^a, partim vitiata sanantur.

CAP. XIX.
Bona sunt,
sed non
summa bona,
quæ vitari
possunt.

38. EST autem vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi, quæ vetat summa & intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc sæculum expulsus est, id est, ab æternis ad temporalia, à copiosis ad egea, à firmitate ad infirma: non ergo à bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est; sed à bono æterno ad bonum temporale, à bono spiritali ad bonum carnale, à bono intelligibili ad bonum sensibile, à bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est: quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia

CAP. XX.
Unde animæ vitium.

TOM. I.

R

quæ

^a In Cisterciensi MS. habetur, partim non vitiantur ut Angli: partim vitiata sanantur, ut homines.

quæ peccando diligitur. Non ergo arbor illa malum est, quæ in medio paradiso plantata scribitur; sed divini præcepti transgressio. Quæ quum consequentem habet justam damnationem, contingit ex illa arbore, quæ contra vetitum tacta est, dignoscentia boni & mali: quia cum suo peccato anima fuerit implicata, luendo poenas, discit, quid intersit inter præceptum quod custodire noluit, & peccatum quod fecit: atque hoc modo malum, quod cavendo non didicit, discit sentiendo; & bonum quod a non obtemperando minus diligebat, ardentius diligit comparando.

39. Vitium ergo animæ est quod fecit, & difficultas ex vitio pœna est quam patitur: & hoc est totum malum. Facere autem & pati non est substantia: quapropter substantia non est malum. Sic enim nec aqua malum est, nec animal quod vivit in aëre, nam istæ substantiæ sunt; sed malum est voluntaria præcipitatio in aquam, & suffocatio quam mersus patitur. Stilus ferreus alia parte qua scribamur, alia qua deleamus, affabre factus est, & in suo genere pulcher, & ad usum nostrum accommodatus. At si quispiam ea parte scribere qua deletur, & ea velit delere qua scribitur, nullo modo stilum malum fecerit, cum ipsum factum jure vituperetur: quod si corrigat, ubi erit malum? Si quis repente meridianum solem intueatur, percussus oculi turbabuntur: num ideo aut sol malum erit, aut oculi? Nullo modo, sunt enim substantiæ; sed malum est inordinatus adspectus, & ipsa quæ consequitur perturbatio: quod malum non erit,

a MSS. nonnulli, quod in obtemperando, alii, quod obtemperando.

erit, cum oculi fuerint recreati, & lucem suam congruenter adspexerint. Neque cum eadem lux quæ ad oculos pertinet, pro luce sapientiæ quæ ad mentem pertinet, colitur, ipsa fit malum: sed superstitio malum est, qua creaturæ potius quam Creatori servitur: quod malum omnino nullum erit, cum anima recognito Creatore, ipsi uni se subjecerit, & cetera per eum subjecta sibi esse persenserit.

40. Ita omnis corporea creatura, si tantummodo possideatur ab anima quæ diligit Deum, bonum est infimum, & in genere suo pulchrum; quoniam forma & specie continetur: si autem diligatur ab anima quæ negligit Deum, ne sic quidem malum fit ipsa; sed quoniam peccatum malum est, quo ita diligitur, fit pœnalis dilectori suo, & eum implicat ærumnis, & pascit fallacibus voluptatibus: quia neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus. Quia cum ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, & per cruciatum sentientis discedit à sensibus, & erroribus agitat; ut hanc esse primam speciem putet, quæ omnium infima est, naturæ scilicet corporeæ, quam per lubricos sensus caro a malè delectata nuntiaverit, ut cum aliquid id cogitat, intelligere se credat, umbris illusoriarum phantasmatum. Si quando autem non tenens integram divinæ providentiæ disciplinam, sed tenere se arbitrans, carni resistere conatur; usque ad visibilium rerum imagines pervenit, & lucis hujus quam certis terminis circumscriptam videt, immensa spatia cogitatione format inani-

R 2 ter:

a Editi, malè dilecta nuntiaverat. MSS. octo, maledicta nuntiaverit, alii duo, male docta, unus, malè ducta, aliquot alii, male delectata nuntiaverit.

ter : & hanc a speciem sibi futuræ habitationis pollicetur ; nesciens oculorum concupiscentiam se trahere , & cum hoc mundo ire velle extra mundum ; quem propterea ipsum esse non putat : quia ejus clariorem partem per infinitum falsa cogitatione distendit. Quod non solum de hac luce , sed etiam de aqua , postremo de vino , de melle , de auro , de argento , de ipsis denique pulpis , vel sanguine , vel ossibus quorumlibet animalium , & ceteris hujusmodi rebus facillimè fieri potest. Nihil enim est corporis , quod non vel unum visum possit innumerabiliter cogitari , vel in parvo spatio visum possit eadem imaginandi facultate per infinita diffundi. Sed facillimum est exsecrari carnem , difficillimum autem non carnaliter sapere.

CAP. XXI.
Anima se-
ducitur ,
dum fuga-
ces corpo-
rum pul-
chritudi-
nes conse-
ctatur.
Eccii. 1. 2.

41. HAC ergo perversitate animæ , quæ contingit peccato atque supplicio , fit omnis natura corporea illud , quod per Salomonem dicitur : *Vanitas vanitatum & omnia vanitas : quæ abundantia homini in omni labore ejus , quo ipse laborat sub sola ?* Neque enim frustra est additum , *vanitatum* , quia si vanitates detrahas , qui tamquam prima sectantur extrema , non erit corpus vanitas , sed in suo genere , quamvis extremam , pulchritudinem sine ullo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diverberavit , & mutabili varietate multiplicabit ejus affectum : ita facta est abundantia laboriosa , & si dici potest , copiosa egestas , dum aliud & aliud sequitur , & nihil cum eo

^a Lov. & Arn. *spem*. Sed melius antiquæ editiones & MSS. *spesiem*.

eo permanet. Sic à tempore frumenti , vini , & olei sui multiplicatus est , ut non inveniat idipsum , id est , naturam incommutabilem & singularem , quam secutus non erret , & assecutus non doleat. Habebit enim etiam consequentem redemptionem corporis sui , quod jam non corrumpetur. Nunc verò corpus quod corrumpitur aggravat animam , & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem , quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideo extrema est , quia simul non potest habere omnia , sed dum alia cedunt atque succedunt , temporalium formarum a numerum in unam pulchritudinem complent.

42. ET hoc totum non propterea malum , quia transit. Sic enim & versus in suo genere pulcher est , quamvis duæ syllabæ simul dici nullo modo possint. Nec enim secunda enuntiatur , nisi prima transierit ; atque ita per ordinem pervenitur ad finem , ut cum sola ultima sonat , non secum sonantibus superioribus , formam tamen & decus metricum cum præteritis contexta perficiat. Nec ideo tamen ars ipsa , qua versus fabricatur , sic temporis obnoxia est , ut pulchritudo ejus per mensuras morarum digeratur : sed simul habet omnia , quibus efficit versum non simul habentem omnia , sed posterioribus priora tollentem ; propterea tamen pulchrum , quia extrema vestigia illius pulchritudinis ostentat , quam constanter atque incommutabiliter ars ipsa custodit.

43. Itaque ut nonnulli perversi magis amant versum , quam artem ipsam qua conficitur ver-
sus,

R 3

sus,

^a Sic MSS. plerique. At Er. Lov. & Arn. *numeros* in *pulchritudinem complent*.

CAP. XXII.
Rerum
transeun-
tium admi-
nistratio
solis im-
piis displi-
cet.

sus, quia plus se auribus quam intelligentiæ dederunt: ita multi temporalia diligunt, conditricem verò ac moderatricem temporum divinam providentiam non requirunt; atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant, & tam sunt absurdi, quam si quisquam in recitatione præclari carminis unam aliquam syllabam solam perpetuò vellet audire. Sed tales auditores carminum non inveniuntur, talibus autem rerum existimatoribus plena sunt omnia; propterea quia nemo est, qui non facile, non modo totum versum, sed etiam totum carmen possit audire: totum autem ordinem sæculorum sentire nullus hominum potest. Huc accedit quod carminis non sumus partes, sæculorum verò partes damnatione facti sumus. Illud ergo canitur sub iudicio nostro, ista peraguntur de labore nostro. Nulli autem victo ludi agonistici placent, sed tamen cum ejus dedecore decori sunt: & hæc enim quædam imitatio veritatis est. Nec ob aliud à talibus prohibemur spectaculis, nisi ne umbris rerum decepti, ab ipsis rebus, quarum illæ umbræ sunt, aberremus. Ita universitatis hujus conditio atque administratio, solis impiis animis damnatisque non placet, sed etiam a cum miseria earum, multis vel in terra vetricibus, vel in cælo sine periculo spectantibus, placet: nihil enim justum displicet justo.

CAPIT
XXIII.
Omnis substantia bona.

44. QUOCIRCA cum omnis anima rationalis aut peccatis suis misera sit, aut rectè factis beata; omnis autem irrationalis aut cedat

a Er. & MSS. Casalensis, sed etiam animabus sanctis cum miseria earum. Lov. sed etiam animalibus sanctis cum &c. Locus interpolatus, quem MSS. plerique, nec non editiones Bad. & Arn. sic exhibent: sed etiam cum miseria.

dat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut a certantem exerceat, aut damnato noceat; & omne corpus suæ animæ serviat, quantum pro ejus meritis, & pro rerum ordine sinitur: nullum malum est naturæ universæ, sed sua cuique culpa fit malum. Porro cum anima per Dei gratiam regenerata, & in integrum restituta, & illi subdita uni à quo est creata, instaurato etiam corpore in pristinam firmitatem, non cum mundo possideri, sed mundum possidere cœperit, nullum ei malum erit: quia ista infima pulchritudo temporalium vicissitudinum, quæ cum ipsa peragebatur, sub ipsa peragetur, & erit, ut scriptum est, *cælum novum & terra nova*, Ira. 63. 17. Apoc. 21. 1. I. Cor. 3. 22. I. Cor. 11. 3.

Quoniam igitur vitium animæ non natura ejus, sed contra naturam ejus est, nihilque aliud est quam peccatum & pœna peccati, inde intelligitur nullam naturam, vel si melius ita dicitur, nullam substantiam, sive essentiam malum esse. Neque de peccatis, pœnisque ejus animæ efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur. Quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi ceteris dominatur. Ea verò quæ peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet, ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universæ creaturæ per hæc tria inculpabilis,

R 4

a Lov. & Arn. certamen. Sed concinnius Bad. Er. & octo MSS. certantem exerceat.

damnationem peccatorum, exercitationem iustorum, perfectionem beatorum.

CAPUT XXIV.
Duplici via salutis hominis consulitur, auctoritate & ratione, ac primo de auctoritatis subsidio agitur usque ad c. 29.

45. **QUAMOBREM** ipsa quoque animæ medicina, quæ divina providentia, & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distinctèque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum, & certe **SUMMA** est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia devenimus, & eorum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non a naturæ & excellentiæ, sed ipsius temporis ordine prior est. Nam in quem locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere ut surgat. Ergo ipsis carnalibus formis, quibus detinemur, nitendum est, ad eas cognoscendas, quas caro non nuntiat. Eas enim carnales voco, quæ per carnem sentiri queunt, id est, per oculos, per aures, ceterosque corporis sensus. His ergo carnalibus vel corporalibus formis inharere amore pueros necesse est, adolescentes verò propè necesse est, hinc jam procedente ætate non est necesse.

CAPUT XXV.
Quorum hominum seu librorum auctoritati de Dei cultu credendum.

46. **QUONIAM** igitur divina providentia, non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tamquam publicè consulit, quid cum singulis agatur, Deus qui agit, atque ipsi cum quibus agitur, sciunt. Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, & per prophetiam.

^a MSS. quamplures, non naturæ excellentia.

tiam. Temporalium autem rerum fides, sive præteritarum, sive futurarum, magis credendo quam intelligendo valet. Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus vel libris credendum sit ad colendum rectè Deum, quæ una salus est. Hujus rei prima disceptatio est, utrum iis potiùs credamus, qui ad multos deos, an iis qui ad unum Deum colendum nos vocant. Quis dubitet eos potissimum sequendos qui ad unum vocant, præsertim cum illi multorum cultores, de hoc uno Domino cunctorum & rectore consentiant? Et certè ab uno incipit numerus. Priùs ergo isti sequendi sunt, qui unum Deum summum solum verum Deum, & solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est. Sicut enim in ipsa rerum natura major est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis, id est, unum sentientis: ita in religione qui ad unum vocant, eorum major, & fide dignior esse debet auctoritas.

47. Altera consideratio est dissentionis ejus, quæ de unius Dei cultu inter homines orta est. Sed accepimus, majores nostros eo gradu a fidei, quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permessa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravat; nec jam nobis dubium esse

^a Abest, *fidei* à MSS. quindecim, nec non à Bad. & Er.

I. Retr. c.
13. n. 6.

Retr. c.
13. n. 7.

oportet iis esse credendum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur, quibus credendum sit antequam quisque sit idoneus ineundæ rationi de divinis & invisibilibus rebus: nam ipsi rationi purgationis animæ, quæ ad perspicuam veritatem pervenit, nullo modo auctoritas humana præponitur; sed ad hanc nulla superbia perducit. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ simulacrorumque cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multo pigrius veritas quæreretur.

CAPUT
XXVI.
Divina
providen-
tia erga no-
stram salu-
tem ad sex
ætates ho-
minis vete-
ris ac novi.

48. DISPENSATIO ergo temporalis, & medicina divinæ providentiæ, erga illos qui peccato mortalitatem meruerunt, sic traditur. Primum unius cujuslibet hominis nascentis natura, & eruditio cogitatur. Prima hujus ætas infantia in nutrimentis corporalibus agitur, penitus obliviscenda crescenti. Eam pueritia sequitur, unde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescentia, cui jam propagationem proli natura permittit, & patrem facit. Porro adolescentiam juvenus excipit, jam exercenda muneribus publicis, & domanda sub legibus; in qua vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium serviliter coercens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa congeminat. Non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed etiam vitium admittere. Post labores autem juventutis, seniori pax nonnulla conceditur. Inde usque ad mortem deterior ætas ac decolor, & morbis subjectior debilisque perducit. Hæc est vita hominis viventis ex corpore, & cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic di-

dicitur vetus homo, & exterior, & terrenus, etiamsi obtrineat eam, quam vulgus vocat felicitatem, in bene constituta terrena civitate, sive sub regibus, sive sub principibus, sive sub legibus, sive sub his omnibus: aliter enim bene constitui populus non potest, etiam qui terrena sectatur: habet quippe & ipse modum quemdam pulchritudinis suæ.

49. Hunc autem hominem, quem veterem & exteriorem & terrenum descripsimus, sive in suo genere moderatum, sive etiam servillis justitiæ modum excedentem, nonnulli agunt totum ab istius vitæ ortu usque ad occasum. Nonnulli autem istam vitam necessariò ab illo incipiunt, sed renascuntur interius, & ceteras ejus partes suo robore spiritali, & incrementis sapientiæ corrumpunt, & necant, & in cælestes leges, donec post visibilem mortem totum instauretur, adstringunt. Iste dicitur novus homo, & interior, & cælestis, habens & ipse proportionem, non annis, sed provectoribus, distinctas quasdam spirituales ætates suas. Primam in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. Secundam jam obliviscentem humana, & ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam, & incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam jam fidentior, & carnalem appetitum rationis robore maritantes, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali, cum anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, ut jam rectè vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam jam idipsum multò firmitus ordinatiusque facientem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus, & per-

persecutionibus, & mundi hujus tempestatibus, ac fluctibus sustinendis, atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus & abundantia incommutabilis regni summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, & usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Septima enim jam quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ.

CAPUT
XXVII.
Utriusque
hominis
decursus in
universo
hominum
genere.

50. SICUT autem isti ambo, nullo dubitante, ita sunt, ut unum eorum, id est, veterem atque terrenum possit in hac tota vita unus homo agere, novum verò & cælestem nemo in hac vita possit nisi cum vetere (nam & ab ipso incipiat necesse est, & usque ad visibilem mortem cum illo, quamvis eo deficiente, se proficiente, perduret) sic proportionem universum genus humanum, cujus tamquam unius hominis vita est, ab Adam usque ad finem hujus sæculi, ita sub divinæ providentiæ legibus administratur, ut in duo genera distributum appareat. Quorum in uno est turba impiorum terreni hominis imaginem ab initio sæculi usque ad finem gerentium. In altero series populi uni Deo dediti; sed ab Adam usque ad Joannem Baptistam terreni hominis vitam gerentis servili quadam justitia: cujus historia vetus Testamentum vocatur, quasi terrenum pollicens regnum: quæ tota nihil aliud est quam imago novi populi, & novi Testamenti pollicentis regnum cælorum. Cujus populi vita interim temporalis incipit à Domini adven-

tu

tu in humilitate, usque ad diem judicii, quando in claritate venturus est. Post quod judicium vetere homine extincto, erit illa mutatio, quæ angelicam vitam pollicetur. *Omnes enim resurgenemus, sed non omnes immutabimur.* Resurget ergo pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum. Resurget autem impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gessit, ut in secundam mortem præcipitetur. *Ætatum autem articulos, qui diligenter legunt, inveniunt; nec zizania, nec paleas perhorrescunt.* IMPIUS namque pio vivit, & peccator justo, ut eorum comparatione alacrius, donec perficiatur, adsurgat.

51. QUISQUIS autem populi terreni temporibus usque ad illuminationem interioris hominis meruit pervenire, genus humanum pro tempore adjuvit, exhibens ei quod ætas illa poscebat, & per prophetiam intimans id, quod exhibere opportunum non erat: quales Patriarchæ, ac Propheta inveniuntur ab iis, qui non pueriliter * insiliunt, sed piè diligenterque pertractant divinarum & humanarum rerum tam bonum, & tam grande secretum. Quod etiam temporibus novi populi, à magnis & spiritalibus viris Ecclesiæ catholicæ alumnis video cautissimè provideri: ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis, ut cum populo agatur, intelligunt: alimenta lactea largè avidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibus cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus verò & animalibus, quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis

I. Cor. 15.
51.

CAPUT
XXVIII.
Quæ, quibus, & quo pacto tradenda.

*Ut manichæi.

va-

vanis consulunt, & inanibus laudibus; sed utilitate eorum, cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. HÆC ENIM LEX EST divinæ providentiæ, ut nemo à superioribus adjuvetur ad cognoscendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adjuverit. Ita de peccato nostro, quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum, & tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur, ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum foeditatem, in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.

CAPUT
XXIX.
De altero salutis subsidio, scilicet ratione, quomodo hæc duce ad Deum homo evehitur; hæc primum sensibus præstare deprehenditur.

Consule lib. 2. de libero arbitrio c. 3. & sequentibus.

§ 2. ET quoniam de auctoritatis beneficentia, quantum in præsentia satis visum est, locuti sumus: videamus quatenus ratio possit progredi à visibilibus ad invisibilia, & à temporalibus ad æterna conscendens. Non enim frustra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum & noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gigantium, & omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana & peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus. Proximum enim est, adtendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit: quæ profecto quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscumque moles, quamquam ista visibili luce præfulgeat, si vita caret, magna æstimanda est. Quælibet namque viva subs-

tan-

tantia cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur.

§ 3. Sed quia irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam & vident acutiùs, & ceteris corporis sensibus acutiùs corpora adtingunt pleræque bestię quàm homines: sed judicare de corporibus, non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis est, qua illæ carent, nos excellimus. Jam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quàm illa res est, de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere, cum rectus sit, & cur ita per oculos sentiri necesse sit: nam ipse ad spectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.

§ 4. ITAQUE si rationalis vita secundum se ipsam judicat, nulla jam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur; tanta autem meliùs judicat, quanto est peritior, & tanto est peritior, quanto alicujus artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est; ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum novit, qui novit ea impensa, quæ calce & arena confit, tenaciùs lapides coherere, quàm luto? Aut qui tam eleganter ædificat, ut quæ plura sunt, paria paribus respondeant; quæ autem singula,

CAPUT
XXX.
At ratione præstantior lex immutabilis, scilicet veritas, secundum quam judicat.

®

la,

la, medium locum teneant? Quamquam iste sensus jam sit rationi veritatique vicinior. Sed certè quærendum est, cur nos offendat, si duabus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minorve sit, cum æquales esse potuerint: si verò super invicem fuerint, ambæque a dimidio quamvis impares, non ita offendat illa inæqualitas; & cur non multum curemus, quanto sit una earum, aut major aut minor, quia duæ sunt? In tribus autem sensus ipse videtur expetere, ut aut impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, ut tanto præcedat minorem, quanto à majore præceditur. Ita enim primò quasi natura ipsa consulitur, quid probet. Ubi potissimum notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuerit, in melioris comparatione respuitur. Ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, usu quodam corporis atque operationis adjuncto: quo si careas, judicare de operibus possis, quod multo est excellentius, quamvis operari artificiosa non possis.

55. Sed cum in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva & pulchra sunt omnia; ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium; quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniatur, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit, quodlibet corpus verè ac simpliciter unum esse: cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutantur, & partibus consentent sua

a Sic præstantiores MSS. At editi habent, de medio.

loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porro ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas, non oculis carnis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longè plurimum differre à perfecta, nisi ea, quæ perfecta est, mente videretur? si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est.

56. Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata, locis & temporibus sint pulchra, ut corpus & corporis motus: illa æqualitas & unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio judicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore. Non enim rectè dici potest secundum eam judicari rotundum canthum, & non secundum eam rotundum vasculum; aut secundum eam rotundum vasculum, & non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum, ridiculè dicitur, secundum eam judicari æquales annos, & non secundum eam æquales menses; aut secundum eam æquales menses, & non secundum eam æquales dies. Sed sive per hæc spatia, sive per horas, sive per breviora momenta convenienter moveatur aliquid, eadem una & incommutabili æqualitate judicatur. Quòd si minora & majora spatia figurarum atque motionum, secundum eandem legem paritatis vel similitudinis vel congruentiæ, judicantur, ipsa lex major est his omnibus, sed potentia. Ceterum spatio aut loci aut temporis, nec major nec minor: quia si major esset, non secundum totam judicare-

Canthus
summa
curvatura
rotæ, sive
ferrum
quod illic
alfigitur.

mus minora; si autem minor esset, non secundum eam judicaremus majora. Nunc verò cum secundum totam quadraturæ legem judicetur & forum quadratum, & lapis quadratus, & tabella & gemma quadrata; rursus secundum totam æqualitatis legem judicentur convenire sibi motus pedum currentis formicæ, & secundum eam gradientis elephantis; quis eam dubitet locorum intervallis ac temporum, nec majorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens verò humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet, supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.

CAPUT

XXXI.

Deus summa ista lex est, secundum quam ratio judicat, sed quam judicare non licet.

57. NEC jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse: & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque judicare secundum se ipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ, de qua judicat: præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, & de qua judicare nullo modo potest. Possum enim dicere, quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cujusque corporis debeant, quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor: quapropter tanto meliora esse judico, quæ oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis, quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita debe-

bere esse quisquam sobriè dixerit, quasi possint esse non ita.

58. Quare autem nobis placeant, & cur ea quando melius sapimus, vehementissimè diligamus, ne id quidem quisquam, si ea ritè intelligit, dicere audebit. Ut enim nos, & omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus rectè judicamus, sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas judicat. De ipsa verò nec Pater, non enim a minor est quam ipse, & ideo quæ Pater judicat, per ipsam judicat. Omnia enim quæ appetunt unitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit; quoniam sola ejus similitudinem, à quo esse accepit, implevit: si tamen accepit, non incongruè dicitur, pro ea significatione, qua Filius appellatur, quia non de se ipso est, sed de primo summoque principio, qui Pater dicitur: *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Pater ergo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: & spiritalis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*, id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege, secundum quam judicat omnia: quoniam & illud verissimè dictum est: *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi*. Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissimè intelligit, & tota caritate, quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, & de qua judicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quamquam

s 2

de

^a MSS. duodecim habent, non enim minus est quam ipse.

Ephes. 3.
15.
Joan. 5. 22.
1. Cor. 2. 13.

de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta atque firmata, non licebit iudici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est: ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Hoc autem interest, quod ad cognoscendum satis est, ut videamus ita esse aliquid, vel non ita: ad judicandum verò addimus aliquid, quo significemus posse esse & aliter: velut cum dicimus, Ita esse debet, aut, Ita esse debuit, aut, Ita esse debebit; ut in suis operibus artifices faciunt.

**CAPUT
XXXII.**
Unitatis in corporibus est vestigium, sed ipsa unitas non nisi mente conspicitur.

59. **SED** multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut judicent, cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, uno arcu constructo, cur alterum parem contra in altera parte moliat? Respondebit, credo, ut paria paribus ædificii membra respondeant. Porro si pergam quære, id ipsum cur eligat, dicit hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes: nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, & unde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, & invisibiliter videntem non desinam commonere, cur ista placeant, ut iudex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundum ipsam, sed ipsam judicat. Et prius quæram, utrum ideo pulchra sint, quia delectant; an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pul-

pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra; & si titubabitur, subjiciam, utrum ideo quia similes sibi partes sunt, & aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur.

60. Quod cum ita esse compererit, interrogabo, utrum hanc ipsam unitatem, quam vincuntur appetere, summè impleant, an longè infra jaceant, & eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est (nam quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus, quod non habeat unitatis qualemcumque vestigium; neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessario aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur unitatem?) quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat: quam si non videret, unde cognosceret, & quid imitaretur corporum species, & quid implere non posset? Nunc verò cum dicit corporibus: Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis; sed rursus si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis; rectè illi dicitur: Unde illam nostri unitatem, secundum quam judicas corpora, quam nisi videres, judicare non posses, quod eam non impleant; si autem his corporeis oculis eam videres, non verè diceres, quamquam ejus vestigio teneantur, longè tamen ab ea distare? Nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vidēs: mente igitur eam videmus. Sed ubi videmus? Si hoc loco esset, ubi corpus nostrum est, non eam videret, qui hoc modo in oriente de corporibus judicat. Non ergo ista continetur loco, & cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, & per potentiam nusquam non est.

**CAPUT
XXXIII.**
Non corpora, nec sensus corporis, sed iudicium mentitur.

61. QUOD si eam corpora mentiuntur, non est credendum mentientibus, ne incidamus in vanitates vanitantium: sed quærendum potius est, cum ideo mentiantur, quia eam videntur ostendere oculis carneis, cum illa mente pura videatur, utrum in tantum mentiantur, in quantum ei similia sunt, an in quantum eam non assequuntur. Nam si assequerentur, quod imitantur implerent. Si autem implerent, omnino essent similia. Si omnino essent similia, nihil inter illam naturam & istam interesset. Quod si ita esset, non eam mentirentur: id enim essent, quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentius considerantibus: quia ille mentitur, qui vult videri id quod non est; quod autem non volens aliud putatur quam est, non mentitur, sed fallit tantum. Nam ita discernitur mentiens à fallente, quod inest omni mentienti voluntas fallendi, etiamsi non ei credatur: fallens autem esse non potest, qui non fallit. Ergo corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur: si verò etiam non putetur esse quod non est, nec fallit.

Differunt
mentiens,
& fallens.

62. Sed ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro. Tolle itaque vanitantes, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuntium, sed malus est iudex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus

rec-

rectè, ad hoc enim factus est, ut tantum videat; sed animus perversè, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritualia, quod fieri non potest.

63. QUARE ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit, quod sursum est deorsum, & quod deorsum est sursum, regno cælorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis, nec ipsis infimis a inhæreamus. Judicemus ea, ne cum ipsis iudicemur, id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema, ne cum in novissimis prima quærimus, à primis inter novissima numeremur. Quod nihil ipsis novissimis obest, sed nobis plurimum. Nec ideo divinæ providentiæ administratio minus decora fit; quia & injusti justè, & fœdi pulchrè ordinantur. Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur, & non implet unitatem; intelligamus, si possumus, non ex eo quod est, nos falli, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus verum corpus est, sed falsa unitas. Non enim summè unum est, aut in tantum id imitatur, ut impleat: & tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcumque unum esset. Porro utcumque unum esse non posset, nisi ab eo quod summè unum est, id haberet.

64. O animæ pervicaces, * date mihi, qui videat sine ulla imaginatione visorum carnalium. Date mihi, qui videat omnis unius principium non esse, nisi unum solum à quo sit omne unum, sive illud impleat, sive non impleat.

* MSS. duodecim, invidemus.

**CAPUT
XXXIV.**
Confecta phantasmata quomodo iudicentur.

*Manichæi phantasmatis ad dicti, lib. 3. Confess. c. 6. & lib. 9. c. 4.

pleat. Qui videat, date, non qui litiget, non qui videri velit se videre, quod non videt. Date qui resistat sensibus carnis, & plagis quibus per illos in anima vapulavit: qui resistat consuetudini hominum, resistat laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui resculpat suum spiritum, qui non foris diligit vanitates, & quarat mendacia, qui jam sibi noverit dicere: Si una Roma est, quam circa Tyberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista, quam cogitans fingo: non enim est ipsa, nec ibi sum & animo: nam quid ibi agatur modo, utique scirem. Si unus est sol, falsus est iste, quem cogitans fingo: nam ille curricula sua certis locis & temporibus peragit; istum ego ubi volo, & quando volo constituo. Si unus est ille amicus meus, falsus est iste, quem cogitans fingo: nam ille ubi sit nescio; iste ibi fingitur, ubi volo. Ego ipse certe unus sum, & hoc loco esse sentio corpus meum; & tamen figmento cogitationis pergo quò libet, loquor cum quo libet. Falsa sunt hæc; nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo, quum ista contemplor, & istis credo, quia verum esse oportet, quod intellectu contemplor: numquid forte sunt ista, quæ phantasmata dici solent? Unde ergo impleta est anima mea illusionibus? Ubi est verum, quod mente conspicitur? Ita cogitanti jam dici potest: Illa lux vera est, qua hæc non esse vera cognoscis. Per hanc illud unum vides, quo iudicas, unum esse quidquid aliud vides, nec tamen hoc esse, quod illud est, quidquid mutabile vides.

QUOD

a Bad. Lov. & Arn. nec ibi sum modo: sed præferenda visa est lectio Er. & MSS. decem, nec ibi sum anima.

85. QUOD si hæc intueri palpitat mentis aspectus, quiescite, nolite certare, nisi cum consuetudine corporum: ipsam vincite, & victa erunt omnia. Unum certe quarimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quaramus illum. *Agite otium*, inquit, & *agnoscetis quia ego sum Dominus*; non otium desidiæ, sed otium cogitationis, ut à locis & temporibus vacet. Hæc enim phantasmata tumoris & volubilitatis, constantem unitatem videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora subripiunt quod amamus, & relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere à quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad otium, id est, ut ista non diligit, quæ diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. *Jugum meum*, inquit, *leve est*. Huic jugo qui subjectus est, subjecta habet cetera. Non ergo laborabit: non enim resistit, quod subjectum est. Sed miseri amici hujus mundi (cujus domini erunt, si filii Dei esse voluerint, quoniam dedit eis potestatem filios Dei fieri) amici ergo hujus mundi tam timent ab ejus amplexu separari, ut nihil eis sit laboriosius, quam non laborare.

66. SED cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum, quod convincuntur imitari, à quo Principio unum est quidquid est, ad cujus similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quidquid ab uni-

CAPUT
XXXV
Vacandum
ut Deus
cognosca-
tur.

Ps. 45. 11.

Matt. 11.
30.

Joan. 1.
12.

CAPUT
XXXVI.
Verbum
Dei ipsa est
veritas,
quia omni-
nò implet
id à quo
principio
unum est
quidquid
est unum.

ta-

tate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit: datur intelligi, esse aliquid, quod illius unius solius; à quo Principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omninò impleat, ac sit id ipsum; & hæc est Veritas, & Verbum in Principio, & Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est, quæ imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt: illa est Veritas, quæ id implere potuit, & id esse quod est illud: ipsa est quæ illud ostendit sicut est: unde & Verbum ejus, & Lux ejus rectissimè dicitur. Cetera illius Unius similia dici possunt, in quantum sunt, in tantum enim & vera sunt: hæc est autem ipsa ejus similitudo, & ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera, quæ vera sunt; ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam in tantum vera sunt in quantum sunt, in tantum autem sunt in quantum principalis Unius similia sunt: ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo principii: & Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.

Falsitas
non ex re-
bus, sed ex
peccatis.

67. Unde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quàm speciem suam, quam pro suæ pulchritudinis acceperunt gradu: neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quàm suas affectiones præsententi animo nuntiant: sed peccata animas fallunt, cum verum quærunt, relicta & neglecta Veritate. Nam quoniam opera magis quàm artificem, atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, ut in operibus artifi-
cem

cem, artemque conquirant: & cum invenire nequiverint (Deus enim non corporalibus sensibus subjacet, sed ipsi menti supereminet) ipsa opera existiment esse & artem, & artificem.

68. HINC oritur omnis impietas, non modò peccantium, sed etiam damnatorum pro peccatis suis. Non enim tantum scrutari creaturam contra præceptum Dei, & ea fieri potius quàm ipsa lege & veritate volunt (quod primi hominis peccatum deprehenditur, malè utentis libero arbitrio) sed hoc quoque in ipsa damnatione addunt, ut non modò diligant, sed etiam serviant creaturæ potius quàm Creatori, & eam colant per partes ejus, à summis usque ad ima venientes. Sed aliqui se in hoc tenent, ut pro summo Deo animam colant, & primam intellectualem creaturam, quam per Veritatem Pater fabricavit, ad ipsam Veritatem semper intuendam, & se per ipsam, quia omni modo ei simillima est. Deinde veniunt ad vitam genitalem, per quam creaturam, visibilia & temporalia gignentia Deus æternus & incommutabilis operatur. Hinc ad animalia, & inde ad ipsa corpora colenda dilabuntur; & in his primò eligunt pulchriora, in quibus cælestia maximè excellunt. Ergo in primis solis corpus occurrit, & in eo nonnulli remanent. Aliqui & lunæ splendorem religione dignum putant: est enim nobis, ut perhibetur, propinquior, unde vicinior speciem habere sentitur. Alii etiam ceterorum siderum corpora adjungunt, & totum cælum cum stellis suis. Alii cælo æthereo copulant aërem, & istis duobus superioribus elementis corporeis

CAPUT
XXXVII.
Impietas
idololatriæ
multiplicis
orta est a-
more crea-
turæ.

^a Lov. & per seipsam; sed legendum uti in aliis editionibus, & in omnibus MSS. habetur, & se per ipsam.

reis subjiunt animas suas. Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui universam simul creaturam, id est, mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, & vitam qua spiratur & animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt: hoc ergo totum simul unum Deum magnum esse arbitrantur, cujus partes sint ceteræ. Non enim universæ creaturæ auctorem, conditoremque noverunt. Inde in simulacra præcipitantur, & ab operibus Dei usque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt.

CAPUT
XXVIII.
Aliud idolatriæ genus, quo peccator triplici cupiditati servit.

69. EST enim alius deterior & inferior cultus simulacrorum, quo phantasmata sua colunt, & quidquid animo errante cum superbia vel timore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine observant, donec fiat in anima, nihil omnino colendum esse, & errare homines qui superstitioni se involvunt, & misera se implicant servitute. Sed frustra hoc sentiunt: non enim efficiunt ut non serviant: remanent quippe ipsa vitia, quibus ut ipsa colenda opinarentur, attracti sunt. Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit nolit. Nam quocumque duxerint, sequitur; & quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur. Possunt autem auferre ista, & scintilla ignis, & aliqua parva bestiola. Postremò, ut omit- tam innumerabiles adversitates, tempus ipsum

au-

auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cum omnia temporalia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea putant nihil colendum esse, ne serviant.

70. Verumtamen quamquam in hac rerum extremitate miseri jaceant, ut vitia sua sibi dominari patiantur, vel libidine, vel superbia, vel curiositate damnati, vel duobus horum, vel omnibus: quamdiu sunt in hoc stadio vitæ humanæ, licet eis congregi & vincere, si prius credant quod intelligere nondum valent, & non diligant mundum: quoniam omne quod in mundo est, sicut divinitus dictum est, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi*. Hoc modo tria illa sunt notata: nam concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum, curiosos: ambitio sæculi, superbos.

71. Triplex etiam tentatio in homine, quem Veritas ipsa suscepit, cavenda monstrata est. *Dic*, inquit tentator, *lapidibus istis, ut panes fiant*. At ille unus & solus Magister: *Non*, inquit, *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*. Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nefami cedendum sit. Sed fortè dominationis temporalis fastu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit: omnia ergo mundi regna monstrata sunt, & dictum est: *Omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me*. Cui responsum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Ita calcata est superbia. Subjeta est autem extrema etiam curiositatis illecebra: non enim ut se de fastigio templi præcipitaret urgebat, nisi caussa tantum aliquid experiendi. Sed neque hic victus est,

Vitia quamdiu hic sumus licet vincere.

1. Joan. 2.
16.

Tentationem triplicem Christus cavendam monstravit.
Matth. 4.
3. & 4.

Ibid. 9. &
10.

&

& ideo sic respondit, ut intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum, tentationibus visibiliter divina explorare molientibus.

ibid. 7. *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur, non quærit in ista eremo voluptatem. Qui uni Deo tantum subjectus est, non quærit in monte, id est, in terrena elatione jactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhærescit, non per fastigium hujus corporis, id est, per hos oculos præcipitatur, ut temporalia & inferiora cognoscat.

CAPUT
XXXIX.
Ex ipsis vitiis suis animam admoneri, ut primam pulchritudinem requirat; quod primo de vitio voluptatis ostenditur usque ad caput 43.

72. QUID igitur restat, unde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam reliquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim Sapientia Dei pertendit à fine usque ad finem fortiter. Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit. Ita illa bonitas à summo usque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset, invidit, ut nemo ab ipsa veritate deiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporis voluptate quid teneat, nihil aliud invenies quam convenientiam: nam si resistentia pariunt dolorem, convenientia pariunt voluptatem. Recognosce igitur quæ sit summa convenientia: **NOLI FORAS IRE**, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas: & si tuam naturam mutabilem inveneris, transcende & te ipsum. Sed memento cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. Quò enim pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem? Cum ad se ipsam veritas non utique ratiocinando perveniat, sed quod ratiocinantes appetunt ipsa sit. Vide ibi con-

convenientiam qua superior esse non possit, & ipse conveni cum ea. Confitere te non esse quod ipsa est: siquidem se ipsa non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spatium, sed mentis affectu, ut ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infima & carnali, sed summa & spiritali a voluptate conveniat.

73. Aut si non cernis quæ dico, & an vera sint dubitas, cerne saltem utrum te de iis dubitare non dubites; & si certum est te esse dubitantem, quære unde sit certum: non illic tibi, non omnino, solis hujus lumen occurret, sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod his oculis videri non potest; nec illis quibus phantasmata cogitantur, per eosdem oculos animæ impacta; sed illis quibus ipsis phantasmatis dicitur: Non estis vos quod ego quæro, neque illud estis unde ego vos ordino, & quod mihi inter vos fœdum occurrerit, improbo, quod pulchrum approbo, cum pulchrius sit illud unde improbo & approbo: quare hoc ipsum magis approbo, & non solum vobis, sed illis omnibus corporibus, unde vos hausi, antepono. Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc modo: Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, & de hac re quam intelligit certus est: de vero igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubita-

a Lov. & Arn. voluntate, pro quo Bad. Er. & MSS. septem, voluptate.

tare. Ubi videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum & temporum, & sine ullo spatiorum talium phantasmate. Numquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator intereat, aut apud carnales inferos veterascat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniuntur, in se manent, & cum inveniuntur, nos innovant.

CAP. XL.

De pulchritudine corporum, carnisque voluptate, & de peccantium poena.

2. Cor. 4. 16.

74. ITA renascitur interior homo, & exterior corrumpitur de die in diem. Sed interior exteriorem respicit, & in sua comparatione foedum videt; in proprio tamen genere pulchrum, & corporum convenientia lætantem, & corrumpentem quod in bonum suum convertit, alimenta scilicet carnis: quæ tamen corrupta, id est, amittentia formam suam, in membrorum istorum fabricam migrant, & corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam transeuntia: & per vitalem motum dijudicantur quodammodo, ut ex eis in structuram hujus visibilis pulchri quæ apta sunt assumantur, non apta vero per ^a congruos meatus efficiantur. Quorum aliud foeculentissimum redditur terræ ad alias formas assumendas, aliud per totum corpus exhalat, aliud totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem, & sive convenientia duorum corporum, sive tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice defluit in ^b infima voluptate. Jam verò in matre per certos numeros temporum in locorum

Semen à cerebro.

b

^a Lov. & nonnulli MSS. *incongruos*; sed verè Bad. Er. Arn. & MSS. alii duodecim, *congruos*, quippe hic describitur exterioris hominis pulchritudo, in cujus structura nihil incongruum.

^b MSS. octo, *defluit infima voluptate*.

rum numerum coaptatur, ut suas regiones quæque membra occupent; & si modum parilitatis servaverint, luce coloris adjuncta, nascitur corpus quod formosum vocatur, & à suis dilectoribus amatur acerrimè: non tamen in eo plus placet forma quæ movetur, quam vita quæ movet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentius: si oderit autem, succensemus, & ferre non possumus, etiamsi formam ipsam præbeat fruendi. Hoc totum est voluptatis regnum, & ina pulchritudo; subjacet enim corruptioni: quod si non esset, summa putaretur.

75. Sed adest divina providentia, quæ hanc ostendat, & non malam, propter tam manifesta vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus; & extremam tamen esse, miscens ei dolores, & morbos, & distortionem membrorum, & tenebras coloris, & animorum similitudines ac dissensiones, ut ex his admoneamur incommutabile aliquid esse quærendum. Et hoc facit per infima ministeria, ^a quibus id agere voluptatis est, quos exterminatores & angelos iracundiæ, divinæ Scripturæ nominant, quamvis ipsi nesciant quid de se agatur boni. His similes sunt homines, qui gaudent miseris alienis, & risu sibi ad ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt, * eversioibus & erroribus aliorum. Atque ita in his omnibus boni admonentur, & exercentur, & vincunt,

TOM. I.

T

* Lib. 3.
Conf. cap.
3. n. 6.

^a In excusis, *per infima ministeria eorum quibus &c.* At à MSS. abest vox, *eorum*. Unde intelligimus, non officia quædam hisce verbis denotari, sed ipsos Angelos malos, qui mox appellantur *ultimi servi*: contra verò boni Angeli inferius cap. 55. *excellentissima, & sancta Dei ministeria*.

& triumphant, & regnant: mali verò decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, & serviunt, non uni omnium summo Domino, sed ultimis servis, illis videlicet angelis, qui doloribus & miseria damnatorum pascuntur, & pro ista malevolentia bonorum liberatione torquentur.

76. Ita ordinantur omnes officiis & finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat: quia nec in edificio judicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim, quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu, sive in motu pulchra sentiuntur, tota consideranda sunt, si rectè volumus judicare. Verum enim nostrum iudicium, sive de toto, sive de parte iudicet, pulchrum est: universo quippe mundo superfertur, nec alicui parti ejus, in quantum verum iudicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens ejus, ipse per se foedus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher; sic totum istum agnem decenter edit incommutabilis divina providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis & solum Deum contemplantibus tribuens: cum in his omnibus non sit malum nisi peccatum, & poena peccati, hoc est, defectus voluntarius a summa essentia, & labor in ultima non voluntarius: quod alio modo sic dici potest, libertas a justitia, & servitus sub peccato.

COR-

77. CORRUMPITUR autem homo exterior aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, ut totus in melius reformetur, & restituatur in integrum in novissima tuba, ut jam non corrumpatur, neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est, poenarum ordinem præcipitur. Nec miremur, quòd adhuc pulchritudines nominò: nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum. Et sicut ait Apostolus: *Omnis ordo à Deo est.* Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quàm lætantem vermiculum: & tamen vermiculi laudem sine ullo mendacio copiosè possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, & unitatis appetentiam pro suæ naturæ humilitate servantia; nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid jam de anima ipsa dicam vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerosè moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obsistentia, quantum potest, & ad unum sensum incolumitatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium, multò evidentius quàm corpus insinuet? loquor de vermiculo animante qualicumque. Cineris & stercoris laudem verissimè, atque uberrimè plerique dixerunt. Quid ergo mirum est, si hominis animam, quæ ubicumque sit & qualicumque sit, omni corpore est melior, dicam pulchrè ordinari, & de poenis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit quando misera est, ubi beatos esse decet, sed ibi sit, ubi esse miseros decet?

CAP. XLII.
In peccatis anime
poena pulchritudo.

Rom. 13. 1.

Cato apud
Ciceronem
in Catoe
majore.

T 2

Pror-

g. Retract.
c. 13. n. 8.

78. Prorsus nemo nos fallat. Quidquid rectè vituperatur, in melioris comparatione respicitur. Omnis autem natura quamvis extrema, quamvis infima, in comparatione nihili jure laudatur. Et tunc cuique non est bene, si meliùs esse potest. Quare si nobis potest bene esse cum ipsa veritate, malè sumus cum quolibet vestigio veritatis: multò ergo deterius cum extremitate vestigii, quando carnis voluptatibus adhæremus. Vincamus ergo hujus cupiditatis vel blanditias, vel molestias; subjungemus nobis hanc feminam, si viri sumus. Nobis ducibus, & ipsa erit melior, nec jam cupiditas, sed temperantia nominabitur. Nam cum ipsa ducit, nos autem sequimur, cupiditas illa & libido, nos verò temeritas & stultitia nuncupamur. Sequamur Christum caput nostrum, ut & nos sequatur cui caput sumus. Hoc & feminis præcipi potest, non maritali, sed fraterno jure; quò jure in Christo nec masculus nec femina sumus. Habent enim & illæ virile quiddam, unde femineas subjungunt voluptates, unde Christo serviant, & imperent cupiditati. Quod in multis viduis, & virginibus Dei, in multis etiam maritalis, sed jam fraternè conjugalia jura servantibus, christiani populi dispensatione, manifestum est. Quòd si ab ea parte, cui dominari Deus nos jubet, atque ut in nostram possessionem restituamur, & hortatur & opitulatur; si ergo ab hac parte per negligentiam & impietatem vir subditus fuerit, id est, mens & ratio, erit quidem homo turpis & miser; sed destinatur in hac vita, & post hanc vitam ordinatur, quò eum destinari, & ubi ordinari summus ille Rector & Dominus judicat. Nulla itaque foeditate universa creatura maculari permittitur.

AM.

79. AMBULEMUS ergo dum diem habemus, id est, dum ratione uti possumus, ut ad Deum conversi, verbo ejus, quod verum lumen est, illustrari mereamur, ne nos tenebræ comprehendant. Dies est enim præsentia illius luminis, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hominem dixit, ^a quia ratione uti potest, & ubi cecidit, ibi incumbere ut surgat. Si ergo voluptas carnis diligitur, ea ipsa diligentius consideretur; & quum ibi recognita fuerint quorundam vestigia numerorum, quaerendum est ubi sine tumore sint. Ibi enim magis unum est, quod est. Et si tales sunt in ipsa motione vitali, quæ in seminibus operatur, magis ibi mirandi sunt quam in corpore. Si enim numeri seminum sicut ipsa semina tumerent, de dimidio grano fici arbor dimidia nasceretur, neque de animalium seminibus etiam non totis, animalia tota & integra gignerentur, neque tantillum & unum semen vim haberet sui cuiusque generis innumerabilem. De uno quippe secundum suam naturam possunt, vel segetes segetum, vel silvæ silvarum, vel greges gregum, vel populi populorum per sæcula propagari, ut nullum folium sit, vel nullus pilus per tam numerosam successionem, cujus non ratio in illo primo & uno semine fuerit. Deinde illud cogitandum est, quam numerosas, quam suaves sonorum pulchritudines verberatus aër trajiciat, cantante luscinia, quas illius aviculæ anima non ^b tam liberè cum li-

T 3

CAP. XLV.
Voluptas
carnis ad-
monet ut
numeros
indivisi-
bles quæra-
mus. An
tales insint
in aliquo
vitali mo-
tu.

Joan. 1.9.

a

b

^a Editi, qui ratione uti potest; & paulò post Lov. & Arn. incumbere debet ut surgat. At MSS. habent, quia ratione &c. & altero loco carent voce, debet, quæ etiam abest à Bad. & Er.

^b In MSS. non est, tam liberè.

beret fabricaretur, nisi vitali motu incorporaliter haberet impressas. Hoc & in ceteris animalibus, quæ ratione carentia, sensu tamen non carent, animadverti potest. Nullum enim horum est, quod non vel in sono vocis, vel in cetero motu atque operatione membrorum, numerosum aliquid & in suo genere moderatum gerat, non aliqua scientia, sed tamen intimis naturæ terminis, ab illa incommutabili numerorum lege modulatis.

CAPUT
XLIII.

In homine
vis judi-
candi de
corporum
& tempo-
rum pro-
portione.
Qui in per-
petua veri-
tate modus
ordinis.

80. REDEAMUS ad nos, & omittamus ea, quæ cum arbutis & bestiis habemus communia. Uno namque modo hirundo nidificat, & unumquodque avium genus uno aliquo suo modo. Quid est ergo in nobis, quo & de illis omnibus judicamus, quas figuras appetant, & quatenus impleant, & nos in ædificiis aliisque corporeis operibus, tamquam domini omnium talium figurarum, innumerabilia machinamur? Quid est in nobis, quod intus intelligit has ipsas visibiles corporum moles proportionem magnas esse, vel parvas; & omne corpus habere dimidium quantulumcumque sit, & si dimidium, innumerabiles partes: itaque omne granum milii suæ parti tantæ, quantum in hoc mundo nostrum corpus tenet, tam magnum esse quam mundus est nobis, totumque istum mundum figurarum ratione pulchrum esse, non mole; magnum autem videri, non pro sua quantitate, sed pro brevitate nostra, id est, animalium quibus est plenus; quæ rursus cum habeant infinitatem divisionis, non ipsa per se, sed in aliorum, & maxime ipsius universi comparatione tam parva sunt? Nec in spatio temporum alia ratio est, quia ut omnis loci, sic omnis temporis longitudo habet dimidium sui: quamvis enim sit brevissima, &

& incipit, & progreditur, & desinit. Itaque non potest nisi habere dimidium, dum ibi dividitur quæ transit ad finem. Ac per hoc & brevis syllabæ tempus in comparatione longioris breve, & hora brumalis æstivæ horæ comparata minor est. Sic mora unius horæ ad diem, & diei ad mensem, & mensis ad annum, & anni ad lustrum, & lustrum ad majores circuitus, & ipsi ad universum tempus relati breves sunt; cum illa ipsa numerosa successio, & quædam gradatio, sive localium, sive temporalium spatiorum, non tumore vel mora, sed ordinata convenientia pulchra judicetur.

81. Ipse autem ordinis modus vivit in veritate perpetua, nec mole vastus, nec protractione volubilis; sed potentia supra omnes locos magnus, æternitate super omnia tempora immobilis: sine quo tamen nec ullius molis vastitas in unum redigi, nec ullius temporis productio potest ab errore cohiberi, & aliquid esse vel corpus ut corpus sit, vel motus ut motus sit. Ipsum est unum principale, nec per finitum nec per infinitum crassum, nec per finitum nec per infinitum mutabile. Non enim habet aliud hic, aliud alibi; aut aliud nunc, aliud postea: quia summè unus est Pater Veritatis, Pater suæ Sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo ejus dicta est & imago, quia de ipso est. Itaque etiam Filius rectè dicitur ex ipso, cetera per ipsum. Præcessit enim forma omnium summè implens unum de quo est, ut cetera quæ sunt, in quantum sunt uni similia, per eam formam fierent.

82. HORUM alia sic sunt per ipsam, ut ad ipsam etiam sint, ut omnis rationalis & intellectualis creatura, in qua homo rectissime

Ex eorum
consuetu-
dine qui ab
ortu solis
ad occasum
duodecim
horas constan-
ter nu-
merabant,
hyeme
breviores,
æstate lon-
giores.

CAPUT
XLIV.

Dei imago
Filius, ad
quam fac-
ta

ta quæ-
dam.

dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei: non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspiciere. Alia verò ita sunt per ipsam facta, ut non sint ad ipsam. Et ideo rationalis anima si Creatori suo seruiat, à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cetera seruiunt: & vita ultima, quæ tam vicina illi est, & est ad adiutorium eius, per quod imperat corpori; & ipsum corpus, extrema natura & essentia, cui omni modo cedenti ad arbitrium dominabitur, nullam de illo sentiens molestiam; quia iam non ex illo, nec per illud quæret beatitudinem, sed ex Deo per se ipsam percipiet. Reformatum ergo corpus ac sanctificatum, sine detrimento corruptionis, & sine onere difficultatis administrabit. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælis. Esca verò ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & illas destruet; quoniam non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium.*

Matth. 22.
30.
I. Cor. 6. 13.
Rom. 14. 17.

CAPUT

XLV.

Voluptatis
imbecillitas
protrudit nos ad
sublimiora.

83. QUAPROPTER etiam in ista corporis voluptate invenimus unde commoneamur eam contemnere; non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inherere fruique concessum est. Cum trahitur auriga, & suæ temeritatis dat pœnas, quidquid illud est, quo utebatur, accusat; sed imploret auxilium, iubeat Dominus rerum, obsistatur equis, alia jam spectacula de illius præcipitatione facientibus, & nisi subveniatur de morte facturis, restituatur in locum, super rotas collocetur, habenarum jura reddantur, regat cautius obtemperantes & edomitas bestias: tunc sentiet quam bene currus, & tota illa junctio fabri-

ca-

cata sit, quæ ruina ejus, & ipsum affligebat, & cursum decentissimæ moderationis amiserat: quia & huic corpori imbecillitatem peperit animæ malæ utentis aviditas in paradiso, usurpans vetitum cibum contra medici disciplinam, qua sempiterna continetur salus.

84. Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, ubi beata vita esse non potest, invenitur admonitio beatæ vitæ propter speciem de summo a usque ad ima venientem: quanto magis in appetitione nobilitatis & excellentiæ, & in omni superbia vanaque pompa hujus mundi. Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint, perversa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur, secundum præcepta ejus vivendo, per eum haberet subdita cetera, nec ad tantam deformitatem veniret, ut bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. Habet ergo & superbia quemdam appetitum unitatis & omnipotentis: sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt tamquam umbra.

85. Invicti esse volumus, & rectè; habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad ejus imaginem factus est: sed ejus præcepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret. Nunc verò dum ipsa, cuius verbis turpiter consensimus, domatur dolore pariendi, & nos in terra laboramus, & cum magno dedecore superamur ab omnibus, quæ nos commovere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, & iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid

ex-

Nunc de
superbiæ
vicio usque
ad cap. 49.
quomodo
per hoc ad-
monemur
ad amplec-
tendam
virtutem.

a

a Editi, de summo bono usque &c. At abest, bono, à MSS.

exsecrabilis dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen etsi habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit, quam vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse invidentiam, qua necesse est torqueatur & subjiciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo ut homo nos vincat, quam invidentia, vel quodlibet aliud vitium.

CAPUT

XLVI.

In victus
qui id so-
lum amat
quod a-
maneri
non potest,
id est, De-
um ex to-
to corde, &
proximum
sicut se ip-
sum.

86. SED nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cui eripitur ab adversario quod amat. Qui ergo amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec ulla crucibus & percipiendum quanto plures venerint, tanto eis uberius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; & diligit proximum tamquam se ipsum. Non ergo illi invidet, ut sit quod ipse est; imò adjuvat etiam quantum potest. Nec potest amittere proximum, quem diligit tamquam se ipsum; quia neque in se ipso ea diligit, quæ oculis subjacent, aut ullis aliis corporis sensibus. Ergo apud se ipsum habet quem diligit tamquam se ipsum.

Tob. 4. 16.

87. EA autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit; & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit: hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam ERGA NEMINEM operandum est malum. Et *dilectio proximi malum non operatur*. Diligamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros, si verè invicti esse volumus. Non enim per se ipsum quisquam hominum invictus est, sed per illam incommutabilem legem, cui quicumque serviunt, soli sunt li-

Rom. 13.

10.

Matth. 5.

44.

be-

beri. Sic enim eis quod diligunt auferri non potest: quæ res una invictos facit & perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tamquam se ipsum, sed tamquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, serviat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam foedo & DETESTABILI VITIO, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur.

88. Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines aut cives. Nam & dilectio ista temporalis est. Non enim ulla tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis, & imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur. Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa veritas vocans, præcipit, ut carnali consuetudini resistamus; docens neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim est inhumanum, non amare in homine quod homo est, sed amare quod a filius est:

1. Petr. c.
13. num. 8.Luc. 9. 60.
62. & 14.
26.

hoc

a Lov. & Arn. quod vitium est. At Bad. Er. & MSS. magno consensu habent, quod filius est, quæ lectio magis probatur, quia subjicit Augustinus, amare hoc, esse amare illud quod ad se pertinet: utiturque simili modo loquendi in lib. 1. de Sermone Dom. in monte, ubi rursus de necessitudinum ejusmodi temporalium odio disserens, postquam explicuit quodnam amoris odiique genus uxori vir impendere debeat, hoc est, inquit, diligere in ea

hoc est enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad regnum non pervenit, qui non communem, sed privatam rem diligit? Imò utrumque, ait quispiam: imò illud unum, dicit Deus. Dicit enim verissimè Veritas: *Nemo potest duobus Dominis servire*. Nemo enim potest perfectè diligere quò vocamur, nisi oderit unde revocamur. Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit: revocamur autem ab ejus dilectione, quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur optamus.

89. Oderimus ergo temporales necessitudines, si aeternitatis caritate flagramus. Diligat homo proximum tamquam se ipsum. Certè enim sibi ipsi nemo est pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tamquam se ipsum, hoc in eo debet diligere, quod sibi ipse est. Corpora verò non sunt quod nos sumus. Non ergo in homine corpus est expectandum, aut desiderandum. Valet enim ad hoc etiam quod præceptum est: *Ne concupiscas rem proximi tui*. Quapropter quisquis in proximo aliud diligit, quam sibi ipse est, non eum diligit tamquam se ipsum. Ipsa igitur natura humana sine carnali conditione diligenda est, sive sit perficienda sive perfecta. Omnes sub uno Deo patre cognati sunt, qui eum di-

ea quod homo est, odisse quod uxor est; tum addit, hoc & de patre, & de matre, & ceteris vinculis carnis intelligendum esse, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est; diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit, Pater meus, sed omnes omnino uni Deo. Pater noster.

Matt. 6.
24.

Exod. 20.
17.

ligunt, & faciunt voluntatem ipsius. Et invicem sibi sunt, & patres cum sibi consulunt, & filii cum sibi obtemperant, & fratres maxime, quia eos unus pater testamento suo ad unam hereditatem vocat.

90. QUAPROPTER cur iste non invictus sit hominem diligendo, cum in eo nihil præter hominem diligit, id est, creaturam Dei ad ejus imaginem factam, nec ei possit deesse perfecta natura quam diligit, cum ipse perfectus est? Sicut enim, verbi gratia, si quisquam diligit bene cantantem, non hunc aut illum, sed tantum bene cantantem quemlibet, cum sit cantator ipse perfectus, ita vult omnes tales esse, ut tamen ei non desit quod diligit; quia ipse bene cantat. Nam si cuiquam invidet bene cantanti, non jam illud diligit, sed aut laudem, aut aliquid aliud, quò bene cantando vult pervenire; & potest ei minui vel auferri, si & alius bene cantaverit. Qui ergo invidet bene cantanti, non amat bene cantantem: sed rursus qui eo indiget, non bene cantat. Quod multò accommodatius de bene vivente dici potest, quia invidere nulli potest: quò enim perveniunt bene viventes, tantundem est omnibus, nec minùs fit cum plures habuerint. Et potest esse tempus, quò bonus cantator cantare non decenter queat, & indigeat voce alterius, qua sibi exhibeatur, quod diligit; tamquam si alicubi conviveretur, ubi eum cantare turpe sit, sed deceat audire cantantem: bene autem vivere semper decet. Quare quisquis hoc & diligit & facit, non solum non invidet imitantibus, sed & his se præbet libentissimè atque humanissimè quantum potest; nec tamen eis indiget. Nam quod in illis diligit, in se ipso habet torum atque per-

CAPUT
XLVII.
Vera proximi dilectio, quam qui impendit invictus est.

perfectum. Ita cum diligit proximum tamquam se ipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi: praeat ei quod potest; quia & sibi ipsi: non eo indiget, quia nec se ipso: tantum Deo indiget, cui adhaerendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo verissimè atque certissimè invictus homo est, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud, quam ipsum hæere Deo, bonum est.

91. Hic vir quamdiu est in hac vita, utitur amico ad rependam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad benevolentiam. Et quamquam temporalia non diligit, ipse rectè utitur temporalibus, & pro eorum sorte hominibus consulit, si æqualiter non potest omnibus. Quare si aliquem familiarium suorum promptius quam quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eum habet majorem fiduciam; & apertiore temporis januam. Tractat enim tempori dedito tanto melius, quanto minus ipse obligatus est tempori. Cum itaque omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctoribus prodesse malit, injustus est. Animi autem conjunctio major est, quam locorum aut temporum, quibus in hoc corpore a gignimur; sed ea maxima est, quæ omnibus praevalet. Non ergo iste affligitur morte cujusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, novit nec sibi perire quod Deo non perit. Deus autem dominus est & vivorum & mortuorum. Non cujusquam miseria miser est, quia nec cujusquam

^a Lov. & Arn. junguntur. Bad. & Er. jungimur. At MSS. undecim, gignimur

quam a justitia justus est. Et ut nemo illi justitiam & Deum, sic nemo aufert beatitudinem. Et si aliquando fortè alicujus periculo, vel errore, vel dolore commovetur; usque ad illius auxilium, aut correctionem, aut consolationem, non usque ad suam subversionem valere patitur.

92. In omnibus autem officiosis laboribus, futura quietis certa expectatione, non frangitur. Quid enim ei nocebit, qui bene uti etiam inimico potest? Ejus enim præsidio atque munimento inimicitias non pertimescit, cujus præcepto & dono diligit inimicos. Huic viro in tribulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quis huic nocebit? Quis hunc subjugabit? HOMO QUI PROSPERIS rebus proficit, asperis quid profecerit discit. Cum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit: sed cum subtrahuntur, agnoscit utrum eum non ceperint. Quia plerumque cum adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus: sed cum abesse ceperint, invenimus qui simus. HOC ENIM sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere, cum vincatur, qui superando ad id pervenit; quod cum dolore amissurus est: & vincit, cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id pervenit, quod non amittit invitus.

Rom. 5. 3.

93. QUEM ergo delectat libertas, ab amō-

^a MSS. septem, nec cujusquam injuria fit injustus.

CAPUT
XLVIII.
Quæ sit
perfecta
iustitia.

amore mutabilium rerum liber esse appetat; & quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quam se ipsum. ET HÆC EST perfecta iustitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. Sapientem animam atque perfectam talem diligit, qualem illam videt; stultam non talem, sed quia esse perfecta & sapiens potest: quia nec se ipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam; nec fiet quisquis qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. Sed donec ad sapientiam perfectionemque veniatur, eo animo ferat stultitiam proximi, quo suam ferret, si stultus esset, & amaret sapientiam. Quapropter si & ipsa superbia veræ libertatis, & veri regni umbra est, etiam per ipsam nos commemorat divina providentia, quid significemus vitiosi, & quò debeamus redire correcti.

CAPUT
XLIX.
De curiositate deinceps, ut hoc vitio admoneamur ad contemplandam veritatem.

94. JAM verò cuncta spectacula, & omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quærit quam de rerum cognitione letitiam? Quid ergo admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator pervenire se cupere confitetur, cum vehementer ne fallatur invigilat, & inde se jactat, si quid acutiùs ceteris & vivaciùs in spectando cognoscat & judicet? Ipsum denique præstigiatorum, nihil aliud quam fallaciam profitentem, diligenter intuentur, & cautissimè observant; & si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia qui eos eludit. Nam si & ille nesciret quibus causis fallantur intuentes, vel nescire crederetur, pariter erranti nullus plauderet. Si quis autem de populo unus eum deprehenderit, majorem illo laudem se mereri putat, non ob aliud, nisi quia decipi fal-

li-

lique non potuit. Si autem multis apertus sit, non ille laudatur; sed irridentur ceteri, qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur, & artificio, & comprehensioni veritatis: ad quam nullo modo perveniunt, qui foris eam quærunt.

95. Itaque in tantas nugas & turpitudines mersi sumus, ut cum interrogati quid sit melius, verum an falsum, ore uno respondeamus, verum esse melius; jocis & ludis tamen, ubi nos utique non vera, sed ficta delectant, multo propensius quam præceptis ipsius veritatis hæreamus. Ita nostro iudicio & ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate sectantes. Tamdiu autem est ludicrum & jocularè aliquid, quamdiu novimus in cujus veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus à vero, & non jam invenimus quarum rerum imitamenta sint, quibus tamquam primis pulchris inhiamus, & ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, & nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus quam latè pateat quod dictum est: *Cavete à simulacris.*

96. Itaque alii per innumerabiles mundos vaga cogitatione volutari sunt. Alii Deum esse non posse, nisi corpus igneum putaverunt. Alii candorem lucis immensæ per infinita spatia usquequaque porrectum, ex una tamen parte quasi nigro quodam cuneo fissum, duo adversa regna opinantes, & talia rebus constituentibus principia, cum suis phantasmatis fabulati sunt. Quos si jurare cogam, utrum hæc vera esse sciant, fortasse non audeant, sed vicissim dicant: Tu igitur ostende, quid verum

TOM. I.

V

sit

I. Joan. 5.
21.

sit. Quibus si nihil respondeam, nisi ut illam lucem quærant, qua eis apparet, & certum est, aliud esse credere, aliud intelligere; jurarent & ipsi, nec oculis videri posse istam lucem, nec cum aliqua locorum vastitate cogitari, & nusquam non præstò esse quærentibus, & nihil ea certius atque serenius inveniri.

97. Quæ rursus omnia, quæ de hac luce mentis nunc à me dicta sunt, nulla alia quàm eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quæ dicta sunt, & hæc me intelligere per hanc rursus intelligo. Et hoc rursus & rursus, cum quisque se aliquid intelligere intelligit, & idipsum rursus intelligit, in infinitum pergere intelligo, & nulla hîc esse spatia cujusquam tumoris aut volubilitatis intelligo: intelligo etiam non me posse intelligere, nisi vivam, & me vivaciorem intelligendo fieri, certius intelligo. *Æterna enim vita vitam temporalem vivacitate ipsa superat: nec quid sit æternitas, nisi intelligendo conspicio. Mentis quippe ad aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, & in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno; quia spatia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant. NIHIL autem præterit in æterno, & nihil futurum est: quia & quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cepit. Æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi jam non sit, nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ menti: *Ego sum qui sum; & de illa verissimè dici potuit: Misit me, qui est.**

Exod. 3.
14.
CAP. L.
Scriptura-
rum & in-
terpreta-
tionum ra-
tio.

98. CUI si nondum possumus inhære, objurgemus saltem nostra phantasmata, & tam nugatorios & deceptorios ludos de spectaculo mentis ejiciamus. Utamur gradibus, quos

HO-

nobis divina providentia fabricare dignata est. Cum enim figmentis ludicris nimium delectati evanesceremus in cogitationibus nostris, & rotam vitam in quædam vana somnia verteremus^a, rationali creatura serviente legibus suis, per sonos, ac litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, quasi quædam verba visibilia, cum infantia nostra parabolis ac similitudinibus quodammodo ludere, & interiores oculos nostros luto hujusmodi curare non aspernata est ineffabilis misericordia Dei.

99. Distinguamus ergo, quam fidem debeamus historiæ, quam fidem debeamus intelligentiæ; quid mandemus memoriæ, verum esse nescientes, sed credentes tamen. Et ubi sit verum, quod non venit & transit, sed semper eodem modo manet. Qui sit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per sapientiam dicta creditur in Spiritu sancto: utrum à visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora eam perducere sufficiat; an usque ad animæ affectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem: an aliæ significant gesta visibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis; an aliquæ inveniantur, in quibus hæc omnia vestiganda sint. Et quæ sit stabilis fides, sive historica & temporalis, sive spiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit. Et quid pro-

V 2

sit

^a Erudito viro visum erat legendum esse, *irrationali;* sed MSS. omnes & editi ferunt, *rationali creatura*, quibus verbis, nisi fallimur, intelligendi veniunt Angeli, uti infra n. 99. in fine, & in lib. 3. de libero arbitrio, c. 10. n. 30. Quippe Deus per Angelos loquebatur antiquis Patribus, eorumque ministerio exhibebat sonos, litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, & similia portenta, quæ in sacra historia narrantur. Sic autem prosequuntur MSS. plerique, *serviente de legibus suis, &c.*

Allegoria
quadru-
plex.

sit ad intelligenda, & obtinenda æterna, ubi finis est omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid intersit inter allegoriam historiæ, & allegoriam facti, & allegoriam sermonis, & allegoriam sacramenti. Et quomodo ipsa locutio divinarum scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. Quid prosit tanta loquendi humilitas, ut non solum ira Dei, & tristitia, & à somno expergefactio, & memoria, & oblivio, & alia nonnulla quæ in bonos homines cadere possunt; sed etiam poenitentia, zeli, crapulæ nomina, & alia hujusmodi in sacris libris inveniantur. Et utrum oculi Dei, & manus, & pedes, & alia hujus generis membra, quæ in Scripturis nominantur, ad visibilem formam humani corporis referenda sint; an ad significationes intelligibilium & spiritualium potentiarum, sicut galea, & scutum, & gladius, & cingulum, & cetera talia. Et quod maxime querendum est, quid prosit generi humano, quod sic nobiscum per rationalem, & genitalem, & corporalem creaturam sibi servientem, divina providentia locuta est. Quo uno

* Mani-
chaorum
in vetus
Testamen-
tum.

CAP. LI.
Scriptura-
rum pers-
crutatio in
curiositatis
medelam.

Sap. 8. 1.

100. OMISSIS igitur & repudiatis nugis theatricis & poetis, divinarum Scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum atque potemus, vanæ curiositatis fame ac siti fessum & æstuantem, & inanibus phantasmatis tamquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem: hoc verè liberali, & ingenuo ludo salubriter erudiamur. Si nos mi-

racula spectaculorum, & pulchritudo delectant, illam desideremus videre Sapientiam, quæ pertendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Quid enim mirabilius vi incorporea, mundum corporeum fabricante & administrante? Aut quid pulchrius ordinante & ornante?

Sap. 8. 1.

101. SI autem omnes fatentur per corpus ista sentiri, & animum meliorem esse quam corpus, nihilne per se animus ipse conspiciet; aut quod conspiciet potest esse, nisi multò excellentius longèque præstantius? Imò vero à commemorati ab iis quæ judicamus, intueri quid sit secundum quod judicamus, & ab operibus artium conversi ad legem artium, eam speciem mente contuebimur, cujus comparatione fœda sunt, quæ ipsius benignitate sunt pulchra. *Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & sempiterna ejus virtus & divinitas.* Hæc est à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio. Quid est autem unde homo commemorari non possit ad virtutes capessendas, quando de ipsis vitiis potest? Quid enim appetit curiositas, nisi cognitionem, quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum, & eodem modo se semper habentium? Quid appetit superbia nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non invenit anima perfecta nisi Deo subdita, & ad ejus regnum summa caritate conversa? Quid appetit voluptas corporis, ni-

CAPUT LII.
Et curiositas & alia vitia sunt occasio ad virtutem.

Rom. I. 20.

v 3

si

a MSS. duo, *commoniti*, alii omnes, *commemorati*; & paulò infra habent, *commemorari*: hoc verbo frequens utitur Augustinus pro *commoneri*, quod hic in editis fuerat substitutum.

si quietem, quæ non est nisi ubi nulla est indigentia, & nulla corruptio? Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est, post hanc vitam poenæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio: ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare festinemus, & ambulemus, cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant. Festinemus à secunda morte liberari, ubi nemo est qui memor Dei sit, & ab inferno, ubi nemo confitebitur Deo.

CAPUT
LIII.
Scopi stultorum ac sapientum diversi.

102. SED miseri homines, quibus cognita vilescunt, & novitatibus gaudent, libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi. Et quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quam vincunt, cum victoria sit finis certandi. Et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari, & malunt frui genitalibus membris quam nullam talem commotionem pati: inveniuntur etiam qui malunt dormire quam non dormire; cum omnis illius voluptatis sit finis, non esurire ac sitire, & non desiderare concubitum, & non esse corpore fatigato.

103. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem, quæ intus est, & ea perfruentes, quantum in hac vita queunt. Deinde accipiunt actionis facilitatem pervicacia posita, scientes majorem esse facilioremque victoriam, non resistere animositati cujusquam: hoc, quantum in hac vita queunt, sentiunt. Postremo etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus sine quibus agi hæc vita potest: ita gustant quam suavis est Dominus, nec erit du-

dubium quid post hanc vitam futurum sit, & perfectionis suæ fide, spe, caritate nutriuntur. Post hanc autem vitam & cognitio perficietur, quia ex parte nunc scimus; cum autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte, & pax omnis aderit. Nunc enim alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ; sed liberabit nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; quia ex magna parte concordamus cum adversario, dum cum illo sumus in via: & tota sanitas, & nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori; quia corruptibile hoc, tempore atque ordine suo, quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione. Non mirum autem, si hoc dabitur iis, qui in cognitione solam veritatem amant, & in actione solam pacem, & in corpore solam sanitatem. Hoc enim in eis perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

104. QUI ergo male utuntur tanto mentis bono, ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad a conspicienda & diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium est carnis prudentia, & sensuum corporeorum inbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, & summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror, quod ligantur ei manus & pedes, id est, facilitas omnis aufertur operandi. Et qui sitire & esurire volunt, & in libidinem ardescere & defatigari, ut libenter edant, & bibant, & concubant, & dormi-

V 4

mi-

a Ita MSS. At excusi habent, ad concupiscenda.

CAPUT
LIV.
Supplicia damnatorum quam habeant rationem ad eorum vitia.

Matt. 22.
13.

miant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant; ut a ibi sint ubi eis sit ploratus & stridor dentium.

105. Plures enim sunt qui hæc omnia simul vitia diligunt, & quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire; & in cogitatione sua nihil aliud quam phantasmata, quæ de tali vita colligunt, amplexari; & ex eorum fallacia, superstitionis vel impietatis regulas figere, quibus decipiuntur, & quibus inhaerent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur. Quia non bene utuntur talento sibi commisso, id est, mentis acie, qua videntur omnes, qui docti, aut urbani, aut faceti nominantur, excellere; sed habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est, delicatis & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus involutam & oppressam: ligabuntur ergo his manus & pedes, & mittentur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium. Non quia ipsa dilexerunt (quis enim hæc diligit!) sed quia illa quæ dilexerunt, initia sunt istorum, & necessario dilectores suos ad ista perducunt. Qui enim magis amant ire, quam redire, aut pervenire, in longinquiora mittendi sunt, quoniam caro sunt, & spiritus ambulans, & non revertens.

106. Qui verò bene utitur, vel ipsis quinque sensibus corporis ad credenda & prædicanda opera Dei, & nutriendam caritatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam, & cognoscendum Deum, intrat in gaudium Domini sui. Propterea talen-

a In MSS. plerisque, ut eis ibi sit ploratus, &c.

lentum quod male utenti aufertur, illi datur qui talentis quinque bene usus est: non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est, posse hoc amittere negligentes & impios ingeniosos, & ad eam pervenire diligentes & pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talentum ei, qui acceperat duo; habet enim & hoc, qui jam in actione & cognitione bene vivit; sed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantum, id est, temporalibus credit: sed habere potest, qui horum omnium sensibilium Deum artificem laudat, & eum persuadet fide, & expectat spe, & quarrit caritate.

107. QUÆ cum ita sint, hortor vos, homines carissimi & proximi mei, meque ipsum hortor vobiscum, ut ad id quod nos per Sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non diligamus mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & ambitio sæculi. Non diligamus per carnis voluptatem corrumpere atque corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorumque veniamus. Non diligamus certamina, ne Angelis qui talibus gaudent in potestatem demur humiliandi, vincendi, verberandi. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando, & amando umbras, in tenebras projiciamur.

108. Non sit nobis Religio in phantasmatis nostris. Melius est enim qualecumque verum, quam omne quiddid pro arbitrio fingi potest: & tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere

non

CAPUT
LV.
Epilogus
exhortans
ad veram
religionem.

Qualls erat
manichæorum
religio.

Opulones
falsæ de
diis.

non debemus. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata: & tamen stipulam, quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam. Non sit nobis Religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis Religio cultus bestiarum. Meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis Religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quarant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem. Si autem male vixerunt, ubicumque sint, non sunt colendi. Non sit nobis Religio cultus demonum, quia omnis superstitio cum sit magna poena hominum, & periculosissima turpitudò, honor est ac triumphus illorum.

109. Non sit nobis Religio terrarum cultus & aquarum: quia istis purior & lucidior est aer, etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis Religio etiam purioris aeris & serenioris cultus: quia luce absente inumbratur, & purior illo est fulgor ignis etiam huius, quem tamen, quoniam pro voluntate accendimus & extinguimus, colere utique non debemus. Non sit nobis Religio cultus corporum æthereorum atque caelestium, quæ quamvis omnibus ceteris corporibus recte præponantur, melior tamen ipsis est quæcumque vita. Quapropter si animata sunt, melior est quævis anima per se ipsam, quam corpus quodlibet animatum, & tamen animam vitiosam nemo colendam esse censuerit. Non

sit

sit nobis Religio cultus illius vitæ, qua dicuntur arbores vivere: quoniam nullus sensus in illa est; & ex eo genere est ista, qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli & ossa vivunt, quæ sine sensu præciduntur: hac autem melior est vita sentiens, & tamen vitam bestiarum colere non debemus.

110. Non sit nobis Religio vel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis, sive in ministerio universitatis, sive in ministerio partium stabilita, sive quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationemque portionis suæ: quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsicè sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus Angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo, aliunde ille verax, aliunde homo; sed ab una incommutabili sapientia & veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei Virtus, & Dei Sapientia incommutabilis, & consubstantialis Patri, & coæterna, suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam ipsos optimos Angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelum beati sumus; sed videndo Veritatem, qua etiam ipsos di-

diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec invidemus quòd ea paratiores, vel nullis molestius interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino jussi sumus. Quare honoramus eos caritate, non servitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis: quia nos ipsos cùm boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Rectè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed unum Dominum sub quo ei esset & ille conservus.

III. Qui autem nos invitant ut sibi serviamus, & tamquam Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minùs, illos verò colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in homines, aut dominantium aut servientium morte finitur: servitus autem sub Angelorum malorum superbia, propter ipsum tempus quod est post mortem, magis metuenda est. Illud etiam cuivis cognoscere facile est, quòd sub homine dominante liberas cogitationes habere concessum est: illos autem dominos in mentibus ipsis formidamus, qui unus est oculus intuendæ ac percipiendæ veritatis. Quare si omnibus potestatibus, quæ dantur hominibus ad regendam rempublicam, pro nostro vinculo subditi sumus, reddentes Cæsari quòd Cæsaris est, & Deo quòd Dei est, non est metuendum, ne hoc post mortem nostram aliquis exigat. Et aliud est servitus animæ, aliud servitus corporis. Justi autem homines, & in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus: cùm verò ipsi tamquam

Apo. 22. 9.

*Mat. 22.
21.*

ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt; quos autem non possunt, non eis gratulantur, & ab illo vitio corrigi volunt. Quibus si similes, vel etiam mundiores atque sanctiores sunt boni Angeli, & omnia sancta Dei ministeria, quid metuiamus ne aliquem illorum offendamus, si non superstitiosi fuerimus, cùm ipsis adjuvantibus ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas nostras, unde Religio dicta creditur, omni superstitione careamus?

112. Ecce unum Deum colo, unum omnium Principium, & Sapientiam, qua sapiens est quæcumque anima sapiens est, & ipsum Munus quo beata sunt quæcumque beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quòd etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere. Dicant ergo mihi adoratores, aut adulatores partium mundi, quem non optimum sibi conciliet, qui hoc unum colit, quod omnis optimus diligit, & cujus cognitione gaudet, & ad quod principium recurrendo fit optimus? Quisquis verò Angelus excessus suos diligit, & veritati esse subditus non vult, & privato suo lætari cupiens, à communi omnium a bono & vera beatitudine lapsus est, cui omnes mali subjugandi & premendi, nullus autem bonus nisi exercendus in potestatem datur, nullo dubitante non est colendus; cujus lætitia est nostra miseria, & cujus damnum est nostra reversio.

Re-

^a MSS, quatuordecim, communi omnium bonorum & vera beatitudine.

*1. Retract.
cap. 13.
n. 9.*

Vera Religio.

113. Religet ergo nos Religio unī omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, & Veritatem, id est, lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque Veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso, & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium, quæ ab uno facta sunt, & ad unum nituntur. Unde apparet spiritalibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neque fierent à Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summè bonus esset: qui & nulli naturæ, quæ ab ipso bona esse posset, invidit; & in bono ipso, alia quantum vellent, alia quantum possent, ut manerent dedit. Quare ipsum Donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile colere & tenere nos convenit: unius substantiæ Trinitatem, unum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: Principium ad quod recurrimus, & formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur: unum Deum, quo auctore conditi sumus, & Similitudinem ejus per^a quam ad unitatem formamur, & Pacem qua unitati adharemus: Deum qui dixit, Fiat; & Verbum per quod factum est omne, quod substantialiter & naturaliter factum est; & Donum benignitatis ejus, quo placuit & conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est: unum Deum, quo creatore vivimus, per

^a Ita in MSS. At in excusis legitur, per quem ad unitatem reformamur.

per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes & quo fruente, beatè vivimus: unum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

DE SUBSEQUENTE OPUSCULO

LIBRI I.

RETRACTATIONUM CAPUT XVII.

PER idem tempus coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africae^a concilium Hippone-regio habebant, de Fide ac Symbolo presbyter disputavi. Quam disputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissimè instantibus, in librum contuli: in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur. In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur: *Resurget*, inquam, *Corpus secundum christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro adtendit; qualis autem tunc futura sit, non considerat: quia illo tempore immutationis angelicæ, non jam caro erit & sanguis, sed tantum corpus: & cetera, quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cælestia mutatione disserui, quoniam dixit Apostolus, cum inde lo-* que-

^a Hipponense istud concilium in secretario basilicæ Patris habitum notatur anno 393. octavo idus octobris.

Vera Religio.

113. Religet ergo nos Religio unī omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, & Veritatem, id est, lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque Veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso, & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium, quæ ab uno facta sunt, & ad unum nituntur. Unde apparet spiritalibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neque fierent à Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summè bonus esset: qui & nulli naturæ, quæ ab ipso bona esse posset, invidit; & in bono ipso, alia quantum vellent, alia quantum possent, ut manerent dedit. Quare ipsum Donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile colere & tenere nos convenit: unius substantiæ Trinitatem, unum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: Principium ad quod recurrimus, & formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur: unum Deum, quo auctore conditi sumus, & Similitudinem ejus per^a quam ad unitatem formamur, & Pacem qua unitati adharemus: Deum qui dixit, Fiat; & Verbum per quod factum est omne, quod substantialiter & naturaliter factum est; & Donum benignitatis ejus, quo placuit & conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est: unum Deum, quo creatore vivimus, per

^a Ita in MSS. At in excusis legitur, per quem ad unitatem reformamur.

per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes & quo fruente, beatè vivimus: unum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

DE SUBSEQUENTE OPUSCULO

LIBRI I.

RETRACTATIONUM CAPUT XVII.

PER idem tempus coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africae^a concilium Hippone-regio habebant, de Fide ac Symbolo presbyter disputavi. Quam disputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissimè instantibus, in librum contuli: in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur. In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur: *Resurget*, inquam, *cap. 10.* *corpus secundum christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro adtendit; qualis autem tunc futura sit, non considerat: quia illo tempore immutationis angelicæ, non jam caro erit & sanguis, sed tantum corpus: & cetera, quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cælestia mutatione disserui, quoniam dixit Apostolus, cum inde lo-* que-

^a Hipponense istud concilium in secretario basilicæ Patris habitum notatur anno 393. octavo idus octobris.

1. Cor. 15. 50. queretur: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed quisquis ea sic accipit, ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus caeleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, proculdubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris, non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit, dicens: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Unde constat, Apostolum non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram; sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit. Nam cum dixisset: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt;* bene intelligitur tamquam exponendo quid dixerit, continuo subdidisse: *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet, quisquis *de Civitate Dei* librum legerit novissimum. Hoc opus sic incipit: *Quoniam scriptum est.*

Zuc. 24.
39.

1. Cor. 15.
50.

Cap. 5.
21.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE ET SYMBOLO

LIBER UNUS. *

* Scriptus
anno 393.

Symboli capita singula studiosè explicantur, cum hæreticorum fidei catholica adversantium, & maxime manicheorum reprehensione.

I. QUONIAM scriptum est, & apostolica disciplinæ robustissima auctoritate firmatum: *Quia justus ex fide vivit;* eaque fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ; ait enim Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* oportet nos esse & justitiæ memores, & salutis. Quando quidem in sempiterna justitia regnaturi, à præsentis sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus: quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cantaque vigilantia providendum est. Est autem catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memorizque mandata, quanta res. passa est brevitate sermonis: ut incipientibus atque lactentibus, eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima & spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod

CAPUT I.
Quæ causa & scopus operis præsentis.
Hæb. 2. 4.
Gal. 3. 11.
Rom. 10.
10.

TOM. I.

x

mul-

1. Cor. 15. 50. queretur: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed quisquis ea sic accipit, ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus caeleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, proculdubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris, non solum

conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit, dicens: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Unde constat, Apostolum non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram; sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit. Nam cum dixisset: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt;* bene intelligitur tamquam exponendo quid dixerit, continuo subdidisse: *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet, quisquis *de Civitate Dei* librum legerit novissimum. Hoc opus sic incipit: *Quoniam scriptum est.*

Zuc. 24. 39.

1. Cor. 15. 50.

Cap. 5. 21.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE ET SYMBOLO

LIBER UNUS. *

* Scriptus
anno 393.

Symboli capita singula studiosè explicantur, cum hæreticorum fidei catholica adversantium, & maxime manicheorum reprehensione.

I. QUONIAM scriptum est, & apostolica disciplinæ robustissima auctoritate firmatum: *Quia justus ex fide vivit;* eaque fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ; ait enim Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* oportet nos esse & justitiæ memores, & salutis. Quando quidem in sempiterna justitia regnaturi, à præsentis sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus: quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cantaque vigilantia providendum est. Est autem catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memorizque mandata, quanta res. passa est brevitate sermonis: ut incipientibus atque lactentibus, eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima & spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod

CAPUT I.
Quæ causa & scopus operis præsentis.
Hæb. 2. 4.
Gal. 3. 11.
Rom. 10. 10.

Tom. I.

x

mul-

multis verbis exponendum esset proficientibus, & ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate surgentibus. Sub ipsis ergo paucis verbis in Symbolo constitutis, plerique hæretici venena sua occultare conati sunt: quibus restitit & resistit divina misericordia per spiritaes viros, qui catholicam fidem, non tantum in illis verbis accipere & credere, sed etiam Domino revelante intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Sed tractatio fidei ad muniendum Symbolum valet: non ut ipsa pro Symbolo gratiam Dei consequentibus memoria mandanda & reddenda tradatur; sed ut illa quæ in Symbolo retinentur, contra hæreticorum insidias auctoritate catholica, & munitiore defensione custodiat.

Isai. 7. 9.
Sec. LXX.

CAPUT II.
Quod nulla fuerit natura coæterna Deo, ex qua mundum fecerit.

2. CONATI sunt enim quidam persuadere DEUM PATREM non esse OMNIPOTENTEM: non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire & credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulchre ordinatum esse concedunt: ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quæ jam fuerat, & quam ipse non fecerat, uteretur: carnali scilicet consuetudine videndi fabros, & domorum structores, & quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, ad effectum suæ artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem.

• Editi, ornatum. At MSS. ordinatum.

tentem, a si mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua non ab illo fabricata natura, tamquam materies, adjuvaret. Aut si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est, ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cujus creator non esset, cum esset omnipotens. Quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat; quia terram unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cælum & terram, id est, mundum & omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est: *Qui fecisti mundum ex materia invisâ*, vel etiam *informi*, sicut nonnulla exemplaria tenent; nullo modo credendum est illam ipsam materiam, de qua factus est mundus, quamvis informem, quamvis invisam, quocumque modo esset, per se ipsam esse potuisse, tamquam coæternam & coævam Deo: sed quemlibet modum suum, quem habebat, ut quoquo modo esset, & distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cujus beneficio est res non solum quæcumque formata, sed etiam quæcumque formabilis. Inter formatum autem & formabile hoc interest, quod formatum jam accepit formam, formabile autem potest accipere. Sed qui præstat rebus formam, ipse præstat etiam posse formari: quoniam de illo & in illo est omnium speciosissima species incommutabilis: & ideo ipse unus est, qui cuilibet rei, non solum ut pulchra sit, sed etiam ut pulchra esse possit, attribuit. Quapropter rectissime credimus omnia

x 2 Deum

• MSS. duo, qui.

Quomodo mundus ex nihilo, si ex materia informi factus.

Sap. XLVIII.

Deum fecisse de nihilo: quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere ^a prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quæcumque formata sunt. Hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse divinarum Scripturarum sententias, quoniam & omnia Deum fecisse de nihilo scriptum est, & mundum esse factum de informi materia.

3. Credentes itaque in Deum Patrem omnipotentem, nullam creaturam esse quæ ab omnipotente non creata sit, existimare debemus. Et quia omnia per Verbum creavit, quod Verbum & Veritas dicitur, & Virtus, & Sapientia Dei, multisque aliis insinuat vocibus, ^b qui nostræ fidei Jesus Christus Dominus commendatur, liberator scilicet noster, & ^c rector Filius Dei; non enim Verbum illud per quod sunt omnia condita, generare potuit, nisi ille, qui per ipsum condidit omnia: *CRE-
DIMUS ETIAM IN JESUM CHRISTUM FILIUM DEI, Patris unigenitum, id est, UNICUM, DOMINUM NOSTRUM. Quod tamen Verbum non sicut verba nostra debemus accipere, quæ voce atque ore prolata verberato aëre transeunt, nec diutius manent quàm sonant. Manet enim illud Verbum incommutabiliter: nam de ipso dictum est, cum de Sapientia diceretur: *In se ipsa manens, innovat omnia.* Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus inno-

Joan. 1.4.6.
I. Cor. 1.18.

*CAP. III.

Sap. 7.27.

Verbum
quare dic-
tum de Fi-
lio Dei.

- ^a MSS. quatuor, *primò.*
^b Quinque MSS. *quibus.*
^c MS. Colbert. & *creator.*

tescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad cognitionem alterius proferatur: sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit a dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissimè nominatur.

4. Inter animum autem nostrum & verba nostra, quibus eundem animum ostendere conamur, plurimum distat. Nos quippe non gignimus sonantia verba, sed facimus; quibus faciendis materia subjacet corpus. Plurimum autem interest inter animum & corpus. Deus verò cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit: neque de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque materia; sed de seipso id quod est ipse. Hoc enim & nos conamur, cum loquimur, si diligenter consideremus nostræ voluntatis appetitum; non cum mentimur, sed cum verum loquimur. Quid enim aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum & perspicendum animo auditoris inferre; ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus à nobis, & tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus: ut quantum facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per quem se indicet, proferatur? Id facimus ^b conantes & verbis, & ipso sono vocis, & vultu, & gestu corporis, tot scilicet

Quòd Ver-
bum sit id-
ipsum quòd
Pater.

x 3 cet

^a Am. & Lov. *innotescit animus secretissimus Patris. Et innotescit signis secretissimus Pater.* MSS. sex, *innotescit dignis animis secretissimus Pater.* Hanc lectionem esse veriore, id partim persuasit quod inferius n. 4. dicitur, *se indicare animis* &c. partim quòd in ceteris MSS. post verbum, *innotescit*, habetur, *ignis, aut signis animi.*

^b MSS. tres melioris notæ, *conante fetu verbi.* Fortè legendum, *conantes fetu verbi.*

cet machinamentis, id quod intus est demonstrare cupientes, quia tale aliquid proferre non possumus; & ideo non potest loquentis animus penitus innotescere; unde etiam mendacis locus patet. Deus autem Pater, qui verissimè se indicare animis cognituris & voluit, & potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit: qui etiam

I. Cor. I.
24.

Sap. 8. I.

CAPUT IV.

Joan. I. 3.

Filius Dei
non factus,
nec minor,
à Patre.

Philip. 2. 6.

Virtus ejus & Sapiencia dicitur, quia per ipsum operatus est & disposuit omnia; de quo propterea dicitur: *Adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

5. QUAMOBREM unigenitus Filius Dei, neque factus est à Patre; quia sicut dicit Evangelista, *omnia per ipsum facta sunt*: neque ex tempore genitus; quoniam ^a sempiternè Deus sapiens, sempiternam secum habet sapientiam suam: neque impar est Patri, id est, in aliquo minor; quia & Apostolus dicit: *Qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Hac igitur fide catholica, & illi excluduntur qui eundem dicunt Filium esse qui Pater est: quia & hoc Verbum apud Deum esse non posset nisi apud Patrem Deum, & nulli est æqualis qui solus est. Excluduntur etiam illi, qui creaturam esse dicunt Filium, quamvis non talem, quales sunt ceteræ creaturæ. Quantamcunque enim creaturam dicant, si creatura est, condita & facta est. Nam idem est condere, quod creare: quamquam in latinæ linguæ consuetudine dicatur aliquando creare, pro eo quod est gignere: sed græca discernit. Hoc enim dicimus creaturam, quod illi *κτίσμα*, vel *κτίσις* vocant:

^a Editi, *sempiternus*. At MSS. omnes, *sempiternè*.

Creare &
condere
idem.

eant: & cum sine ambiguitate loqui volumus, non dicimus creare, sed condere. Ergo si creatura est Filius, quamlibet magna sit, facta est. Nos autem in eum credimus per quem facta sunt omnia, non in eum per quem facta sunt cetera: neque enim hic aliter accipere possumus omnia, nisi quæcumque sunt facta.

6. Sed quoniam *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; eadem Sapiencia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in a hominibus creari. Quò pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum.* Viarum enim ejus principium ^b caput est Ecclesiæ, quod est Christus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, ^c hoc est, via certa, qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, sicut dictum est primæ nostræ creaturæ: *Gustate, & eritis tamquam dii.* Hujus igitur humilitatis exemplum, id est, viæ qua redeundum fuit, ipse Reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est, qui non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum evacuavit formam servi accipiens; ut crearetur homo in principio viarum ejus, Verbum per quod facta sunt omnia. Quapropter secundum id quod unigenitus est, non habet fratres: secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ^d ejus, &

^a MS. Remigianus, *in omnibus*, id est, inter omnia quæ facta sunt; nec male.

^b Sic MSS. At editi, *principium, & caput Ecclesiæ est Christus.*

^c Editi: *Hæc est via certa.* MSS. verò, *hæc est.* Tum ex iis quatuor, *via recta.*

^d Er. post ejus primitiæ in Dei gratia nascimur.

Joan. I. 14.
Filius Dei
cur factus
homo.

Prov. 8. 22.

b

c

Gen. 3. 5.

Philip. 2.
6.

Lucæ 8. 21.

Hebr. 2. II. per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum, sicut apostolica^a disciplina commendat. Naturalis ergo Filius de ipsa Patris substantia unicus natus est, ^b id existens quod Pater est, Deus de Deo, Lumen de Lumine: nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo Lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus. *Erat enim, inquit, Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Addimus itaque fidei rerum aeternarum etiam temporalem dispensationem Domini nostri, quam gerere nobis, & ministrare pro nostra salute dignatus est. Nam secundum id quod unigenitus est Dei Filius, non potest dici, Fuit & erit; sed tantum, Est: quia & quod fuit, jam non est; & quod erit, nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum & varietate. Nec aliunde arbitror manare illud, quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuavit. Nam cum ab eo quæreretur, si se populus ad quem mittebatur contemneret, a quo se diceret esse missum; responsum dicentis accepit: *Ego sum qui sum.* Deinde subjunxit: *Hæc dices filiis Israël, Qui est, misit me ad vos.*

Exod 3.
14.

Contra
manichæo-
rum hære-
sim.

7. Ex quo jam spiritalibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim ille est, & de solo Deo proprie dici potest hoc Verbum (quod enim verè est, incommutabiliter manet; quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est, & erit quod nondum est) nihil ergo habet Deus

^a Ediff. doctrina: pro quo MSS. disciplina.

^b Sic MSS. At vulgati, idem existens quod pater Deus.

Deus contrarium. Si enim quæreretur à nobis quid sit albo contrarium, responderemus nigrum: si quæreretur quid sit calido contrarium, responderemus frigidum: si quæreretur quid veloci contrarium, responderemus tardum; & quæcumque similia. Cum autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, rectè respondetur quod non est.

8. Sed quoniam per temporalem, ut dixi, dispensationem, ad nostram salutem & reparationem, operante Dei benignitate, ab illa incommutabili Dei Sapientia natura mutabilis nostra suscepta est, temporalium rerum salubriter pro nobis gestarum adjungimus fidem, credentes in eum Dei Filium, QUI NATUS EST PER SPIRITUM SANCTUM EX VIRGINE MARIA. Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum^a deserens. Cui temporali dispensationi multis modis insidiantur hæretici. Sed si quis tenuerit catholicam fidem, ut totum hominem credat à Verbo Dei esse susceptum, id est, corpus, animam, spiritum, satis contra illos munitus est. Quippe cum ista susceptio pro salute nostra sit gesta, cavendum est ne cum crederit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem. Et cum homo excepta forma membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet à pecore nisi rationali

Totus homo susceptus à Verbo.

^a Emanuel. Sa putavit legendum, deferens. Verum codices omnes habent, deserens: quo verbo significatur Christi nativitate detractum nihil esse Virginis matris integritati.

Mens, vñ spiritu, quæ mens etiam nominatur; quomodo sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit Dei Sapientia quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit quod illustratur luce Sapientiæ, & quod hominis proprium est?

Nativitas
Christi ex
femina.

Contra
manichæ-
os.

Joan. 2. 4.

Joan. 19.
5.

Matt. 12.
48.

9. Detestandi autem etiam illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant; cum illa dispensatio utrumque sexum, & masculinum & femininum honoraverit; & ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos ad negandam Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Sed admonet potius ut intelligamus, secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est; & illa erat hora, quæ nondum venerat, quando dictum est: *Mihi & tibi quid est? nondum venit hora mea,* id est, qua te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, & dilectissimo discipulo humanissime commendavit. Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater ejus & fratres, respondit: *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* &c. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, parentes cum impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia dixit: *Quæ mihi mater?* cogatur necesse est & Apostolos negare habuisse patres in terris, quo-

quoniam præcepit eis dicens: *Nolite vobis patrem dicere in terris: unus est enim Pater 9. vester, qui in caelis est.*

10. Nec nobis fidem istam minuatur cogitatio muliebrium viscerum, ut propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quod eam sordidi sordidam putant. Quia & stultum *Dei sapientius esse hominibus*, & omnia *munda mundis*, verissimè Apostolus dicit. Debent igitur intueri, qui hoc putant, solis hujus radios, quem certe non tamquam creaturam Dei laudant, sed tamquam Deum * adorant, per cloacarum foetores & quæcumque horribilia usquequaque diffundi, & in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior: quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima & spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur. Quod si animæ maculas illi vitare vellent, hæc mendacia potius & sacrilegia formidarent.

11. SED parva erat pro nobis Domini nostri humilitas in nascendo: accessit etiam ut mori pro mortalibus dignaretur. *Humiliavit enim*

* Sic Lov. & nonnulli MSS. Alii vero cum Er. ad humani corporis fragilitatem.

1. Cor. 1. 25.
Tit. 1. 15.

* Manichæi.

CAPUT V.
Passio
Christi &
sepultura.
Philip. 2. 8.

enim se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis: ne quisquam nostrum etiam si mortem posset non timere, aliquod genus mortis, quod homines ignominiosissimum arbitrantur, horreret. Credimus itaque in eum qui SUB PONTIO PILATO CRUCIFIXUS EST, ET SEPULTUS. Addendum enim erat iudicis nomen, propter temporum cognitionem. Sepultura verò illa cum creditur, fit recordatio novi^a monumenti, quod resurrecturo ad vitæ novitatem præberet testimonium, sicut nascituro uterus virginalis. Nam sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec antè, nec postea; sic in illo utero nec antè, nec postea, quidquam mortale conceptum est.

12. Credimus etiam illum TERTIO DIE RESURREXISSE A MORTUIS, primogenitum consecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos comparticipes & coheredes suos esse dignatus est.

13. CREDIMUS IN CÆLUM ADSCENDISSE: quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens: *Erunt sicut Angeli in cælis*, in illa civitate quæ est mater omnium nostrum Jerusalem æterna in cælis. Solet autem quosdam offendere, vel impios gentiles vel hæreticos, quod credamus assumtum terrenum corpus in cælum. Sed gentiles plerumque philosophorum argumentis nobiscum agere student ut dicant, terrenum aliquid in cælo esse non posse. Nostras enim Scripturas non noverunt, nec sciunt quomodo dictum sit: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale*. Non enim ita dictum est, quasi

^a Editi, testamenti. Verius MSS. monumenti.

corpus vertatur in spiritum, & spiritus fiat: quia & nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum. Sed spiritale corpus intelligitur, a quod ita spiritui subditum est, ut cælesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cælestem puritatem & stabilitatem mutata atque conversa. Hæc est immutatio, de qua item dicit Apostolus: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri docet idem, cum dicit: *Et nos immutabimur*. Sed ubi & quomodo sit in cælo corpus Dominicum, curiosissimum, & supervacaneum est quærere; tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Domini corporis dignitate sublimia & honesta sentire.

14. CREDIMUS etiam, quod SEDET AD DEXTERAM PATRIS. Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare; multo magis in corde nefarium est, ubi verè est templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beati-

^a Er. & tres MSS. quia ita coaptandum est.

Joan. 19.
41.

Resurrec-
tio Christi.
Ephes. 1.5.

CAPIT VI.
Adscensus
in cælum.
Matt. 28.
30.
Gal. 4.26.

1. Cor. 15.
44.

Ibid. 51.

CAP. VII.
Sessio ad
dexteram
Patris.

Rom. 1.23.

Matt. 25.
35. ^a
tudine, ubi iustitia, & pax, & gaudium est, sicut ad sinistram hœdi constituuntur, id est, in miseria, propter ^a iniquitates, labores, atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, qua illa majestas numquam caret, semper digna dignis tribuendo; quamvis in extremo iudicio multò manifestius inter homines unigeniti Filii Dei iudicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata ^b futura sit.

CAP. VIII.
Adventus
ad iudicium.

^b 15. **CREDIMUS** etiam INDE VENTURUM convenientissimo tempore, & JUDICATURUM VIVOS ET MORTUOS. Sive istis nominibus iusti & peccatores significantur; sive quos tunc ante mortem ^c in terris inventurus est, appellati sint vivi, mortui vero qui in ejus adventu resurrecturi sunt: hæc dispensatio temporalis, non tantum est, sicut illa generatio secundum Deum; sed etiam fuit, & erit. Nam fuit Dominus noster in terris, & nunc est in cælo, & erit in claritate iudex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet, sicut ascendit, secundum auctoritatem quæ in Actibus Apostolorum continetur. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, ubi scriptum est: *Hæc dicit qui est, & qui fuit, & qui venturus est.*

Act. I. 11.

Apoc. I. 8.

^d
CAPUT IX.
De fide in Spiritum sanctum.

16. **DIGESTA** itaque ^d fideique commendata, & divina generatione Domini nostri, & humana dispensatione, adjungitur confessioni nostræ,

^a Tres MSS. propter iniquitatis labores.

^b Ita in MSS. At in excusis, fulsura sit.

^c Hic editi addunt, nostram: reititibus MSS.

^d Sic in MSS. At apud Lov. fide atque commendata divina.

træ, ad perficiendam fidem quæ nobis de Deo est, **SPIRITUS SANCTUS**, ^a non minore natura quàm Pater & Filius, sed, ut ita dicam, consubstantialis & coæternus: quia ista Trinitas unus est Deus: non ut idem sit Pater qui & Filius & Spiritus Sanctus; sed ut Pater sit Pater, & Filius sit Filius, & Spiritus Sanctus sit Spiritus Sanctus, & hæc Trinitas unus Deus, sicut scriptum est: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Tamen si interrogemur de singulis, & dicatur nobis, Deus est Pater? respondebimus, Deus. Si quæretur utrum Deus sit Filius; hoc respondebimus. Nec si fuerit de Spiritu sancto talis interrogatio, aliud eum esse debemus respondere quam Deum: vehementer caventes sic accipere, quomodo de hominibus dictum est: *Dii estis.* Non enim sunt naturaliter dii, quicumque sunt facti atque conditi ex Patre per Filium dono Spiritus Sancti: Ipsa enim significatur Trinitas, cum Apostolus dicit: *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* Quamquam ergo de singulis interrogati, respondeamus Deum esse de quo quæritur, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum Sanctum; non tamen tres deos à nobis coliquisquam existimaverit.

17. Nec mirum quòd hæc de ineffabili natura dicuntur, cum in iis etiam rebus, quas corporeis oculis cernimus, & corporeo sensu dijudicamus, tale aliquid accidat. Nam cum de fonte interrogati, non possimus dicere, quòd ipse sit fluvius; nec de fluvio interrogati, possumus eum fontem vocare; & rursum portionem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium

^a Hæc nos de minoræ. Fortè legendum, non minor.

Trinitatis
mysterium.

Deut. 6. 4.

Psal. 81. 6.

Rom. 11.
26.

Similitudinibus explicatur.

vium possimus appellare, nec fontem: tamen in hac trinitate aquam nominamus, & cum de singulis quæritur, singillatim aquam respondemus. Nam si quæro utrùm aqua in fonte sit, respondetur aqua; & si quæramus utrùm aqua sit in fluvio, nihil aliud respondetur; & in illa potionem non poterit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Sanè cavendum est, ne quisquam ineffabilem illius majestatis substantiam sicut fontem istum visibilem atque corporeum, vel fluvium, vel potionem cogitet. In his enim aqua illa, quæ nunc in fonte est, exit in fluvium, nec in se manet; & cum de fluvio vel de fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis; cum in illa Trinitate dixerimus, non posse fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus sanctus. Sicut in arbore non est radix nisi radix, nec robur est aliud quam robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere: non enim quod dicitur radix, id potest dici robur & rami; nec lignum quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice: cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed unum. Aut si hæc habent aliquam dissimilitudinem, ut possint non absurde tria ligna dici, propter firmitatis diversitatem; illud certe omnes concedunt, si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed omnino unam aquam; quamquam de singulis po-

cu-

culis interrogatus, in quolibet horum aquam esse respondeas: quamvis nullus hinc transitus fiat, sicut de fonte in fluvium dicebamus. Sed hæc non propter illius divinæ naturæ similitudinem, sed propter visibilibus etiam unitatem, corporalia exempla data sunt, ut intelligeretur fieri posse, ut aliqua tria non tantum singillatim, sed etiam simul unum singulare nomen obtineant; nec quisquam miretur & absurdum putet, quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, nec tamen tres Deos in ista Trinitate, sed unum Deum, ^a unamque substantiam.

18. Et de Patre quidem ac Filio multis libris disseruerunt docti & ^b spiritales viri, quibus quantum homines hominibus poterant, & quemadmodum non unus esset Pater & Filius, sed unum essent; & quid propriè Pater esset, & quid Filius insinuare conati sunt: quod ille genitor, hic genitus; ille non de Filio, hic de Patre; hujus ille principium, unde & caput Christi dicitur, quamvis & Christus principium, sed non Patris; hic verò illius imago, quamvis nulla ex parte dissimilis, & omnino indifferenter æqualis. Tractantur hæc latius ab eis, qui non tam breviter quam nos, totius christianæ fidei professionem volunt explicare. Itaque in quantum Filius est, de Patre accepit ut sit, cum ille de Filio id non acceperit: & in quantum hominem, mutabilem scilicet creaturam in melius commutandam, ineffabili misericordia, temporali dispensatione suscepit, multa de illo in Scripturis inveniuntur ita dicta, ut im-

Tom. I.

^a MSS. sed unum colamus, unamque substantiam.

^b In vulgatis, religiosi. Cujus loco in MSS. spiritales.

^a
^b
I. Cor. II. 8.
Joan. 8. 25.
25.
Coloss. I.

Professio
christianæ
fidei.

pias hæreticorum mentes, prius volentes docere quam nosse, in errorem miserint, ut putarent eum non æqualem Patri, nec ejusdem esse substantiæ. Qualia sunt illa: *Quoniam Pater major me est; & Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus; & Tunc ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia; & Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum; & nonnulla hujusmodi.* Quæ omnia posita sunt, non ut naturæ atque substantiæ inæqualitatem significant, ne falsa sint illa: *Ego & Pater unum sumus; & Qui me vidit, vidit & Patrem meum; & Deus erat Verbum;* non enim factus est, cum omnia per ipsum facta sint: *& Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; & cetera talia:* sed illa posita sunt, partim propter administrationem suscepti hominis, qua dicitur: *Semetipsum exinanivit* (non quia mutata est illa Sapiencia, cum sit omnino incommutabilis; sed quia tam humiliter hominibus innotescere voluit) partim ergo propter hanc administrationem illa ita scripta sunt, de quibus hæretici calumniantur; partim propter hoc, quia Filius Patri debet quod est, hoc etiam debens utique Patri quod eidem Patri æqualis aut par est; Pater autem nulli debet quid est.

19. De Spiritu sancto autem nondum tam copiose ac diligenter disputatum est à doctis, & magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit & ejus proprium, quo proprio fit, ut eum neque Filium neque Patrem dicere possimus, sed tantum Spiritum sanctum; nisi quod eum Donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non se ip-

Joan. 14.
28.
1. Cor. 11. 3.
1. Cor. 15.
28.
Joan. 20.
17.

Joan. 10.
30.
Joan. 14. 9.
Philip. 2. 6.

ipso inferius Donum dare. Servant tamen ut non genitum Spiritum sanctum, tamquam Filium de Patre, prædicent; unicus enim est Christus; neque de Filio tamquam nepotem summi Patris: nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia; ne duo constituamus principia sine principio: quod falsissimum est & absurdissimum, & non catholica fidei, sed quorundam hæreticorum errori proprium. Ausi sunt tamen quidam ipsam communionem Patris & Filii, atque (ut ita dicam) deitatem, quam Græci θεότητα appellant, Spiritum sanctum credere: ut, quoniam Pater Deus & Filius Deus, ipsa deitas, qua sibi copulantur, & ille gignendo filium, & ille Patri cohærendo, ei à quo est genitus æquetur. Hanc ergo deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum, caritatemque volunt intelligi, Spiritum sanctum appellatum dicunt, multisque Scripturarum documentis adsunt huic opinioni suæ; sive illo quod dictum est: *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis;* sive aliis multis talibus testimoniis; & eo ipso quod per Spiritum sanctum reconciliamur Deo; unde etiam cum Donum Dei dicitur, satis significari volunt, caritatem Dei esse Spiritum Sanctum. NON ENIM RECONCILIAMUR ILLI, NISI PER DILECTIONEM, qua etiam filii appellamur: non jam sub timore tamquam servi, quia consummata dilectio foras mittit timorem; & spiritum libertatis accepimus, *in quo clamamus, Abba Pater.* Et quia reconciliati & in amicitiam revocati

a] [In vulgatis additur, *Dei*: quod abest à MSS.

* Manichæorum. De Spiritu Sancto opinio quorundam, quod sit ipsa Deitas Patris & Filii.

Rom. 5. 5.

1. Joan. 3. 1.

1. Joan. 4. 18.

Rom. 8. 15.
Rom. 5. 10.

per caritatem, poterimus omnia Dei secreta cognoscere, propterea de Spiritu sancto dicitur: *Ipse vos inducet in omnem veritatem*. Propterea & confidentia prædicandæ veritatis, qua impleti sunt in adventu ejus Apostoli, rectè caritati tribuitur: quia & diffidentia timori datur, quem consummatio caritatis excludit. Ideo etiam Donum Dei dicitur, quia eo quod quisque novit non fruitur, nisi & id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil est aliud quàm ei dilectione coherere: neque quisquam in eo quod percipit permanet nisi dilectione: & ideo Spiritus sanctus dicitur, quoniam ad permanendum sanciantur quæcumque a sanciantur; nec dubium est à sanciendo sanctitatem vocari. Maximè autem illo testimonio utuntur assertores hujus sententiæ, quod scriptum est: *Quod natum est de carne, caro est; & quod natum est de Spiritu, spiritus est: quoniam Deus Spiritus est*.^b Hic enim regenerationem nostram dicit, quæ non secundum Adam de carne est, sed secundum Christum de Spiritu sancto. Quapropter si Spiritus sancti hoc loco facta est commemoratio, cum dictum est: *Quoniam Deus Spiritus est*; animadvertendum dicunt, non dictum esse, *Quoniam Spiritus c Deus est*; sed, *Quoniam Deus Spiritus est*; ut ipsa deitas Patris & Filii hoc loco dicta sit Deus, quod est Spiritus sanctus. Huc accedit aliud testimonium, quod dicit Joannes Apostolus:

Joan. 16.
13.
Act. 2. 4.

Ephes. 3. 7.

Sanctitas à
sanciendo.
a

Joan. 3. 6.

Joan. 4. 24.
b

c

Quo-

a Editi, *sanctificentur*. At MSS. constanter, *sanciantur*.

b Ita MSS. Editi verò, *Hoc enim ... dicunt*.

c Editi & aliquot MSS. *Spiritus Dei est*. Uidemque paulò post, *non ait, dilectio Dei est*. Alii codices utroque loco, *Deus est*; nec minus bene.

Quoniam Deus dilectio est. Etiam hic enim non ait, *Dilectio Deus est*; sed *Deus dilectio est*; ut ipsa deitas dilectio intelligatur. Et quòd in illa enumeratione connexarum sibi rerum, ubi dicitur: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*; & *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus*; nulla fit commemoratio Spiritus sancti; ad hoc pertinere dicunt, quia non ferè in iis quæ sibi connexa sunt, numerari solet ipsa connexio. Unde in illo etiam loco Trinitatem ipsam videntur agnoscere, qui legunt adentiùs, cum dicitur: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. *Ex ipso*, tamquam ex eo qui nulli debet quod est; *per ipsum*, tamquam per mediatorem; *in ipso*, tamquam in eo qui continet, id est, copulatione conjungit.

20. Huic sententiæ contradicunt, qui arbitrantur istam communionem, quam sive deitatem, sive dilectionem, sive caritatem appellamus, non esse substantiam: quærunt autem secundum substantiam sibi exponi Spiritum sanctum: nec intelligunt non aliter potuisse dici, *Deus dilectio est*, nisi esset dilectio substantia. Ducuntur quippe consuetudine rerum corporalium; quoniam si duo sibi corpora copulentur, ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus; quando quidem separatis illis corporibus, quæ copulata fuerant, nulla invenitur: nec tamen quasi discessisse, & migrasse intelligitur, sicut illa corpora. Sed hi tales cor mundum faciunt, quantum possunt, ut videre valeant in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiæ, & non sit substantia; sed quid-

1. Joan. 4.
16.

1. Cor. 3. 22.
1. Cor. 11. 3.

Rom. 11.
36.

1. Joan. 4.
16.

quid ibi intelligi potest, substantia est. Verum hæc dici possunt faciliè, & credi: videri autem nisi corde puro, quomodo se habeant, omninò non possunt. Quapropter sive ista vera sit sententia, sive aliud aliquid sit, fides inconcussa tenenda est, ut Deum dicamus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; neque tres deos, sed istam Trinitatem unum Deum; neque diversos natura, sed ejusdem substantiæ; neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus; sed Pater semper Pater, & Filius semper Filius, & Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Nec temerè de invisibilibus aliquid affirmemus tamquam scientes, sed tamquam credentes; quoniam videri nisi mundato corde non possunt: & qui ea videt in hac vita ex parte, ut dictum est, atque in enigmate, non potest efficere, ut & ille videat cui loquitur, si cordis sordibus impeditur. *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc fides est de Deo conditore, & renovatore nostro.

21. Sed quoniam dilectio non tantum in Deum nobis imperata est, cum dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*; sed etiam in proximum; nam, *Diliges*, inquit, *proximum tuum tamquam te ipsum*: si autem ista fides congregationem societatemque hominum non teneat, in qua fraterna caritas operetur, minus fructuosa est; * **CRE- DIMUS & a SANCTAM ECCLESIAM,** uti-

*CAPUT X.
Ecclesia
catholica.

a Tres MSS in sanctam Ecclesiam &c. Et aliquantò post, in remissionem peccatorum. Sic etiam inferitur, in carnis resurrectionem.

I. Cor. 13.
12.

Matt. 5.8.

Deut. 6.5.

Luc. 10.
27.

utique CATHOLICAM. Nam & hæretici, & schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum, & ideo peccatis proximi facile ignoscit, quia sibi preceat ignosci ab illo, qui nos reconciliavit sibi, delens omnia præterita, & ad vitam novam nos vocans: quam vitam donec perfectam capiamus, sine peccatis esse non possumus; interest tamen qualia sint.

22. Nec de peccatorum differentia modò tractandum est, sed credendum omninò, nullo modo nobis ignosci ea quæ peccamus, si nos inexorabiles ad ignoscenda peccata fuerimus. Itaque credimus & **REMISSIONEM PECCATORUM.**

23. Et quoniam tria sunt quibus homo constat, spiritus, anima, & corpus: quæ rursus duo dicuntur, quia sæpè anima simul cum spiritu nominatur. Pars enim quadam ejusdem rationalis, qua carent bestiæ, spiritus dicitur; principale nostrum spiritus est: deinde vita qua conjungimur corpori, anima dicitur: postremò ipsum corpus quoniam visibile est, ultimum nostrum est. Hæc autem omnis creatura ingemiscit, & parturit usque nunc: dedit tamen primitias spiritus, quia creditur Deo, & bonæ jam voluntatis est. Hic spiritus etiam vocatur mens, de quo dicit Apostolus: *Mente servio legi Dei.* Qui item alio loco dicit: *Testis est enim mihi Deus, cui servio in spiritu meo.* Anima verò cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur.

Remissio
peccato-
rum.

Matt. 6.
15.

Totius ho-
minis in
melius
commuta-
tio resur-
rectione
perficien-
da.

το ηγε-
μεινον.
Rom. 8.22.

Rom. 7.25.
Rom. 1.9.

a Pars enim ejus quadam resistit spiritui, non natura, sed consuetudine peccatorum. Unde dicitur: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. Quæ consuetudo in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis. Ideoque scriptum est: *Ephes. 2. 3. Et nos aliquando fuimus naturaliter filii iræ*, id est, vindictæ, per quam factum est, ut serviamus legi peccati. Est autem animæ natura perfecta, cum spiritui suo subditur, & cum sequitur sequentem Deum. Ideo *animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei*. Sed non tam citò anima subjugatur spiritui ad bonam operationem, quam citò spiritus Deo ad veram fidem & bonam voluntatem: sed aliquando tardius ejus impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrenatur. Sed quoniam & ipsa mundatur, recipiens stabilitatem naturæ suæ dominante spiritu, quod sibi caput est, cui ejus capiti caput est Christus, non est desperandum etiam corpus restitui naturæ propriæ: sed utique non tam citò quam anima, sicut neque anima tam citò quam spiritus; sed tempore opportuno in novissima **RESURRECTIONEM**; non tantum quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones caro nominatur; sed hæc etiam visibilis caro quæ naturaliter est caro, cujus nomen anima non propter naturam, sed propter affectiones carnales accepit: hæc ergo visibilis, quæ propriè dicitur caro, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus

I. Cor. 15.
52.
Carnis resurrectione.

a Quatuor probæ notæ MSS. nominatur, & resistit spiritui: omisso, pars ejus quadam.

Paulus Apostolus eam tamquam digito ostendere, cum dicit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Cum enim dicit, hoc, in ea quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, id potest digito ostendi: quoniam posset etiam anima corruptibilis dici; nam vitiiis morum ipsa corrumpitur *Et mortale hoc induere immortalitatem*, cum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam idem velut digitus intenditur. Potest enim & anima sicut corruptibilis, propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. *Mors quippe animæ est apostatare à Deo*: quod primum ejus peccatum in paradiso sacris litteris continetur.

I. Cor. 15.
53.

Ecc. 10.
14.
Gen. 3. 6.

23. Resurget igitur corpus secundum christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis nunc sit caro adtendit, qualis autem futura sit non considerat: quia illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit & sanguis, sed tantum corpus. Cum enim de carne Apostolus loqueretur: *Alia*, inquit, *caro pecorum, alia volucrum, alia piscium, alia serpentum; & corpora cælestia, & corpora terrestria*. Non enim dixit, & caro cælestis: dixit autem, & cælestia, & terrestria corpora. Omnis enim caro etiam corpus est, non autem omne corpus etiam caro est: primò in istis terrestribus, quoniam lignum corpus est, sed non caro: hominis autem, vel pecoris, & corpus, & caro est: in cælestibus verò nulla caro, sed corpora simplicia & lucida, quæ appellat Apostolus spiritualia; nonnulli autem vocant ætherea. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit illud quod ait: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: sed quale futurum sit, quod nunc caro & sanguis est, prædicat. In qua-

I. Retr. 17.
Resurrectionis futuræ veritas confirmatur.

I. Cor. 15.
39.

I. Cor. 15.
50.

qualem naturam quisquis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quæras, utrùm terra in aquam possit converti; propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quæras, utrùm aqua possit in aërem; neque hoc absurdum esse respondet, vicina enim sunt sibi. Et de aëre si quærat, utrùm in æthereum corpus, id est, cæleste possit mutari; jam ipsa vicinitas persuadet. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus æthereum convertatur, cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrimè id fieri posse, quemadmodum dictum est, *in ictu oculi*, sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate convertitur? Caro enim nostra utique ex terra est: philosophi autem, quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in cælo, quodlibet corpus in omne corpus converti, & mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta ^a à temporis

I. Cor. 15.
52.

I. Cor. 15.
54.

est: *Absorta est mors in victoriam. Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?*

24. Hæc est fides, quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

IN

^a Aliquot MSS. *corpus à temporis conditione liberatum æterna vita ineffabili caritate perfructur.*



IN SUBSEQUENTEM LIBRUM
DE
CATECHIZANDIS RUDIBUS,
LIBRI II.

Retractionum Caput XIV.

EST etiam liber a noster De Catechizandis rudibus, hoc ipso titulo prænotatus. In quo libro ubi dixi: * *Nec Angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, & diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi: novit enim Deus ordinare deserentes se animas:* convenientius diceretur, deserentes se spiritus; quoniam de Angelis agebatur. Hic liber sic incipit: *Petisti me, frater Deo gratias.*

* Cap. 18.

^a In quibusdam MSS. loco, *noster*, est, *unus*. Hunc porrò librum suum Augustinus ibi recenset inter ea Opera, quæ circiter annum Christi 400. composuit.



5.

qualem naturam quisquis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quæras, utrùm terra in aquam possit converti; propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quæras, utrùm aqua possit in aërem; neque hoc absurdum esse respondet, vicina enim sunt sibi. Et de aëre si quærat, utrùm in æthereum corpus, id est, cæleste possit mutari; jam ipsa vicinitas persuadet. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus æthereum convertatur, cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrimè id fieri posse, quemadmodum dictum est, *in ictu oculi*, sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate convertitur? Caro enim nostra utique ex terra est: philosophi autem, quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in cælo, quodlibet corpus in omne corpus converti, & mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta ^a à temporis conditione liberati, æterna vita ineffabili caritate atque stabilitate sine corruptione perfruemur. Tunc enim fiet illud quod scriptum est: *Absorta est mors in victoriam. Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?*

I. Cor. 15.
52.

I. Cor. 15.
54.

24. Hæc est fides, quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

IN

^a Aliquot MSS. *corpus à temporis conditione liberatum æterna vita ineffabili caritate perfruetur.*

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM
DE
CATECHIZANDIS RUDIBUS,
LIBRI II.

Retractionum Caput XIV.

EST etiam liber a noster De Catechizandis rudibus, hoc ipso titulo prænotatus. In quo libro ubi dixi: * *Nec Angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, & diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi: novit enim Deus ordinare deserentes se animas: convenientius diceretur, deserentes se spiritus; quoniam de Angelis agebatur. Hic liber sic incipit: Petisti me, frater Deo gratias.*

* Cap. 18.

^a In quibusdam MSS. loco, *noster*, est, *unus*. Hunc porrò librum suum Augustinus ibi recenset inter ea Opera, quæ circiter annum Christi 400. composuit.



5.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CATECHIZANDIS
RUDIBUS.

LIBER UNUS. *

* Scriptus
circiter an-
num 400.

Rogatus Augustinus à diacono Carthaginiensi, catechizandi artem docendam suscipit: ac primò præcepta tradit, ut id officii non tantum certa methodo atque idonea ratione, sed etiam sine tædio & cum hilaritate impleatur. Postea revocatis ad usum præceptis, profert ipse in exemplum sermones ad eum erudiendum, qui christianus esse velit, comparatos duos, longiorem unum, alterum brevissimum.

CAPUT I.
Rogatus à
diacono
Carthagi-
nensi scri-
bit de ca-
techizandis
rudibus.

PETISTI me, frater ^a Deogratias, ut ali-
quid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi
usui esset, scriberem. Dixisti enim, quòd
sæpè apud Carthaginem, ubi diaconus es,
ad te adducuntur, qui fide christiana primi-
tus imbuendi sunt, eo quòd existimeris ha-
bere catechizandi uberem facultatem, & ^b doc-

^a Idem ille forsitan est Deogratias, cui presbytero Augustinus post annum Christi circiter 406. ad quæstiones paganorum ab eo sibi Carthagine missas respondet epistola nunc ordine 102.

^b Loy. & doctrinam fidei, & suavitatem sermonis.

doctrina fidei, & suavitate sermonis: te autem penè semper angustias pati, idipsum, quod credendo christiani sumus, quo pacto commodè intimandum sit; unde exordienda, quò usque sit perducenda narratio; utrùm exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an præcepta sola, quibus observandis, cui loquimur, noverit christianam vitam professionemque a retineri. Sæpè autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo & tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio, nedum illi quem loquendo imbuebas, & ceteris qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsam, ut ea me, quam tibi debeo, caritate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere.

2. EGO vero non ea tantum quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesie universaliter debeo, caritate ac servitute compellor, si quid per operam meam quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus quos mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius prompta & devota voluntate suscipere. Quantum enim cupio latius erogari pecuniam Dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facilè atque expeditè possint, quod impigrè ac studiosè volunt.

3. SED quod ad tuam propriè considerationem pertinet, nolim te moveri ex eo quod sæpè tibi abjectum sermonem fastidiosumque habere visus es. Fieri enim potest,

CAPUT II
Sermo sæpè qui audienti placet, displicet

^a sic in MSS. Ad in editis, retinere.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CATECHIZANDIS
RUDIBUS.

LIBER UNUS.*

* Scriptus
circiter an-
num 400.

*Rogatus Augustinus à diacono Carthagi-
nensi, catechizandi artem docendam sus-
cipit: ac primò præcepta tradit, ut id of-
ficii non tantum certa methodo atque idonea
ratione, sed etiam sine tædio & cum hila-
ritate impleatur. Postea revocatis ad usum
præceptis, profert ipse in exemplum sermo-
nes ad eum erudiendum, qui christianus
esse velit, comparatos duos, longiorem
unum, alterum brevissimum.*

PETISTI me, frater ^a Deogratias, ut ali-
quid ad te de catechizandis rudibus, quod ti-
bi usui esset, scriberem. Dixisti enim, quòd
sæpè apud Carthaginem, ubi diaconus es,
ad te adducuntur, qui fide christiana primi-
tus imbuendi sunt, eo quòd existimeris ha-
bere catechizandi uberem facultatem, & ^b doc-

CAPUT I.
Rogatus à
diacono
Carthagi-
nensi scri-
bit de ca-
techizandis
rudibus.

^a Idem ille forsitan est Deogratias, cui presbytero Augustinus post annum Christi circiter 406. ad quæstiones paganorum ab eo sibi Carthagine missas respondet epistola nunc ordine 102.

^b Loy. & doctrinam fidei, & suavitatem sermonis.

doctrina fidei, & suavitate sermonis: te autem penè semper angustias pati, idipsum, quod credendo christiani sumus, quo pacto commodè intimandum sit; unde exordienda, quò usque sit perducenda narratio; utrùm exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an præcepta sola, quibus observandis, cui loquimur, noverit christianam vitam professionemque a retineri. Sæpè autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo & tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio, nedum illi quem loquendo imbuebas, & ceteris qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsam, ut ea me, quam tibi debeo, caritate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere.

2. EGO vero non ea tantum quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesie universaliter debeo, caritate ac servitute compellor, si quid per operam meam quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus quos mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius prompta & devota voluntate suscipere. Quantum enim cupio latius erogari pecuniam Dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facilè atque expeditè possint, quod impigrè ac studiosè volunt.

3. SED quod ad tuam propriè considerationem pertinet, nolim te moveri ex eo quod sæpè tibi abjectum sermonem fastidiosumque habere visus es. Fieri enim potest,

CAPUT II
Sermo sæpè qui audienti placet, displicet

^a sic in MSS. Ad in editis, retinere.

cet dicent:
unde id
contingat.

ut ei quem instruebas, non ita sit visum, sed quia tu aliquid melius audiri desiderabas, eo tibi quod dicebas videretur indignum auribus aliorum. Nam & mihi propè semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpè fruor interius, ante quàm eum explicare verbis sonantibus cœpero: quod ubi minus quàm mihi notus est evaluero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat; & sentio me non ita loqui, ut hoc efficiam: maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum; illa autem locutio tarda & longa est, longèque dissimilis: & dum ista voluitur, jam se ille in secreta sua condidit. Tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis; atque ex eisdem vestigiis sonantia signa peragimus, quæ lingua dicitur vel latina, vel græca, vel hebræa, vel alia quælibet; sive cogitentur hæc signa, sive etiam voce proferantur: cum illa vestigia nec latina, nec græca, vel hebræa, nec cuiusque alterius gentis sint propria, sed ita efficiantur in animo, ut vultus in corpore. Aliter enim latinè ira dicitur, aliter græcè, aliter atque aliter aliarum diversitate linguarum: non autem latinus, aut græcus est vultus irati. Non itaque omnes gentes intelligunt, cum quisque dicit, Iratus sum, sed latini tantum: at si affectus excandescens animi exeat in faciem, vultumque * faciat, omnes sentiunt, qui intuentur iratum. Sed neque ita licet educere, & quasi exporrigere in sensum audientium per sonum vocis illa vestigia, quæ imprimunt intellectus memoriæ, sicut apertus & manifestus

* faciat.

festus est vultus: illa enim sunt intus in animo, iste foris in corpore. Quapropter conjiendum est, quantum distet sonus nostri ab illo ictu intelligentiæ, quando ne ipsi quidem impressioni memoriæ similis est. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus: & quia non succedit, angimur, & velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus: atque ex ipso tædio languidior fit idem sermo, & hebetior quàm erat, unde perduxit ad tædium.

4. SED mihi sæpè indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi: & eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco: mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. Sic & tu, eo ipso quod ad te sæpius adducuntur, qui fide imbuendi sunt, debes intelligere non ita displicere aliis sermonem tuum, ut displicet tibi: nec infructuosum te debes putare, quod ea quæ cernis, non explicas ita ut cupis; quando fortè ut cupis, nec cernere valeas. Quis enim in hac vita nisi in ænigmate & per speculum videt? Nec ipse amor tantus est, ut carnis disrupta caligine penetret in æternum serenum, unde utcumque fulgent etiam ista quæ transeunt. Sed quia boni proficiunt de die in diem, ad videndum diem sine volumine cæli, & sine noctis incurso, quem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: nulla major causa est, cur nobis in imbuendis rudibus noster sermo vilescat, nisi quia libet inusitatè cernere, & tædet

Qui sermonem habet, curet ut sine fastidio & hilariter dicat.

1. Cor. 13.
12.

1. Cor. 2. 9.

det usitatè proloqui. Et re quidem vera multò gratius audimur, cùm & nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostræ ipso nostro gaudio, & exit facilius atque acceptius. Quapropter non arduum est negotium, ea quæ credenda insinuantur, præcipere unde & quò usque narranda sint; nec quomodo sit varianda narratio, ut aliquando brevior, aliquando longior, semper tamen plena atque perfecta sit; & quando brevior, & quando longior sit utendum: sed quibus modis faciendum sit, ut gaudens quisque catechizet (tantò enim suavior erit, quanto magis id potuerit) ea cura maxima est. Et præceptum quidem rei hujus in promptu est. Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spiritali, hilarem datorem diligit Deus? Sed hæc hilaritas ad horam ut adsit, ejus est misericordiæ qui ista præcepit. Itaque priùs de modo narrationis, quod te velle cognovi, tum de præcipiendo atque cohortando, postea de hac hilaritate comparanda, quæ Deus suggererit, disseremus.

1. Cor. 9. 7.

CAPUT III.
Narratio
plena quæ
fieri debeat
catechi-
zando.
Gen. 1. 1.
a

5. NARRATIO plena est, cùm quisque primò catechizatur ab eo quod scriptum est: *In principio fecit Deus cælum & terram*, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ. Non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicium, & Regnorum, & a Esdræ libros, totumque Evangelium, & Actus Apostolorum, vel, si ad verbum edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando evolvere & explicare (quod nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat) sed cuncta summatim

a In MSS. *Esra*.

generatimque complecti, ita ut eligantur quedam mirabiliora quæ suaviùs audiuntur, atque in ipsis a articulis constituta sunt, ut ea tamquam in involucris ostendere, statimque à conspectu abripere non oporteat; sed aliquantùm immorando quasi resolvere atque expandere, & inspicienda atque miranda offerre animis auditorum: cetera verò celeri percurssione inserendo contexere. Ita & illa quæ maximè commendari volumus, aliorum submissione magis eminent; nec ad ea fatigatus pervenit, quem narrando volumus excitare; nec illius memoria confunditur, quem docendo debemus instruere.

6. IN omnibus sanè non tantùm nos oportet intueri præcepti finem, quod est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quò ea quæ loquimur cuncta referamus: sed etiam illius quem loquendo instruimus, ad fidem movendus, atque illuc dirigendus ad spectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia, quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, & futura præsignaretur Ecclesia, id est, populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus; adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Jacob manum priùs dum nasceretur emisit ex utero, qua etiam pedem prænascentis fratris tenebat, deinde utique secutum est caput, tum demum necessariò mem-

TOM. I.

z

bra

a Articuli temporum quinque notantur infra n. 6. & n. 39.

b Ita MSS. Editi verò, *monendus*.

Ad caritatis finem dirigenda narratio.

1. Tim. 1. 5.

b

Scripturae veteres propter commendandum Christi adventum, cujus finis caritas.

Gen. 25. 25.

bra cetera; sed tamen caput non tantum ea membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum quæ in nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit; & quamvis non tempore apparendi, tamen naturæ ordine prius est: ita & Dominus Jesus Christus etsi antè quàm appareret in carne, & quodam modo ex utero secreti sui ad hominum oculos Meditator Dei & hominum homo procederet, qui est super omnes Deus benedictus in sæcula, præmisit in sanctis Patriarchis & Prophetis quamdam partem corporis sui, qua velut manu se nasciturum esse prænuntians, etiam populum præcedentem superbè, vinculis legis tamquam digitis quinque^a supplantavit (quia & per quinque temporum articulos prænuntiarum venturum prophetarum non destitit; & huic rei consonans per quem lex data est, quinque libros conscripsit: & superbi carnaliter sentientes, & suam justitiam volentes constituere, non aperta manu Christi repleti sunt benedictione, sed constricta atque conclusa retenti sunt: itaque illis obligati sunt pedes, & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus) quamvis ergo, ut dixi, præmiserit Dominus Christus quamdam partem corporis sui in sanctis, qui eum nascendi tempore præierunt; tamen ipse est caput corporis Ecclesiæ, illique omnes eidem corpori cuius ille caput est cohæserunt, credendo in eum quem prænuntiabant. Non enim præcurrendo divulsi sunt, sed adjuncti potius obsequendo. Nam etsi manus à capite præmitti potest, connexio tamen ejus sub capite est. Quapropter omnia quæ antè scripta sunt, ut nos doceremur

^a Aliquot MSS. supplantaret.

1. Tim. 2.

5.

Rom. 9. 5.

Rom. 10. 3.

Psal. 19. 9.

Coloss. 1. 18.

Rom. 15. 4.

1. Cor. 10. 11.

mur scripta sunt, & figuræ nostræ fuerunt, & in figura contingebant^a in eis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit.

7. QUÆ autem major causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer; quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est? Hoc autem ideo, quia finis præcepti, & plenitudo legis, caritas est: ut & nos invicem diligamus, & quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos pro fratribus animam ponamus: & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Quòd si in ipsis flagitiosis & sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere qui amari vicissim volunt, nisi ut documentis quibus valent, aperiant & ostendant quantum ament, eamque imaginem justitiæ prætereffectant, ut vicem sibi reddi quodam modo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliantur; ipsique ardentius æstuant, cum jam moveri eodem igne etiam illas mentes quas appetunt sentiunt: si ergo & animus qui torpebat, cum se amari senserit excitatur, & qui jam fervebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur: manifestum

Z 2 tum

^a Editi, contingebant eis: omisa particula in, quæ tamen hic reperitur in MSS. & in græco textu Apostoli. 1. Cor. 10. 11.

CAP. IV.

Præcipua causa adventus Christi, caritatis commendatio.

Rom. 5. 6.

1. Tim. 1. 5.

Rom. 13.

10.

1. Joan. 3.

16.

Ibidem 4.

10.

Rom. 8. 22.

tum est nullam esse majorem causam, quæ vel inchoetur, vel augeatur amor, quàm cum amari se cognoscit, qui nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, vel jam probat, qui prior amat. Et si hoc etiam in turbis amoribus, quanto a plus in amicitia? Quid enim aliud cavemus in offensione amicitia, nisi ne amicus arbitretur, quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus quàm ipse nos diligit? Quod si crediderit, frigidior erit in eo amore quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur: & si non ita est infirmus, ut hæc illum offensio faciat ab omni dilectione frigescere; in ea se tenet, qua non ut fruatur, sed ut consulat diligit. Operæ pretium est autem animadvertere, quomodo, quamquam & superiores velint se ab inferioribus diligi, eorumque in se b studioso delectentur obsequio, & quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant; tamen quanto amore exardescat inferior, cum à superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est, ubi non æstuat indigentia siccitate, sed ubertate c beneficentia profuit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Jam verò si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebitur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligit eum qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, & quid desperatius homine peccante? Qui se tanto magis tuendum & subjugandum superbis potestatibus ad-

a Plerique MSS. *purius*. Am. & MS. Vatic. *pluribus*.

b Sic MSS. At editi, *studiosè*.

c Veteres libri, *beneficientia*.

dixerat, quæ beatificare non possunt, quanto magis desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate, quæ non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est.

8. SI ergo maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligit Deus; & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem à quo prior dilectus est inardesceret; proximumque illo jubente & demonstrante diligeret, qui non proximum, sed longè peregrinantem diligendo factus est proximus; omnisque Scriptura divina quæ antè scripta est, ad prænuntiandum adventum Domini scripta est; & quidquid postea mandatum est litteris, & divina auctoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem monet: manifestum est non tantum totam Legem & Prophetas in illis duobus pendere præceptis, dilectionis Dei & proximi, quæ adhuc sola Scriptura sancta erat, cum hoc Dominus diceret; sed etiam quæcumque posterius salubriter a conscripta sunt, memoriæque mandata, divinarum volumina litterarum. Quapropter in veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris. Secundum illam occultationem carnaliter intelligentes carnales, & tunc & nunc poenali timore subjugati sunt. Secundum hanc autem manifestationem spirituales, & tunc quibus piè pulsantibus etiam occulta patuerunt, & nunc qui non superbe quærunt, ne etiam aperta claudantur, spiritualiter intelligentes donata caritate liberati sunt. Quia ergo caritati nihil adversius quàm invidentia; mater autem invidentiæ

Ad dilectionem referenda esse quæ de Christo ex Scripturis narratur in catechismo.

Matth. 23.
40.

Z 3

su-

a Am. Er. & plures MSS. *consecrata*. Alii duo MSS. *consecuta*.

superbia est: idem Dominus Jesus Christus, Deus homo, & divinæ in nos dilectionis indicium est, & humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut magnus tumor noster majore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria, superbus homo: sed major misericordia, humilis Deus. Hac ergo dilectione tibi tamquam sine proposito, quò referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

CAPUT V.
Accedens
ad cate-
chismum
scrutandus
quo sine
velit fieri
christia-
nus.

9. DE ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatuntur, caritas ædificanda est, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, cum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impunè posset, tamen displicere vereatur. Rarissimè quippe accidit, imò verò numquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non res est salutantis corporis, sed credentis animi. Sed planè sæpè adest misericordia Dei per ministerium catechizantis, ut sermone commotus jam fieri velit, quod decreverat fingere: quod cum velle cœperit, tunc eum venisse deputamus. Et occultum quidem nobis est ^b quando ve-

^a Editi Er. & Lov. *salvandi*. Nonnulli codices, *salutis*. Quidam, *saltantis*. Sed plerique ac melioris notæ MSS. cum editione Am. *salutantis*: id est, salutem sive assensum gestu significantis.

^b Sic Arn. Er. & MSS. At Lov. *quo*.

veniat animo, quem jam corpore præsentem videmus: sed tamen sic cum eo debemus agere, ut fiat in illo hæc voluntas, etiamsi non est. Nihil enim deperit, quando si est, utique tali nostra actione firmatur, quamvis quo tempore, vel qua hora cœperit, ignoremus. Utile est sanè, ut præmoneamur antea, si fieri potest, ab iis qui eum norunt, in quo statu animi sit, vel quibus causis commotus ad suscipiendam Religionem venerit. Quòd si defuerit alius à quo id noverimus, etiam ipse interrogandus est, ut ex eo quod responderit, ducamus sermonis exordium. Sed si ficto pectore accessit, humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens, utique mentiturus est: tamen ex eo ipso quod mentitur, capiendum est principium, non ut refellatur ejus mendacium, quasi tibi certum sit; sed ut si dixerit eo proposito se venisse quod verè approbandum est, sive ille verum sive falsum dicat, tale tamen propositum quali se venisse respondit, approbantes atque laudantes, faciamus eum delectari esse se talem, qualem videri cupit. Si autem aliud dixerit, quàm oportet esse in animo ejus qui christiana fide imbuendus est; blandiùs & leniùs reprehendendo, tamquam rudem & ignarum, & christianæ doctrinæ finem verissimum demonstrando atque laudando breviter & graviter, ne aut tempora futuræ narrationis occupes, aut eam non priùs collocato animo audeas imponere, facias eum velle, quod aut per errorem, aut per simulationem nondum volebat.

10. QUOD si fortè se divinitus admonitum vel territum esse responderit, ut fieret christianus, lætissimum nobis exordiendi adi-

CAPUT VI.
Exordium
catechis-
mi, & nar-
ratio ab
his

historia
creationis
mundi us-
que ad
præsens
tempus Ec-
clesiæ.

tum præbet, quanta Deo sit cura pro nobis: Sanè ab huiusmodi miraculorum, sive somniorum, ad Scripturarum solidiorem viam, & oracula certiora transferenda est ejus intentio: ut & illa admonitio quàm misericorditer ei prærogata sit, noverit, antè quàm Scripturis sanctis inhæret. Et utique demonstrandum est ei, quòd ipse Dominus non eum admoneret, aut compelleret fieri christianum, & incorporari Ecclesiæ, seu talibus signis aut revelationibus erudiret, nisi jam præparatum iter in Scripturis sanctis, ubi non quæreret visibilia miracula, sed invisibilia sperare consueceret, neque dormiens, sed vigilans moneretur, eum securius & tutius carpere voluisset. Inde jam exordienda narratio est, ab eo quòd fecit Deus omnia bona valde, & perducenda, ut diximus, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ: ita ut singularum rerum, atque gestorum quæ narramus, causæ rationesque reddantur, quibus ea referamus ad illum finem dilectionis, unde neque agentis aliquid, neque loquentis oculus avertendus est. Si enim fictas poetarum fabulas, & ad a voluptatem excogitatas animorum, quorum cibus nugæ sunt, tamen boni qui habentur atque appellantur grammatici, ad aliquam utilitatem referre conantur, quamquam & ipsam vanam, & avidam saginæ sæcularis; quanto nos decet esse cautiore, ne illa quæ vera narramus, sine suarum caussarum redditione digesta, aut inani suavitate, aut etiam perniciose cupiditate credantur? Non tamen sic asseramus has caussas, ut relicto narrationis tractu, cor nostrum & lingua in nodos difficilioris disputationis excu-

^a Am. & plerique MSS. voluntatem.

currat; sed ipsa veritas^a adhibita rationis, quasi aurum sit gemmarum ordinem ligans, non tamen ornamentum seriem ulla immoderatione perturbans.

II. NARRATIONE finita, spes resurrectionis intimanda est, & pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo, adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, & futuri ultimi iudicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes; commemoratisque cum detestatione & horrore poenis impiorum, regnum justorum atque fidelium, & superna illa civitas, ejusque gaudium cum desiderio prædicandum est. Tum verò instruenda & animanda est infirmitas hominis adversus tentationes & scandala, sive foris, sive in ipsa intus Ecclesia: foris adversus gentiles, vel judæos, vel hæreticos, intus autem adversus aræ dominicæ paleam. Non ut contra singula perversorum genera disputetur, omnesque illorum pravæ opiniones propositis quæstionibus refellantur; sed pro tempore brevi demonstrandum est, ita esse prædictum, & quæ sit utilitas tentationum erudiendis fidelibus, & quæ medicina in exemplo patientiæ Dei, qui statuit usque in finem ista permittere. Cùm verò adversus eos instruitur, quorum perversæ turbæ corporaliter implent ecclesias, simul etiam præcepta breviter & decenter commemorentur christianæ atque honestæ conversationis: ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, spectaculorum ama-

to-

^a Sic vetus Codex Corbeiensis. At Victorinus, adhibita narrationis. Editiones Am. & Er. adhibita rationis. Denique Lov. adhibita rationis.

CAP. VII.
Resurrectio, iudicium, & alia quædam post narrationem intimanda.

toribus, remedium sacrilegorum alligatoribus, præcantatoribus, mathematicis, vel quarumlibet artium vanarum & malarum divinationibus, atque hujusmodi ceteris ita facile seducatur, & impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos, qui christiani appellantur, hæc amare, & agere, & defendere, & suadere, & persuadere. Quis enim finis præstitutus sit in tali vita perseverantibus, & quàm sint in ipsa Ecclesia tolerandi, ex qua in fine separandi sunt, divinorum librorum testimoniis edocendum est. Prænuntiandum est etiam, inventurum eum in Ecclesia multos christianos bonos, verissimos cives cælestis Jerusalem, si esse ipse cœperit. Ad extremum ne spes ejus in homine ponatur, sedulo monendus est: quia neque facile ab homine judicari potest, quis homo sit justus; & si facile posset, non ideo nobis proponi exempla justorum, ut ab eis justificemur, sed ut eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus. Hinc enim fiet, quod maximè commendandum est, ut cum ille qui nos audit, immò per nos audit Deum, moribus & scientia proficere cœperit, & viam Christi alacriter ingredi, nec nobis id audeat assignare, nec sibi; sed & se ipsum, & nos, & quoscumque alios diligit amicos, in illo & propter illum diligit, qui eum dilexit inimicum, ut justificans faceret amicum. Hic jam non te puto præceptore indigere, ut cum occupata sunt tempora, vel tua, vel eorum qui te audiunt, breviter agas, cum autem largiora, largius eloquaris: hoc enim nullo admonente ipsa necessitas præcipit.

CAP. VIII.
Eruditi
quomodo
catechi-
zandi.

12. SED illud planè non prætereundum est, ut si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus, qui jam de-

decreverit esse christianus, & ideo venerit ut fiat, difficillimum omninò est, ut non multa nostrarum Scripturarum litterarumque cognoverit, quibus jam instructus ad sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora qua christiani fiunt, sed antè solent omnia diligenter inquirere, & motus animi sui, cum quibus possunt, communicare atque discutere. Cum his itaque breviter agendum est, & non^a odiosè inculcando quæ norunt, sed modestè perstringendo; ita ut dicamus nos credere quòd jam noverrint illud, atque illud: atque hoc modo cursim enumerare omnia quæ rudibus indoctisque inculcanda sunt: ut etsi quid novit eruditus iste, non tamquam à doctore audiat; & si quid adhuc ignorat, dum ea commemoramus quæ illum nosse jam credimus, discat. Nec ipse sanè inutiliter interrogatur, quibus rebus motus sit, ut velit esse christianus: ut si libris ei persuasum esse videris, sive canonicis, sive utilium tractatorum, de his aliquid in principio loquaris, collaudans eos pro diversitate meritorum Canonice auctoritatis, & exponentium sollertissimæ diligentie; maximèque commendans in Scripturis canonicis admirandæ altitudinis saluberrimam humilitatem; in illis autem pro sua cujusque facultate, aptum superioribus, & per hoc inferioribus animis, stilum sonantioris, & quasi tornatoris eloquii. Sanè etiam exprimendum de illo est, ut indicet quem maximè legerit, & quibus libris familiarius inhæserit, unde illi persuasum est, ut sociari vellet Ecclesie. Quod cum dixerit, tum

^a Aliquot MSS. *otiosè.*

^b Plures codices, *& ad exponendum.*

tum si nobis noti sunt illi libri, aut ecclesiastica fama saltem accepimus à catholico aliquo memorabili viro esse conscriptos, læti approbemus. Si autem in alicujus hæretici volumina incurrit, & nesciens fortè quòd vera fides improbat, tenuit animo, & catholicum esse arbitratur; sedulò edocendus est, prælata auctoritate universalis Ecclesiæ, aliorumque doctissimorum hominum & disputationibus, & scriptionibus in ejus veritate florentium. Quamquam & illi qui catholici ex hac vita emigraverunt, & aliquid litterarum christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicuti est humana infirmitas, minùs valentes aciem abditiora penetrare, & veri similitudine aberrantes à veritate, præsumptoribus & audacibus fuerunt occasione ad aliquam hæresim molendam atque gignendam. Quod mirum non est, cum de ipsis canonicis litteris, ubi omnia sanissimè dicta sunt, non quidem aliter accipiendo quædam, quam vel scriptor sensit, vel se ipsa veritas habet (nam si hoc solum esset, quis non humanæ infirmitati ad corrigendum paratæ libenter ignosceret?) sed id quod perversè ac pravè opinati sunt, animositate acerrima, & pervicaci arrogantia defensitantes, multi multa perniciose dogmata, concisa communionis unitatè pepererunt. Hæc omnia cum illo, qui ad societatem populi christiani, non idiota, ut ajunt, sed doctorum libris expolitus atque excultus accedit, modesta collatione tractanda sunt: tantum assumpta præcipiendi auctoritate, ut caveat præsumptionis errores, quantum ejus humilitas quæ illum adduxit, jam sentitur admittere. Cetera vero secundum regulas doctrinæ salutaris, sive de fide, quæ-

cumque narranda vel disserenda sunt, sive de moribus, sive de tentationibus, eo modo percurrendo quo dixi, ad illam supereminentiorem viam omnia referenda sunt.

13. SUNT item quidam de scholis usitatissimis grammaticorum oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte ceteris hominibus excellere videntur, cum veniunt ut christiani fiant, hoc amplius quam illis illitteratis imperitare debemus, quòd sedulò monendi sunt, ut humilitate induti christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare; & cordi casto linguam exercitam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueverant. Maximè autem isti docendi sunt Scripturas audire divinas, ne sordeat eis solidum elequium, quia non est inflatum; neque arbitrentur carnalibus integumentis involuta atque operta dicta vel facta hominum, quæ in illis libris leguntur, non evolvenda atque aperienda ut intelligantur, sed sic accipienda ut litteræ sonant; deque ipsa utilitate secreti, unde etiam mysteria vocantur, quid valeant ænigmatum latebræ ad amorem veritatis acuendum^a, decutiendumque fastidii torporem, ipsa experientia probandum est talibus, cum aliquid eis quod in promptu positum non ita movebat, enodatione allegoriæ alicujus eruitur. His enim maximè utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quam disertiores audi-

CAPUT IX.
Grammatici, & oratores quomodo tractandi.

^a Sic plures MSS. At editi, *discutiendumque*.

Vox ad
aures Dei,
animi af-
fectus.

dire sermones; sicut malle debent prudentiores, quam fornosiores habere amicos. Noverrint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos antistites, & ministros Ecclesiae forte animadverterint, vel cum barbarismis & solocismis Deum invocare, vel eadem verba quae pronuntiant non intelligere, perturbatèque distinguere. Non quia ista minimè corrigenda sunt, ut populus ad id quod planè intelligit, dicat, Amen: sed tamen pie toleranda sunt ab eis, qui didicerint, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnumquam fortè bona dictio, numquam tamen benedictio dici potest. De sacramento autem quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet: cum tardioribus autem aliquanto pluribus verbis & similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident.

CAPUT X.
Jam de
hilaritate
comparanda.

14. HIC tu fortasse exemplum aliquod sermonis desideras, ut ipso tibi opere ostendam, quomodo facienda sint ista quae monui. Quod quidem faciam, quantum Domino adjuvante potuero: sed prius de illa hilaritate comparanda, quod pollicitus sum, dicere debeo. Jam enim de ipsis praecipis explicandi sermonis, in catechizando eo qui sic venit ut christianus fiat, quantum satis visum est, quod promiseram exsolvi. Indebitum quippe est, ut etiam ipse faciam in hoc volumine, quod fieri oportere praecipio. Si ergo fecero, ad cumulum valebit: cumulus autem quo pacto à me superfundì potest, antè quam mensuram debiti expleverò? Neque enim te maximè conqueri audivi, nisi quòd tibi sermo tuus vilis abjectusque videretur, cum aliquem christiano nomine imbueres. Hoc autem scio, non tam

tam rerum quae dicendae sunt, quibus te satis novi paratum & instructum, neque ipsius locutionis inopia, sed animi tædio fieri; * vel illa causa quam dixi, quia magis nos delectat & tenet, quod in silentio mente cernimus, nec inde volumus avocari ad verborum longè disparem strepitum; * vel quia etiam cum sermo jocundus est, magis nos libet audire aut legere quae melius dicta sunt, & quae sine nostra cura & sollicitudine promuntur, quam ad alienum sensum repentina verba coaptare incerto exitu, sive utrùm occurrant pro sententia, sive utrùm accipiantur utiliter; * vel quia illa quae rudibus insinuantur, eo quòd nobis notissima sunt, & proVectui nostro jam non necessaria, piget ad ea sapissime redire, nec in eis tam usitatis, & tamquam infantilibus cum aliqua voluptate jam grandiusculus animus graditur. * Facit etiam loquenti tædium auditor immobilis (* vel quia non movetur affectu, vel quia nullo motu corporis indicat se intelligere, vel sibi placere quae dicuntur) non quia humanae laudis nos esse avidos decet, sed quia ea quae ministramus Dei sunt; & quanto magis diligimus eos quibus loquimur, tanto magis eis cupimus ut placeant, quae ad eorum porriguntur salutem; quod si non succedit, contristamur, & in ipso cursu debilitamur & frangimur, quasi frustra operam conteramus. * Nonnumquam etiam cum avertimur ab aliqua re, quam desideramus agere, & cujus actio aut delectabat nos, aut magis nobis necessaria videbatur, & cogimur aut jussu ejus quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili instantia catechizare aliquem; jam con-

Causae tædium afferentes catechizanti.
* 1. causa tædii.

* 2

* 3

* 4

* 5 (R)

* Absunt hæc verba à plerisque MSS. & ab Am. & Er.

turbati accedimus ad negotium, cui magna tranquillitate opus est, dolentes quod neque ordinem actionum nobis conceditur tenere quem volumus, nec sufficere omnibus possumus: atque ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est, quia de ariditate coesitiae minus exuberat. * Aliquando item ex aliquo scandalo moeror pectus obsedit, & tunc nobis dicitur: Veni, loquere huic, christianus vult fieri. ^a Dicitur enim ab ignorantibus, quid nos clausum intus exurat: quibus si affectum nostrum aperire non oportet, suscipimus ingratius quod volunt: & profecto languidus & insuavis ille sermo erit per venam cordis aestuantem fumantemque trajectus. Tot igitur ex causis, quolibet earum serenitatem nostrae mentis obnubilet, secundum Deum sunt quaerenda remedia, quibus relaxetur illa contractio, & fervore spiritus exultemus, & jucundemur in tranquillitate boni operis. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

* 6. Causa
taedii.

2. Cor. 9. 7.

Remedium
contra 1.
causam
taedii.

1. Petri 2.
21.

15. Si enim causa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, à cuius cacumine quodam modo descendentes cogimur in syllabarum longè infra distantium tarditate demorari, & curam gerimus quemadmodum longis & perplexis amfractibus procedat ex ore carnis, quod celerrimo haustu mentis imbibitur, & quia multum dissimiliter exit, taedet loqui, & libet tacere: cogitemus quid nobis praerogatum sit ab illo, qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quantumvis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiae nostrae vivacitate, longè differentior est mortalitas carnis

* Sola Editio Lov. Nescitur.

nis ab aequalitate Dei. Et tamen cum in eadem forma esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens ^a, &c. usque ad mortem crucis. Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrificaret? Audi ejus imitorem alibi etiam dicentem: *Sive enim mente excessimus, Deo sive temperantes sumus, vobis. Caritas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est.* Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tamquam nutrix fovens filios suos. Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata & mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant: & suavius est matri minuta mansa inspuere parvulo filio, quam ipsam mandere ac devorare grandiora. Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinae illius, quae languidulis plumis teneros fetus operit, & susurrantes pullos confracta voce advocat; cuius blandas alas refugientes superbi, praeda fiunt alitibus. Si enim intellectus delectat in penetrabilibus sincerissimis, hoc etiam intelligere delectet, quomodo caritas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima, per bonam conscientiam nihil ^b quaerendi ab eis ad quos descendit, praeter eorum sempiternam salutem.

16. SI autem magis appetimus ea quae
TOM. I. AA Jam

^a Ista voces, &c. usque ad, libraril sunt praetereuntis, ut solet, verba intermedia citati loci.
^b Sic MSS. Editi vero, nihil quaerendo.

CAPUT XI.
Remedium
con-

Philip. 2. 7.
& 8.

1. Cor. 9.
22.

2. Cor. 5.
13. & 4.

2. Cor. 12.
15.

1. Thess. 2.
7.

Matth. 23.
37.

b (R)

contra 2. jam parata sunt, & melius dicta legere vel au-
 tædii caus- dire, & ideo piget incerto exitu ad tempus
 sam. coaptare quæ loquimur: tantum à veritate re-
 rum non aberret animus, facile est, ut si in
 verbis auditorem aliquid offenderit, ex ipsa
 occasione discat, quam sit re intellecta con-
 temnendum, si minus integrè; aut si minus
 propriè sonare potuit, quod ideo sonabat ut
 res intelligeretur. Quod si humanæ infirmita-
 tis intentio etiam ab ipsa rerum veritate aber-
 raverit; quamquam in catechizandis rudibus,
 ubi via tristissima tenenda est; difficilè potest
 accidere: tamen ne fortè accidat ut etiam
 hinc offendatur auditor, non aliunde nobis
 debet videri accidisse, nisi quia Deus experi-
 ri nos voluit, utrum cum mentis placiditate
 corrigamur, ne in defensionem nostri erroris
 majore præcipitemur errore. Quod si nemo
 nobis dixerit, nosque & illos qui audierunt
 omnino latuerit, nullus dolor est, si non fiat
 iterum. Plerumque autem nos ipsi recolentes
 quæ dixerimus, reprehendimus aliquid, & ig-
 noramus quomodo cum diceretur acceptum
 sit; magisque dolemus, quando in nobis fer-
 vet caritas, si cum falsum esset, libenter ac-
 ceptum est. Ideoque opportunitate reperta,
 sicut nos ipsos in silentio reprehendimus, ita
 curandum est, ut etiam illi sensim corrigan-
 tur, qui non Dei verbis, sed planè nostris in
 aliquam lapsi sunt falsitatem. Si verò aliqui li-
 vore vesano cæci errasse nos gaudent, susur-
 rones, detractores, Deo odibiles; præbeant
 nobis materiam exercendæ patientiæ cum mi-
 sericordia, quia & patientia Dei ad poeniten-
 tiam eos adducit. Quid enim est detestabilius,
 & quod magis thesaurizet iram in die iræ &
 revelatiõis justii judicii Dei, quam de malo
 al-

Rom. 1. 30.

Rom. 2. 4.
& 5.

alterius a mala diaboli similitudine atque imi-
 tatione lætari? Nonnumquam etiam, cum rec-
 tè omnia verèque dicantur, aut non intellec-
 tum aliquid, aut contra opinionem & con-
 suetudinem veteris erroris ipsa novitate aspe-
 rum, offendit & perturbat audientem. Quod
 si apparuerit, sanabilemque se præbet, auc-
 toritatum rationumque copia sine ulla dilatio-
 ne sanandus est. Si autem tacita & occulta
 offensio est, Dei medicina opitulari potest.
 At si resiliuerit, & curari recusaverit, conso-
 letur nos dominicum illud exemplum, qui
 offensis hominibus ex verbo suo, & tamquam
 durum refugientibus, etiam iis qui remanse-
 rant ait: *Numquid & vos vultis ire?* Satis
 enim **FIXUM ATQUE IMMOBILE** debet
 corde retineri, Jerusalem captivam ab hujus
 sæculi Babylonia decursis temporibus liberari,
 nullumque ex illa esse periturum; quia qui
 perierit, non ex illa erat. *Firmum enim fun-
 damentum Dei stat, habens signaculum
 hoc: Novit Dominus qui sunt ejus, & re-
 cedat ab iniquitate omnis qui nominat no-
 men Domini.* Ista cogitantes, & invocantes
 Dominum in cor nostrum, minus timebimus
 incertos exitus sermonis nostri propter incer-
 tos motus auditorum, delectabitque nos etiam
 ipsa perperessio molestiarum pro misericordi
 opere, si non in eo nostram gloriam requi-
 ramus. Tunc enim est verè opus bonum, cum
 à caritate jaculatur agentis intentio, & tam-
 quam ad locum suum rediens, rursus in ca-
 ritate requiescit. Lectio verò quæ nos delect-
 at, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut
 eam promendo sermoni nostro præponere vo-
 len.

Joan. 6.
68.2. Tim. 2.
19.

AA 2

a Ita in MSS. At in editis, mera.

lentes, cum pigritia vel tædio loquamur; alacriores nos suscipiet, jocundiorque præstabitur post laborem; & majore fiducia deprecabimur, ut loquatur nobis Deus quomodo volumus, si suspiciamus hilariter ut loquatur per nos quomodo possumus: ita fit ut diligentibus Deum omnia concurrant in bonum.

Rom. 8.28.

CAP. XII.
Remedium
contra 3.
causam
tædii.

17. JAM verò si usitata & parvulis congruentia sæpè repetere fastidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, matrumque amorem, & copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. Tantum enim valet animi compatientis affectus, ut cum illi afficiuntur nobis loquentibus, & nos illis discentibus, habitemus in invicem; atque ita & illi quæ audiunt quasi loquantur in nobis, & nos in illis discamus quodam modo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla & pulchra, vel urbium vel agrorum, quæ jam nos sæpè videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea numquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur? Et tantò magis, quantò sunt amiciores: quia per amoris vinculum, in quantum in illis sumus, in tantum & nobis nova fiunt quæ vetera fuerunt. Sed si in rebus contemplandis aliquantum profecimus, non volumus eos quos diligimus lætari & stupere, cum intuentur opera manuum hominum; sed volumus eos in ipsam ^a artem consiliumve institutoris adrollere, atque inde exurgere in admirationem laudemque omni-creantis Dei, ubi amoris fructuosissimus finis est: quantò ergo magis delectari nos oportet, cum ipsum Deum

^a Editi, artem. Apud MSS. artem.

Deum jam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt quæcumque discenda sunt; & in eorum novitate innovari, ut si frigidior est ^a solita nostra prædicatio, insolita eorum auditione fervescat. Huc accedit ad comparandam lætitiã, quòd cogitamus & consideramus, de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui fortè qui errando laboraverat, demonstramus viam; quanto alacrius & cum gaudio majore in doctrina salutari, etiam illa quæ propter nos retexere non opus est, perambulare debemus; cum animam miserandam & erroribus sæculi fatigatam per itinera pacis, ipso qui nobis ^b eam præstitit jubente, deducimus?

18. SED re vera multum est perdurare in loquendo usque ad terminum præstitutum, cum moveri non videmus audientem; quod sive non audeat, religionis timore constrictus, voce aut aliquo motu corporis significare approbationem suam, sive humana verecundia reprimatur; sive dicta non intelligat, sive contemnat, quando quidem nobis non certentibus animum ejus incertum est; omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum, & tamquam de latebris eruendum possint valere. Nam & timor nimius atque impediens declarationem judicii ejus, blanda exhortatione pellendus est, & insinuando fraternam societatem verecundia temperanda, & interrogatione quærendum, utrum intelligat, & danda fiducia, ut si quid ei contradicendum

AA 3

vi-

^a Sic Am. & plerique MSS. At Er. & Lov. solito.
^b Codex Corb. ea.

videtur, liberè proferat. Quærendum etiam de illo, utrùm hæc aliquando jam audierit, & fortassis eum tamquam nota & pervulgata non moveant; & agendum pro ejus responsione, ut aut planius & enodatiùs loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea quæ illi nota sunt non explicemus latius, sed breviter complicemus, eligamusque aliqua ex his quæ mysticè dicta sunt in sanctis libris, & maximè in ipsa narratione, quæ aperiendo & revelando, noster sermo dulcescat. Quòd si nimis tardus est, & ab omni tali suavitate absurdus & aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis ceteris, ea quæ maximè necessaria sunt, de unitate ^a Catholicæ, de tentationibus, de christiana conversatione propter futurum iudicium, terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum, quàm illi de Deo multa dicenda.

^a Auditor vel audiendo vel stando fatigatus, quomodo recreandus.

19. Sapè etiam fit, ut qui primò libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans, sed oscitans labia diducat, & se abire velle etiam invitatus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum, & aptum rei quæ agitur, vel aliquid valde mirandum & stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum; & magis de ipso, ut propria cura punctus evigilet; quod tamen non offendat ejus verecundiam asperitate aliqua, sed potiùs familiaritate conciliet: aut oblata sessione ^b succurrere, quamquam sine dubitatione mèlius fiat, ubi de-

^a Lov. *Catholicæ fidei*. Editi verò alii & plerique MSS. non habent *fidei*: pro quo subaudi debet *Ecclesia*.

^b Apud Lov. additur, *studeat*. Sed subaudiendum, *agoret*.

decenter fieri potest, ut à principio sedens audiat; longèque consultiùs in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere. Et tamen multum interest, si se quisquam de magna multitudine subtrahat ad reparandas vires, qui jam sacramentorum societate devinctus est; & si ille discedat (quod plerumque inevitabiliter urgetur, ne interiore defectu victus etiam cadat) qui primis sacramentis imbuendus est: & pudore enim non dicitur cur eat, & imbecillitate stare non sinitur. Expertus hæc dico: nam fecit hoc quidam, cum eum catechizarem, homo rusticanus, unde magnopere præcavendum esse didici. Quis enim ferat arrogantiam nostram, cum ^a viros fratres nostros, vel etiam, quod majore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus: & ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli, sedens mulier audiebat? Sanè si aut brevis sermo futurus est, aut consessui locus non est aptus, stantes audiant; sed cum multi audiunt, & non ^b tunc initiandi. Nam cum unus, aut duo, aut pauci, qui propterea venerunt ut christiani fiant, periculosè loquimur stantibus. Tamen si jam sic coepimus, saltem animadverso auditoris tædio, & offerenda sessio est, imò verò prorsus urgendus ut sedeat, & dicendum aliquid quo renovetur, quo etiam cura, si qua fortè irruens eum avocare coeperat, fugiat ex animo.

Usus audiendi verbum Dei sedendo, in quibusdam Ecclesiis receptus.

Luc. 10. 39.

AA 4

^a Nonnulli MSS. *veros*.

^b Sola editio Lov. pro *tunc*, habet, *zunt*.

Cum enim causæ incertæ sint, cur jam tacitus recuset audire, jam sedenti aliquid adversus incidentes cogitationes sæcularium negotiorum dicatur, aut hilari, ut dixi, aut tristi modo: ut si ipsæ sunt quæ mentem occupaverant, cedant quasi nominatim accusatæ; si autem ipsæ non sunt, & audiendo fatigatus est, cum de illis tanquam ipsæ sint (quando quidem ignoramus) inopinatum aliquid & extraordinarium, eo modo quo dixi, loquimur, à tædio renovatur intentio. Sed & breve sit, maxime quia extra ordinem inseritur, ne morbum fastidii cui subvenire volumus, etiam augeat ipsa medicina: & acceleranda sunt cetera, & promittendus atque exhibendus finis propinquior.

CAP. XIV.
Remedium
adversus
causam
tædii.

20. SI autem confregit animum tuum alterius actionis, cui tanquam magis necessaria jam susensus eras, omissio, & propterea tristic insuaviter catechizas: cogitare debes, excepto quod scimus misericorditer nobis agendum esse quidquid cum hominibus agimus, & ex officio sincerissimæ caritatis, hoc ergo excepto, incertum esse quid utilius agamus, & quid opportunius aut intermittamus, aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum pro quibus agimus, qualia sint apud Deum non novimus, quid eis ad tempus expediat, aut nulla, aut tenuissima, & incertissima conjectura suspicamur, potius quam comprehendimus. Quapropter res quidem agendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo modo quo statuimus si peragere poterimus, non ideo gaudeamus quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit: si autem aliqua inciderit necessitas, qua noster ille ordo turbetur, flectamur facile, ne frangamur; ut quem

quem Deus nostro * præposuit, ipse sit noster. *Subaudi ordinem.* Equius est enim, ut nos ejus quam ut ille nostram voluntatem sequatur. Quia & ordo agendarum rerum, quem nostro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus est, ubi potiora præcedant. Cur ergo nos dolemus homines à Domino Deo tanto potiore præcedi, ut eo ipso quo nostrum amamus ordinem, inordinati esse cupiamus? NEMO enim MELIUS ORDINAT quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatatur. Quia *multæ cogitationes sunt in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.*

Prov. 19.
21.

Remedium
contra
causam
tædii.

21. Si verò ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere serenum jocundumque sermonem, tantam esse caritatem oportet in eos pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorum sæcularium morte redimere; ut hoc ipsum quod nobis tristibus nuntiatur, præsto esse aliquem qui desideret fieri christianus, ad consolationem illius resolutionemque tristitiæ valere debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire, aut per quem perire infirmum vel credimus, vel videmus. Ille igitur qui initiandus advenit, dum speratur posse proficere, dolorem deficientis abstergat. Quia & si timor ille suggeritur, ne fiat proselytus filius gehennæ, dum multi tales versantur ante oculos, ex quibus oriuntur ea quibus urimur scandala, non ad retardandos nos pertinere debet, sed magis ad excitandos & acuendos: quatenus quem imbuimus moneamus, ut caveat imitationem eorum,

Math. 23.
15.

rum, qui non ipsa veritate, sed solo nomine christiani sunt; nec eorum turba commotus, aut sectari velit eos, aut Christum nolit sectari propter eos; & aut nolit esse in Ecclesia Dei ubi illi sunt, aut talis ibi velit esse quales illi sunt. Et nescio quomodo in huiusmodi ^a monitis ardentior sermo est, cui fomitem subministrat præsens dolor: ut non solum pigriores non simus, sed eo ipso dicamus accensius atque vehementius, quod securiores frigidius & lentius diceremus; gaudeamusque nobis occasionem dari, ubi motus animi nostri sine fructificatione non transeat.

Item ad-
versus ca-
ussam sex-
tam.

Psal. 50.
19.
Eccl. 3. 33.
Osee 6. 6.

22. Si autem de aliquo errato nostro vel peccato nos mæstitudo comprehendit, non tantum meminimus sacrificium Deo spiritum esse contribulatum, sed etiam illud: *Quia sicut aqua ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Et *Quia misericordiam, inquit, volo quàm sacrificium.* Sicut ergo si periclitarem incendio, ad aquam utique curremus, quo posset extinguere, & gratularemur si quis eam de proximo offerret: ita si de nostro fœno aliqua peccati flamma surrexit, & propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tamquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarserat opprimatur. Nisi forte tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur cum pane currendum, quo ventrem esurientis impleamus, quàm cum verbo Dei, quo mentem ^b istud edentis instruamus. Huc accedit, quia si tantummodo prodesset hoc fa-

^a Editi motu: quam vocem prætereunt MSS. plures alii autem ejus loco habent, *monitis*. Paulò post ex verbo, *subministrat*, sive uti scribi solet in antiquis codicibus, *sumministrat*, factum erat in editis, *suum ministrat*.

^b Sic MSS. Editi verò, *mentem studentis*.

facere, non facere autem nihil obsesset; infeliciter in periculo salutis, non jam proximi, sed nostræ, oblatum remedium sperneremus. Cum verò ex ore Domini tam minaciter sonet: *Serve nequam & piger, dares pecuniam meam nummulariis*; quæ tandem demencia est, quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus velle peccare, non dando pecuniam dominicam volenti & petenti? His atque huiusmodi cogitationibus & considerationibus depulsa caligine tardiorum, ad catechizandum aptatur intentio, ut suaviter imbibatur, quod impigrè atque hilariter de caritatis ubertate prorumpit. Hæc enim non tam ego tibi, quàm omnibus nobis ^a dicit ipsa dilectio, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Math. 25
26.

23. SED nunc etiam illud quod prius quàm promitterem non debebam, jam fortasse debitum flagitas, ut aliquod sermonis exemplum, tamquam si ego aliquem catechizem, non me pigeat explicare, & intuendum tibi proponere. Quòd prius quàm faciam, volo cogites aliam esse intentionem dictantis, cum lector futurus cogitatur; & aliam loquentis, cum præsens auditor attenditur: & in eo ipso aliam in secreto mentis, dum nullus alius qui de nobis iudicet præstò est; aliam palàm docentis aliquid, cum dissimiliter opinantium circumstat auditus: & in hoc genere aliam, cum docetur unus, ceteri autem tamquam iudicantes aut adstantes quæ sibi nota sunt audiunt; aliam cum omnes communiter quid ad eos proferamus expectant: & rursus in hoc ipso aliam, cum quasi privatim consetetur, ut ser-

Rom. 5. 3.

CAP. XV.
Pro personarum diversitate temperanda oratio.

^a Editi ferè soli, *dicat*.

mocinatio conseratur; aliam; cum populus ta-
cens unum de loco superiore dicturum sus-
pensus intuetur: multumque interest, & cum
ita dicimus, utrum pauci adsint an multi,
docti an indocti, an ex utroque genere mix-
ti, urbani an rustici, an hi & illi simul, an
populus ex omni hominum genere temperatus
sit. Fieri enim non potest, nisi aliter atque ali-
ter afficiant locuturum atque dicturum, & ut
sermo qui profertur, affectionis animi à quo
profertur, quemdam quasi vultum gerat, &
pro eadem diversitate diversè afficiat auditores,
cum & ipsi se ipsos diversè afficiant invicem
præsentia sua. Sed quia de rudibus imbuen-
dis nunc agimus, de me ipso tibi testis sum,
aliter atque aliter me moveri, cum ante me
catechizandum video eruditum, inertem, ci-
vem, peregrinum, divitem, pauperem, priva-
tum, honoratum, in potestate aliqua constitu-
tum, illius aut illius gentis hominem, illius
aut illius ætatis aut sexus, ex illa aut illa sec-
ta, ex illo aut illo vulgari errore venientem:
ac pro diversitate motus mei sermo ipse &
procedit, & progreditur, & finitur. Et quia
cum eadem omnibus debeat caritas, non ead-
em est omnibus adhibenda medicina: ipsa
item caritas alios parturit, cum aliis infirmatur;
alios curat ædificare, alios contremiscit offen-
dere; ad alios se inclinatur, ad alios se erigit;
aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, om-
nibus mater. Et qui non expertus est eadem
caritate quod dico, cum videt nos, quia fa-
cultas aliqua nobis donata delectat laudabiliter
innotescere in ore multitudinis, inde nos bea-
tos putat: Deus autem, in cujus conspectum
intrat gemitus compeditorum, videat humili-
tatem nostram, & laborem nostrum, & dimit-
tat

Psal. 78.
11.
Psal. 24.
18.

tat omnia peccata nostra. Quamobrem si quid
tibi in nobis placuit, ut aliquam observationem
sermonis tui à nobis audire quæres, meliùs
videndo & audiendo nos cum hæc agimus,
quàm legendo cum hæc dictamus, edisceres.

24. SED tamen faciamus aliquem venisse
ad nos, qui vult esse christianus, & de gene-
re quidem idiotarum, non tamen rusticano-
rum, sed urbanorum, quales apud Carthagi-
nem plures experiri te necesse est: interroga-
tum etiam, utrum propter vitæ præsentis ali-
quod commodum, an propter requiem quæ
post hanc vitam speratur, christianus esse de-
siderat, propter futuram requiem responde-
tali fortasse à nobis instrueretur alloquio. Deo
gratias, frater: valde tibi gratulor, & gaudeo
de te, quòd in tantis ac tam periculosis hujus
 sæculi tempestatibus de aliqua vera & certa
securitate cogitasti. Nam & in hac vita homi-
nes magnis laboribus requiem quærunt & secu-
ritatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt.
Volunt enim requiescere in rebus inquietis
& non permanentibus: & quia illæ tempore
subtrahuntur & transeunt, timoribus & dolo-
ribus eos agitant, nec quietos esse permittunt.
Sive enim in divitiis velit homo requiescere,
magis superbus efficitur, quàm securus. An
non videmus quàm multi eas subito perdid-
erint, multi etiam propter illas perierint, aut
cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppres-
sis à cupidioribus auferuntur? Quæ si etiam
per totam vitam cum homine permanent, &
non desererent dilectorem suum, ipse illas
sua morte desereret. Quanta est enim vita ho-
minis, etiamsi senescat? Aut cum sibi homines
optant senectutem, quid aliud optant nisi lon-
gam infirmitatem? Sic & honores hujus sæcu-
li,

CAP. XVI.
Formula
orationis
catechis-
tæ.

Exordium
ductum à
laudabili
proposito
suscipien-
tæ christi-
anæ reli-
gionis, pro-
pter futu-
ram requi-
em. Requies
in rebus in-
quietis non
quærenda.

Non in di-
vitiis, nec
in honoribus.

^a li, quid sunt nisi typhus, ^a & inanitas, & ruinae periculum? Quia sic Scriptura sancta dicit: *Omnis caro fenum, & claritas hominis ut flos feni. Fenum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet in aeternum.* Ideo qui veram requiem & veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus & praeereuntibus, & eam collocare in verbo Domini, ut haerens ei quod manet in aeternum, etiam ipse cum illo maneat in aeternum.

Requiem
quærentes
in oblecta-
mentis car-
nis & in
spectacu-
lis.

25. Sunt etiam homines qui nec divites quærunt esse, nec ad vanas honorum pompas ambiunt pervenire: sed gaudere & requiescere volunt in popinis, & in fornicationibus, & in theatris, atque spectaculis nugacitatis quæ in magnis civitatibus gratis habent. Sed sic etiam ipsi aut consumunt per luxuriam paupertatem suam, & ab egestate postea in furta & effractions, & aliquando etiam in latrocinia prosiliunt, & subito multis & magnis timoribus implentur; & qui in popina paulò antè cantabant, jam planctus carceris somniant. Studiis autem spectaculorum fiunt dæmonibus similes, clamoribus suis incitando homines, ut se invicem cædant, secumque habeant contentiosa certamina qui se non læserunt, dum placere insano populo cupiunt: quos si animadvertierint esse concordēs, tunc eos oderunt & persequuntur, & tamquam collutores ut fustibus verberentur exclamant, & hanc iniquitatem facere etiam vindicem iniquitatum judicem cogunt; si autem horrendas adversus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, sive ^b sint

^a Sic plerique MSS. Ad editi omittunt, & inanitas: cujus loco nonnulli MSS. & vanitas.

^b Lov. sint athleta qui appellatur. At plerique ac me-

te qui appellantur, sive scenici & thymelici, sive aurigæ, sive venatores, quos miseros non solum homines cum hominibus, sed etiam homines cum bestiis in certamen pugnamque committunt; quo majore adversus invicem discordia furere senserint, eo magis amant & delectantur, & ^a incitatis favent, & faventes incitant; plus adversus se ipsos insanientes ipsi spectatores alter pro altero, quàm illi quorum insaniam insani provocant, sed insaniendo spectare desiderant. Quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis & certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Postremò quamvis insana gaudia non sint gaudia, tamen qualiacumque sint, & quantumlibet delectet jactantia divitiarum, & tumor honorum, vorago popinarum, & bella ^b theatrorum, & immundicia fornicationum, & prurigo thermarum, aufert omnia ista una febricula, & adhuc viventibus totam falsam beatitudinem subtrahit: remanet inanis & saucia conscientia, Deum sensura judicem, quem noluit habere custodem; & inventura asperum Dominum, quem dulcem patrem quærere & amare contempsit. Tu autem quia veram requiem quæ post hanc vitam christianis promittitur quæris, etiam hanc eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jocundamque gustabis, si ejus qui eam promisit præcepta dilexeris. Citò enim senties dulciores esse justitiæ fructus quàm iniquitatis,

& mellioris notæ MSS. sintæ. Vox erat forsitan apud Afros tunc vulgaris. In Corbelensi codice scribitur, sinthe. In MSS. quibusdam & apud Am. legitur, sint aequi appellantur. Apud Er. sint qui appellantur.

^a Am. Er. & aliquot MSS. & incitati. Alii plures MSS. & incitantes.

^b Sic Am. Er. & plerique MSS. At Lov. theatricorum.

& verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias: quia non sic venisti conjungi Ecclesiae Dei, ut ex ea temporalem aliquam utilitatem requiras.

CAP. XVII.
Reprehen-
ditur qui
velit esse
christianus
propter
commo-
dum tem-
porale.
Math. 3.
12.

26. SUNT enim qui propterea volunt esse christiani, ut aut promereantur homines à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt quos timent. Sed isti reprobi sunt: & si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilatio- nis paleam sustinet, si non se correxerint, & propter futuram sempiternam requiem christiani esse cœperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur quod in area possunt esse cum frumento Dei: quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito ^a destinantur. Sunt etiam alii meliore quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, & non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi qui non colunt Deum: ideoque cum viderint quosdam sceleratos & impios ista ^b sæculi prosperitate pollere & excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur tamquam sine causa Deum colant, & facile à fide deficiunt.

Christia-
nus verè
est, qui re-
ligionem
profitetur
propter fu-
turam re-
quiem.

27. Qui autem propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum

^a Lov. *destinabuntur*. At Am. Er. MSS. habent præ-
senti tempore, *destinantur*.

^b Am. Er. & tres MSS. *seculari*.

cum Christo, verè ipse christianus est; cau- *Math. 25.*
tus in omni tentatione, ne prosperis rebus ^{46.}
corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in
abundantia bonorum terrenorum modestus &
temperans, & in tribulationibus fortis & pa-
tiens. Qui etiam proficiendo perveniet ad ta-
lem animum, ut plus amet Deum, quam ti-
meat gehennam: ut etiamsi dicat illi Deus:
Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quan-
tum potes pecca, nec morieris, nec in ge-
hennam mitteris, sed mecum tantummodo non
eris; exhorrescat, & omnino non peccet, non
jam ut in illud quod timebat non incidat, sed
ne illum quem sic amat offendat: in quo ^a uno
est requies, quam oculus non vidit, nec auris
audivit, nec in cor hominis adscendit, quam *I. Cor. 2. 9:*
præparavit Deus diligentibus eum.

28. De qua requie significat Scriptura, *Transit ad*
& non tacet, quod ab initio mundi ex quo *narratio-*
fecit Deus cælum, & terram, & omnia quæ in *nem eo-*
eis sunt, sex diebus operatus est, & septimo *rum quæ*
die requievit. Poterat enim omnipotens & uno *credenda*
momento temporis omnia facere. Non autem *sunt.*
laboraverat, ut requiesceret, quando, *Dixit,* *Gen. 1. 1.*
& facta sunt; *mandavit, & creata sunt:* *2. & 2.*
sed ut significaret, quia post sex ætates mun- *Psal. 148.*
di hujus, septima ætate tamquam septimo die *5.*
requieturus est in sanctis suis: quia ipsi in
illo requiescent post omnia bona opera, in
quibus ei servierunt, quæ ipse in illis opera-
tur, qui vocat, & præcipit, & delicta præ-
terita dimittit, & justificat eum qui prius erat
impius. Sicut autem cum illi ex dono ejus be-
nè operantur, rectè dicitur ipse operari: sic
cum ^b in illo requiescunt, rectè dicitur ipse

TOM. I.

BB

re-

^a Sic MSS. Editi verò, *in quo una est requies.*

^b Ita MSS. At editi, *sic cum illi requiescunt.*

requiescere. Nam quod ad ipsum adinet, pationem non quærit, quia laborem non sentit. Fecit autem omnia per Verbum suum: & Verbum ejus ipse Christus, in quo requiescunt Angeli, & omnes cælestes mundissimi spiritus in sancto silentio. Homo autem peccato lapsus perdidit requiem, quam habebat in ejus divinitate, & recipit eam in ejus humanitate: ideoque opportuno tempore, quo ipse sciebat oportere fieri, homo factus & de femina natus est. A carne quippe contaminari non poterat, ipse carnem potius mundaturus. Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, & prophetaverunt: & sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi effimur credendo quia venit: ut diligere-
 mus Deum, qui sic nos dilexit, ut unicum Filium suum mitteret, qui ^a humilitate nostræ mortalitatis indutus, & ^a peccatoribus & pro peccatoribus moretur. Jam enim olim ab incuntibus sæculis mysterii hujus altitudo præfigurari prænuntiarique non cessat.

CAPUT XVIII.
 De hominis & rerum aliarum creatione quid credendum.

29. QUONIAM Deus omnipotens, & bonus, & justus, & misericors, qui fecit omnia bona, sive magna sive parva, sive summa sive infima; sive quæ videntur, sicuti sunt cælum, & terra, & mare, & in cælo sol, & luna, & cetera sidera, in terra autem & mari arbores, & frutices, & animalia suæ cujusque naturæ, & omnia corpora vel cælestia vel terrestria; sive quæ non videntur, sicuti sunt spiritus quibus corpora vegetantur & vivificantur: fecit & hominem ad imaginem suam; ut quem admodum ipse per omnipotentiam suam præest universæ creaturæ, sic homo per intelligen-

^a Am. & Er. humanitate.

gentiam suam, qua etiam Creatorem suum cognoscit & colit, præset omnibus terrenis animalibus. Fecit illi etiam adjutorium feminam: non ad carnalem concupiscentiam, quando quidem nec corruptibilia corpora tunc habebant, antè quàm eos mortalitas invaderet pœna peccati; sed ut haberet & vir gloriam de femina, cum ei præiret ad ^a Deum, seque illi præberet imitandum in sanctitate atque pietate; sicut ipse esset gloria Dei, cum ejus sapientiam sequeretur.

30. Itaque constituit eos in quodam loco perpetuæ beatitudinis, quem appellat Scriptura paradysum; præceptumque illis dedit, quod si non transgredirentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent: si autem transgredirentur, supplicia mortalitatis expenderent. Præsciebat autem Deus eos transgressuros: sed tamen quia conditor est & effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit & bestias, ut impleret terram bonis terrenis. Et utique melior est homo etiam peccator, quàm bestia. Et præceptum quod non erant servaturi, magis dedit, ut essent inexcusabiles, cum in eos vindicare cœpisset. Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum: si rectè egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum: si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad rectè vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccatorum prænosceret, cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret, semper & ubique

Homo in paradiso constitutus.

Cur creatus qui præsciebat peccaturus.

BB 2

^a Er. ad dominium. Editi alii, ad Dominum.

que ipse gloriosus bonitate, justitia, clementia? maximè quia & illud præsciebat, de propagatione mortalitatis ejus futuros sanctos, qui non sibi quærerent, sed Creatori suo gloriam darent, & eum colendo ab omni corruptione liberati, cum Angelis sanctis semper vivere, & beatè vivere mererentur? Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis: & ideo nec Angelus, qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbendo deseruit obedientiam Dei, & diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Novit enim Deus ordinare deserentes se * animas, & ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis a ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est, vel hominem seduxit ad mortem: nec ipse homo in aliquo minuit veritatem, aut potestatem, b aut beatitatem Conditoris sui, quia conjugii suæ seductæ à diabolo, ad id quod Deus prohibuerat, propria voluntate consensit. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem poenæ: ut & homo à suo Creatore aversus victus diabolo subderetur, & diabolus homini ad Creatorem suum converso vincendus proponeretur; ut quicumque diabolo usque in finem consentirent, cum illo irent in æterna supplicia; quicumque autem humiliarent se Deo, & per ejus gratiam diabolum vincerent, æterna præmia mererentur.

NE-

a Sola editio Lov. ordinare.

b Plerique MSS. omittunt, aut beatitatem.

Lapsus hominis & Angelum nihil Deo nocuit.

* Convenientissimis spiritibus: ex 2. Retract.

14.

a

Gen. 3. 4.

b

31. NEQUE hoc nos movere debet, quia multi diabolo consentiunt, & pauci Deum sequuntur: quia & frumentum in comparatione palearum valde pauciores habet numerum. Sed sicut agricola novit quid faciat de ingenti acervo paleæ, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut administratio regni ejus ex nulla parte turbeatur, atque turpetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus, quia secum plures, cum quibus à paucis vinceretur, adtraxit. Duæ itaque civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem sæculi perducuntur, nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die vero judicii etiam corpore separatæ. Omnes enim homines amantes superbiam & temporalem dominationem cum vano typho & pompa arrogantia, omnesque spiritus qui talia diligunt, & gloriam suam subjectione hominum quærunt, simul una societate devincti sunt; sed & si sæpè adversum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eandem profunditatem præcipitantur, & sibi morum & meritorum similitudine conjunguntur. Et rursus omnes homines & omnes spiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non suam, & eum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem. Et tamen Deus misericordissimus, & super impios homines patiens est, & præbet eis poenitentiae atque correctionis locum.

32. Nam & quod omnes diluvio delevit, excepto uno justo cum suis, quos in arca servari voluit, noverat quidem quod non se correcturi essent: verumtamen cum per centum annos arca fabricata est, prædicabatur utique eis ira Dei ventura super eos: & si conver-

CAP. XIX.
In Ecclesia boni & mali, in fine separandi.

Civitates duæ ab initio generis humani.

Diluvii & arca sacramentum.

Gen. 7.

Jonæ 3.

terentur ad Deum, parceret eis; sicut peperit postea Ninive civitati agenti poenitentiam, cum ei per Prophetam futurum interitum prænuntiasset. Hoc autem facit Deus, etiam illis quos novit in malitia perseveraturos dans poenitendi spatium, ut nostram patientiam exerceat, & informet exemplo suo; quo noverimus quantum nos oporteat tolerabiliter malos sustinere, cum ignoremus quales postea futuri sunt, quando ille parcat, & sinat eos vivere, quem nihil futurorum latet. Prænuntiabatur tamen etiam diluvii sacramento quo per lignum justi liberati sunt, futura Ecclesia quam Rex ejus & Deus Christus mysterio suæ crucis ab hujus sæculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat, quod etiam ex illis qui fuerant in arca servati, nascituri erant mali, qui faciem terræ iniquitatibus iterum impleverunt: sed tamen & exemplum futuri iudicii dedit, & sanctorum liberationem ligni mysterio prænuntiavit. Nam & post hæc non cessavit repullulare malitia per superbiam, & libidines, & illicitas impietates, cum homines deserto Creatore suo, non solum ad creaturam quam Deus condidit lapsi sunt, ut pro Deo colerent quod fecit Deus; sed etiam ad opera manuum hominum, & ad fabricum artificia curvaverunt animas suas, ubi de illis turpius diabolus & dæmonia triumpharent; quæ se in talibus figmentis adorari venerarique lætantur, dum errores suos humanis erroribus a pascunt.

a
De Abrahamo & Israëlítico populo.
Gen. 12.

33. Neque tunc sanè defuerunt justi, qui Deum pie quærerent, & superbiam diaboli vincerent, cives illius sanctæ civitatis, quos Regis sui Christi ventura humilitas per Spi-

a Floriacensis quidam MSS. miscent.

Spiritum revelata sanavit. Ex quibus Abraham pius & fidelis Dei servus electus est, cui demonstraretur sacramentum Filii Dei, ut propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filii ejus futuri dicerentur. Ex illo natus est populus, à quo unus Deus verus coleretur, qui fecit cælum & terram: cum ceteræ gentes simulacris & dæmoniis servirent. In eo planè populo multò evidentius futura Ecclesia figurata est. Erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Deum. Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes & cælestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei, Regis & Domini nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia & timore sanarentur. Horum sanctorum, qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, & conjugia, & filii, & facta prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. Per illos sanctos Patriarchas & Prophetas carnali populo Israël, qui post eam etiam judæi appellati sunt, & visibilia beneficia ministrabantur quæ carnaliter à Domino desiderabant, & coërcitiones poenarum corporalium quibus pro tempore terrentur, sicut eorum duritiæ congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quæ ad Christum & Ecclesiam pertinerent: cujus Ecclesiæ membra erant etiam illi sancti, quamvis in hac vita fuerint antè quàm secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tamquam totius corporis caput

Horum dicta & facta, prophetia fuit.

esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta atque compacta est, quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu præmissa nati sunt: ita omnes sancti qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis antè nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohæserunt.

CAP. XX.
Israelita-
rum servi-
tus in Æ-
gypto, &
liberatio
viaque per
mare ru-
brum.
Exodi 7. 1.
& 8. 1. &
14. 22.
Gen. 7.

34. POPULUS ergo ille delatus in Ægyptum, servivit regi durissimo; & gravissimis laboribus eruditus, quæsitit liberatorem Deum: & missus est eis unus de ipso populo, sanctus Dei servus Moyses, qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem Ægyptiorum, eduxit inde populum Dei per mare rubrum; ubi discedens aqua viam præbuit transeuntibus: Ægyptii autem cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi extincti sunt. Ita quemadmodum per diluvium aquis terra purgata est à nequitia peccatorum, qui tunc in illa inundatione delati sunt, & justis evaserunt per lignum: sic ex Ægypto exiens populus Dei, per aquas iter invenit, quibus ipsorum hostes consumti sunt. Nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, ut illud miraculum fieret. Utrumque signum est sancti Baptismi, per quod fideles in novam vitam transeunt, peccata verò eorum tamquam inimici delentur atque moriuntur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum jussi sunt ovem occidere & manducare, & de sanguine ejus postes suos signare, & hoc celebrari omni anno, & appellare Pascha Domini. Mani-
fes-

Exodi 14.
16. & 21
Baptismus
figuratus.

Ibid. 12. 3.
Ovis immo-
latio passio-
nis Christi
figura.

festissime quippe a prophetia de Domino Jesu Christo dicit, quia *tamquam ovis ad immolandum ductus est*. Cujus passionis & crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur.

35. Inde per desertum populus ille ductus est per quadraginta annos: accepit etiam legem digito Dei scriptam, quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in Evangelio manifestissime declaratur. Neque enim Deus forma corporis definitus est, nec sic in illo membra & digiti cogitandi sunt, quemadmodum videmus in nobis: sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis dividuntur, ut cum diversa possunt, non tamen discedant à concordia caritatis, in digitis autem maxime apparet quædam divisio, nec tamen ab unitate præcisio, sive propterea, sive propter aliam quæcumque causam Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, non tamen cum hoc audimus humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sanè lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quòd legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona desiderantes à Domino, magis carnali timore quam spiritali caritate tenebantur: legem autem non implet nisi caritas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo premerentur, in observationibus ciborum, & in sacrificiis animalium, & in aliis innumerabilibus: quæ tamen signa erant rerum spiritalium ad Dominum Jesum Christum & ad Ecclesiam pertinentium; quæ tunc à paucis sanctis & intelligebantur ad fructum

a
Isaia 53. 7.

Lex scrip-
ta digito
Dei.

Exodi 14.

35.

Num. 14.

33.

Deut. 29.

5.

Luc. 11.

20.

53-

salutis, & observabantur ad congruentiam temporis; à multitudine verò carnalium tantummodo observabantur, non intelligebantur.

Jerusalem
typus civi-
tatis cæles-
tis.

Gal. 4. 26.

I. Reg. 16.
13.

Rom. 9. 5.

CAP. XXI.
Captivitas
Babyloni-
ca & in ea
gesta, quid
significent.

36. Per multa itaque & varia signa rerum futurarum, quas longum est omnes commemorare, & eas nunc in Ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terram promissionis, ubi temporaliter carnaliterque regnaret pro modo desiderii sui: quod tamen regnum terrenum regni spiritalis imaginem gessit. Ibi Jerusalem condita est, famosissima civitas Dei, serviens in signo liberæ civitatis, quæ cælestis Jerusalem dicitur, quod verbum est hebræum, & interpretatur visio pacis. Cujus cives sunt omnes sanctificati homines qui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt; & omnes sanctificati spiritus, etiam quicumque in excelsis cælorum partibus devotione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam & angelorum ejus. Hujus civitatis Rex est Dominus Jesus Christus, Verbum Dei quo reguntur summi Angeli, & Verbum hominem assumens ut eo regerentur & homines, qui simul omnes cum illo in æterna pace regnabunt. Ad hujus Regis præfigurationem in illo terreno regno populi Israël maximè eminuit rex David, de cujus semine secundum carnem veniret verissimus Rex noster Dominus Jesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Multa in illa terra promissionis gesta sunt in figuram venturi Christi & Ecclesiæ, quæ in sanctis libris paulatim discere poteris.

37. POST aliquot tamen generationes ostendit alium typum ad rem maximè pertinentem. Nam captivata est illa civitas, & multa pars ejus educta in Babyloniam. Sicut autem Je-

Jerusalem significat civitatem societatemque sanctorum, sic Babylonia significat civitatem societatemque iniquorum, quoniam dicitur interpretari confusio. De quibus duabus civitatibus, ab exordio generis humani usque in finem sæculi a permixtè temporum varietate currentibus, & ultimo judicio separandis, paulò antè * jam diximus. Illa ergo captivitas Jerusalem civitatis, & ille populus in Babyloniam ductus ad servitutem ire jubetur à Domino per Jeremiam illius temporis Prophetam. Et exstiterunt Reges Babyloniæ, sub quibus illi serviebant, qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis, cognoscerent, & colerent, & coli juberent unum verum Deum, qui condidit universam creaturam. Jussi sunt autem & orare pro eis à quibus captivi tenebantur, & in eorum pace pacem sperare, ad gignendos filios, & domos ædificandas, & plantandos hortos & vineas. Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illa captivitate liberatio. Hoc autem totum figuratè significabat Ecclesiam Christi in omnibus sanctis ejus, qui sunt cives Jerusalem cælestis, servitutam fuisse sub regibus hujus sæculi. Dicit enim & apostolica doctrina, ut *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*: & ut *reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*; & cetera quæ salvo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddimus; quando & ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Jubentur autem etiam servi christiani & bo-

a
* Cap. 19.

Jerem. 25.
21. & 29.
1.
I. Esdræ 1.
7.

Jer. 29. 4.

Rom. 13.
1. & 7.

Math. 17.
27.
Eph. 6. 5.

ni

a Sic MSS. At editi, *permista*.

ni fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire; quos iudicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quò usque post tempus præfinitum, quod significant septuaginta anni, ab istius sæculi confusione tanquam de captivitate Babylonæ, sicut Jerusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione ipsi etiam terreni reges desertis idolis, pro quibus persequebantur christianos, unum verum Deum & Christum Dominum cognoverunt, & colunt, pro quibus Apostolus Paulus jubet orari, etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: *Obsecro itaque primum fieri deprecationes^a, adorationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro regibus, pro omnibus hominibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & caritate.* Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamvis temporalis, tranquillitas^c temporalis ad ædificandas spiritaliter domos & plantandos hortos & vineas. Nam & ecce te modò per istum sermonem ædificamus atque plantamus. Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace Regum christianorum, sicut idem dicit Apostolus: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.*

38. Et post annos quidem septuaginta, quos

^a Lov. orationes. Editi autem alii & MSS. adorationes. Græcè est, προσευχάς.

^b Vulgata, castitate: juxta græc. σεμνότητι.

^c Sic MSS. Editi verò, temporis.

1. Tim. 2.

1. & 2.

b

c

1. Cor. 3. 9.

Jerem. 25.

12. & 29.

10.

quos mysticè prophetaverat Jeremias, ut finem temporum præfiguraret, tamen ut ipsa figura integraretur, facta est in Jerusalem restitutio ædificationis templi Dei: sed quia totum figuratè agebatur, non erat firma pax ac libertas reddita judæis. Itaque postea à romanis victi sunt, & tributarii facti. Ex illo sanè tempore ex quo terram promissionis acceperunt, & Reges habere cœperunt, ne in aliquo Regum suorum completum esse arbitrarentur, quòd eis liberator Christus promittebatur, apertius per multas prophetias prophetatus est Christus, non solum ab ipso David in libro Psalmorum, sed etiam à ceteris & magnis & sanctis Prophetis, usque ad tempus captivitatis in Babyloniam: & in ipsa captivitate fuerunt Prophetae, qui venturum Dominum Jesum Christum liberatorem omnium prophetarent. Et postea quàm templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas præsuras & calamitates à Regibus gentium judæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorem, quem non spiritaliter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant.

39. PERACTIS ergo quinque atatibus sæculi, quarum prima est ab initio generis humani, id est, ab Adam, qui primus homo factus est, usque ad Noë, qui fecit Arcam in diluvio, inde secunda est usque ad Abraham, qui pater^a dictus est omnium quidem gentium, quæ fidem ipsius imitentur; sed tamen ex propagine carnis suæ futuri populi judæorum: qui ante fidem christianam gentium, unus inter omnes omnium terrarum populus unum

Post captivitatem babylonicam libertas qualis reddita.

CAP. XXII.
Ætates mundi sex.
Gen. 6. 22.

^a
Gen. 17. 4

³ MSS. electus est,

Matth. 1.
17.

Sexta ætas
ex adventu
Christi.

Gen. 1. 27.

Christus
novum Tes-
tamentum
sempiter-
næ heredi-
tatis mani-
festans, ter-

unum verum Deum coluit, ex quo populo salvator Christus secundum carnem veniret. Isti enim articuli duarum ætatum eminent in veteribus libris: reliquarum autem trium in Evangelio etiam declarantur, cum carnalis origo Domini Jesu Christi commemoratur. Nam tertia est ab Abraham usque ad David regem: quarta à David usque ad illam captivitatem, qua populus Dei in Babyloniam transmigravit: quinta ab illa transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi: ex cujus adventu sexta ætas agitur: ut jam spiritalis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Deum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ, & præsentis vite felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans; ut hac sexta ætate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei. Tunc enim & lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius qui præcepit, fiunt quæcumque præcepit. Quis autem non redamare affectet justissimum & misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia, qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solum cum eis vivere, sed etiam pro eis & ab eis posset occidi?

40. Itaque novum Testamentum hereditatis sempiternæ manifestans, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc est vitam spiritalem; ut vetus ostenderet primum, in quo carnalis populus agens veterem hominem, exceptis paucis intel-

telligentibus Patriarchis, & Prophetis, & nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia præmia desiderabat à Domino Deo, & in figura spiritalium bonorum accipiebat: omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; & omnia terrena sustinuit mala, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamvis à viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exstinxit. Natus etiam in civitate Bethleem, quæ inter omnes Judææ civitates ita erat exigua, ut hodieque villa appelletur, noluit quemquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est cujus sunt omnia, & per quem creata sunt omnia; ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri; quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat: quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit qui omnes pascit, sitivit per quem creatur omnis potus, & qui spiritaliter panis est esurientium, fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui se ipsum nobis viam fecit in cælum: velut obmutuit & obsurdit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est & surdus audivit: vinctus est, qui de infirmitatum vinculis solvit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus

rena contemnere exemplo docet.

Nativitas ejus, vita, & mors.

2

®

nos-

a Sic MSS. At editi, ab ea.

nostros finivit : mortuus est , qui mortuos suscitavit. Sed & resurrexit numquam moriturus , ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere , quasi numquam a victurus.

**CAPUT
XXIII.**

Spiritus
sanctus die
50. post re-
surreccio-
nem Chris-
ti missus.

*Matt. 22.
37.*

Ibid. 40.

Exodi 12.

Exodi 19.

*Luca 11.
20.*

*Act. 2. 1.
&c.*

41. INDE confirmatis discipulis , conversatus cum eis quadraginta diebus , eisdem spectantibus adscendit in cælum ; & completis à resurrectione quinquaginta diebus misit eis Spiritum sanctum (promiserat enim) per quem diffusa caritate in cordibus eorum , non solum sine onere , sed etiam cum jocunditate legem possent implere. Quæ data est judeis in decem præceptis , quod appellant decalogum. Quæ rursus ad duo rediguntur , ut diligamus Deum ex toto corde , ex tota anima , ex tota mente ; & diligamus proximum sicut nos ipsos. Nam in his duobus præceptis totam legem prophetasque pendere , ipse Dominus & dixit in Evangelio , & suo manifestavit exemplo. Nam & populus Israël ex die quo primum pascha in imagine celebrarunt , ovem occidentes & manducantes , ejus sanguine postes eorum ad salutis tutelam signati sunt ; ex ipso ergo die quinquagesimus dies impletus est , & legem acceperunt scriptam digito Dei , quo nomine jam diximus significari Spiritum sanctum : sicut post Domini passionem & resurrectionem , quod est verum pascha , quinquagesimo die ipse Spiritus sanctus discipulis missus est : non jam lapideis tabulis corda dura significans ; sed cum essent unum in locum congregati in ipsa Jerusalem , factus est subito de cælo sonus , quasi ferretur flatus vehemens , & visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis , & coeperunt linguis loqui , ita ut om-

a Am. Er. & ferè omnes MSS. *futurus*. Unus Vatic. *resurrexurus*.

omnes qui ad illos venerant , suam linguam quisque cognosceret (ad illam enim civitatem ex omni terra conveniebant judæi , quacumque dispersi erant , & diversas linguas gentium diversarum didicerant) deinde cum tota fiducia Christum prædicantes , in ejus nomine multa signa faciebant , ita ut quemdam mortuum transeunte Petro umbra ejus tetigerit , & resur-

Act. 5. 15.

42. Sed cum viderunt judæi tanta signa fieri in ejus nomine , quem partim per invidiam , partim per errorem crucifixerunt , alii irritati sunt ad persequendos prædicatores ejus Apostolos , alii verò idipsum amplius admirantes , quod in ejus nomine , quem veluti à se oppressum & victum riserant , tanta miracula fierent , poenitendo conversi , crediderunt in eum millia judæorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque regnum desiderantes à Deo , nec promissum Regem Christum carnaliter expectantes ; sed immortaliter intelligentes & diligentes eum , qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit , & eis usque ad sui sanguinis a peccata donavit , & immortalitatem à se sperandam & desiderandam exemplo suæ resurrectionis ostendit. Itaque jam veteris hominis terrena desideria mortificantes , & spiritualis vite novitate flagrantes , sicut præceperat in Evangelio Dominus , vendebant omnia quæ habebant , & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant , ut ipsi distribuerent unicuique , sicut cuique opus erat : viventesque in christiana dilectione concorditer , non dicebant aliquid suum , sed erant illis omnia communia ,

Judæi præ-
dicatione
Apostolo-
rum con-
versi , vite
evangelicæ studio
flagrantes.

*Act. 2. 44.
& 4. 34.*

TOM. I.

cc

&

a Hic in editione Loy. additum fuerat , *effusionem* , minus bene.

& anima & cor unum in Deum. Deinde etiam ipsi à judæis carnalibus civibus carnis suæ persecutionem passi, atque dispersi sunt, ut latius Christus eorum dispersione prædicaretur, & imitarentur etiam ipsi patientiam Domini sui: quia qui^a eos mansuetus passus fuerat, mansuetus factus pro se pati jubebat.

Ecclesiæ
apud Gen-
tes per
Paulum
constitutæ.

43. Ex ipsis sanctorum persecutoribus fuerat etiam Apostolus Paulus, & in christianos maximè sæviebat: sed postea credens & Apostolus factus, missus est ut gentibus Evangelium prædicaret, graviora perpressus pro nomine Christi, quam fecerat contra nomen Christi. Ecclesias autem constituens per omnes gentes quæ Evangelium seminabat, impensè præcipiebat, ut quoniam ipsi ex idolorum cultu venientes, & ad unum Deum colendum rudes, non facillè poterant rebus suis venditis & distributis servire Deo, oblationes facerent in pauperes sanctorum qui erant in Ecclesiis judææ, quæ Christo crediderant: ita illos tamquam milites, illos autem tamquam stipendiarios provinciales apostolica doctrina constituit; inserens eis Christum velut lapidem angularem, sicut per Prophetam prænuntiatus erat, in quo ambo quasi parietes de diverso venientes, de judæis videlicet atque gentibus, germana caritate copularentur. Sed postea graviores & crebriores persecutiones ex incredulis gentibus adversus Christi Ecclesiam surrexerunt, & implebatur in dies singulos verbum Domini prædicentis: *Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum.*

Psal. 117.
22.
Isai. 28.
16.

Matt. 10.
16.

SED

^a Am. & Er. qui ante eos. Lov. qui pro eis. Aliquot MSS. qui per eos: & quidam, qui propter eos: plerique autem, qui eos.

44. SED illa vitis quæ per orbem terrarum, sicut de illa prophetatum, & ab ipso Domino prænuntiatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tantò pullulabat amplius, quantò uberiore martyrum sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipsa persequentia regna cesserunt, & ad Christum cognoscendum atque venerandum fracta superbiæ cervice conversa sunt. Oportebat autem ut eadem vitis, sicut à Domino idemtidem prædictum erat, putaretur, & ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses & schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia, & probaretur atque illustraretur & doctrina ejus & patientia.

CAPUT
XXIV.
Ecclesia
quasi vitis
pullulat, &
putatur.

Joan. 15. e.

45. Omnia ergo hæc, sicut tantò antè prædicta legimus, sic & facta cognoscimus: & quemadmodum primi christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui longè antè quàm hæc implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, & præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant, sustinentes & perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Si quidem adhuc tribulationes futuræ in eisdem Scripturis leguntur, & ipse ultimus judicii dies, ubi omnes cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus surrecturi sunt, & rationem vitæ suæ ante tribunal Christi judicis reddituri. Veniet enim in claritate potestatis, qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est; & omnes pios ab impiis segregabit: non tantum

Ex his quæ
videntur
impleta,
credantur
prædicta
quæ restant
implenda,
præsertim
judicium
futurum.

eis qui in eum credere omnino noluerunt, sed etiam eis qui frustra & infructuose crediderunt in eum; illis daturus regnum secum aeternum, illis autem poenam aeternam cum diabolo. Sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitae aeternae, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus poenarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

CAPUT
XXV.
Fides resurrectionis suadetur.

46. ITAQUE, frater, confirma te ipsum in ejus nomine atque adiutorio cui credis, adversus linguas eorum qui fidem nostram irrident, de quibus diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis. Sed ex te ipso crede futurum te esse cum fueris, quando cum ante non fueris, nunc esse te vides. Ubi enim erat ista moles corporis tui, & ista forma membrorumque compago ante paucos annos, prius quam natus; vel etiam prius quam in matris utero conceptus esses, ubi erat haec moles & haec statura corporis tui? Nonne de occultis hujus creaturae secretis, Domino Deo invisibiliter formante, processit in lucem, certisque aetatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Numquid ergo difficile est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, & contegit caelum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit a sicut non erat? Crede ergo fortiter & inconcussè, quia omnia quae videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salva & integra sunt omnipotentiae Dei: qui ea cum voluerit, sine ulla mora & difficultate reparabit,

a Sic Am. Er. & plures MSS. At Lov. potuit cum non erat. Corbelensis codex à secunda manu, sic cum non erat.

ea dumtaxat quae justitia ejus reparanda esse judicat: ut in his corporibus reddant homines factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt; & in his mereantur aut commutationem caelestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut a corruptibilem corporis conditionem pro meritis iniquitatis, non quae morte solvatur, sed quae materiam sempiternis doloribus praebet.

47. Fuge ergo per immobilem fidem b & mores bonos, fuge, frater, illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur; quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Et exardescere amore atque desiderio sempiternae vitae sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa: laus erit Dei sine fastidio, sine defectu: nullum in animo taedium, nullus labor in corpore: nulla indignitas, nec tua cui subveniri desideres, nec proximi cui subvenire festines. Omnes deliciae Deus erit, & c satietas sanctae civitatis in illo & de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus & expectamus, aequales Angelis Dei, & cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. Credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus, & inherere mereamur: ut aequalitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & ipsius Trinitatis unitatem, quomodo sint haec tria unus Deus, non jam verbis fidei & strepentes syllabis personemus, sed contemplatione purissima & ardentissima in illo silentio d sorbeamus.

cc 3

HÆC

a Aliquot MSS. aut corruptibilis.

b Sic MSS. Editi verò, ad mores bonos.

c Editi, & societas. Aptius fortè quinque MSS. & societas.

d Sic duo MSS. At editi, sorbeamur.

a

b
Mors perpetua in tormentis.

Vita aeterna sanctorum.

c

Luca 20.
36.

2. Cor. 5.7.

d

Cavendum non tantum à paganis, iudeis, & hæreticis, sed etiam à malis christianis.

48. Hæc tene fixa in corde tuo, & invoca Deum cui credis, ut tucatur te adversus tentationes diaboli: & esto cautus, ne tibi aliunde hostis ille subrepat, qui ad solatium malevolentissimum damnationis suæ, cum quibus damnatur inquirat. Non enim per eos solos qui christianum nomen oderunt, & dolent eo nomine occupatum esse orbem terrarum, & adhuc simulacris & dæmoniorum curiositatibus servire desiderant, audet ille tentare christianos: sed etiam per eos quos paulò antè commemoravimus, de unitate Ecclesiæ, velut putata vite, præcisos, qui hæretici vel schismatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur & per judæos tentare, atque seducere. Sed maximè cavendum est, ne per homines qui sunt in ipsa catholica Ecclesia, quos velut paleam usque ad tempus ventilationis suæ sustinet, unusquisque tentetur & decipiatur. Propterea enim Deus patiens est in illos, ut & suorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perversitatem exercendo confirmet; & quia de numero eorum multi proficiunt, & ad placendum Deo a miserati animas suas, magno impetu convertuntur. Non enim omnes sibi per patientiam Dei thesaurizant iram in die iræ justii judicii ejus: sed multos eadem omnipotentis patientia perducit ad saluberrimum pœnitentiæ dolorem. Quod donec fiat, exercetur per eos illorum qui jam rectam viam tenent, non solum tolerantia; sed etiam misericordia. Multos ergo visurus est etiam ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adul-

^a Lov. miseranti. Melius Am. Er. & aliquot MSS. miserati. Alludit ad illud Eccli. 30. 24. Miserere anime tuæ placens Deo.

teros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, præcantatoribus & mathematicis, vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversurus etiam, quòd illæ turbæ impleant ecclesias per dies festos christianorum, quæ implent & theatra per dies sollemnes paganorum; & hæc videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam? videbis, quòd etiam nunc jam utique nosti: non enim nescis multos qui appellantur christiani, hæc omnia mala operari, quæ breviter commemoravi. Et a aliquando fortasse graviora facere homines non ignoras, quos nosti appellari christianos. Sed si hoc animo venisti, ut quasi securus talia facias, multum erras: nec tibi proderit nomen Christi, cum coeperit ille severissimè judicare, qui prius dignatus est misericordissimè subvenire. Prædixit enim ista, & ait in Evangelio: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum calorum, sed is qui facit voluntatem Patris mei. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, in nomine tuo manducabimus & bibimus.* Omnibus ergo qui in talibus operibus perseverant, damnatio finis est. Cum ergo videris multos non solum hæc facere, sed etiam defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

49. Coniungere bonis, quos vides amare tecum Regem tuum. Multos enim inventurus es, si & tu talis esse coeperis. Nam si in spectaculis^b cum illis esse cupiebas, & eis

cc 4 in

^a MSS. aliquantò.

^b Sic Am. Er. & MSS. At Lov. Nam si in spectaculis & vanitatibus insanorum certaminum illis cupiebas in hæcere.

Matth. 7.
21. & 22.

Societas sit
cum bonis
non tamen
spes in ip-
sis ponatur.

inherere, qui tecum vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant; quanto magis te delectare debet eorum conjunctio, qui tecum amant Deum, de quo nunquam erubescet amator ejus, quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos. Nec tamen etiam in ipsis bonis, qui te vel præcedunt vel tibi comitantur ad Deum, spem tuam collocare debes, quia nec in te ipso debes quantumcumque profeceris, sed in illo qui eos & te justificando tales facit. Securus es enim de Deo, quia non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos qui nondum justi sunt, amare debemus ut sint; quanto ardentius qui jam sunt, amandi sunt. Sed aliud est diligere hominem, aliud spem ponere in homine; tantumque interest, ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat. Si autem aliquas vel insultationes vel tribulationes pro nomine Christi passus non defeceris à fide, nec à bona^a via deviaveris, majorem mercedem accepturus es: qui autem in his diabolo cesserint, etiam minorem perdunt. Sed humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.

CAPUT
XXVI.
Initiatio
catechu-
meni, cum
expositio-
ne signo-
rum.
* f. salis.

50. HIS dictis interrogandus est, an hæc credat, atque observare desideret. Quod cum responderit, solemniter utique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus. De sacramento^{*} sanè quod accipit, cum ei benè commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet &

^a Am. Er. & plures MSS. *vita*.

sermo ille quem audivit, quid in illo a condiat, cujus illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in Scripturis audiat quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discit, ut quidquid audierit ex libris canonicis quod ad dilectionem æternitatis & veritatis & sanctitatis, & ad dilectionem proximi referre non possit, figuratè dictum vel gestum esse credat; atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem. Ita sanè ut proximum non carnaliter intelligat, sed omnem qui cum eo in illa sancta civitate potest esse, sive jam, sive nondum appareat: & ut de nullo hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt vivere, non ob aliud, sicut Apostolus ait, nisi ut adducatur ad poenitentiam.

51. Si longus tibi videtur iste sermo, quo tamquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non puto: quamquam multum interest, quid res ipsa cum agitur moneat, & quid auditorum præsentia non solum ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus est, vide quam facile explicari tota res possit. Fac rursus adesse aliquem, qui velit esse christianus: ergo & interrogatum, illud quod superior respondisse; quia & si non hoc res-

^a Er. & Lov. *condatur*. Verius MSS. & Am. *condiat*. Nam agitur hic de sacramento salis, quo catechumenus initiatur. Huc pertinet illud Augustini lib. I. Confess. c. II. *Et signabar jam signo crucis ejus, & condiebar ejus sale, jam inde ab utero matris mee*. Ipsa est quam hic dixit *speciem benedictione sanctificatam*: adeoque paulò supra loco sanè, legendum videtur *salis*.

ROM. 2.4.

Sermo
quando-
que bre-
vior adhi-
bendus.

respondet, hoc eum respondere debuisse dicendum est. Deinde hoc modo & cetera contenda.

Incipit sermo alius brevior.

Filius Dei missus, ut à morte quæ per Adamum intravit, liberaremur.

52. Verè, frater, illa magna & vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia verò visibilia transeunt, & omnis hujus sæculi pompa, & delicia, & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est, poenis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiae Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, hoc est, Verbum suum æquale sibi, per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua, & non recedens à Patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem, & in carne ^a mortali hominibus apparendo venit ad homines: ut quemadmodum per unum hominem qui primus factus est, id est, Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensus mulieri suæ seductæ à diabolo, ut præceptum Dei transgrederentur; sic per unum hominem, qui etiam Deus est Dei Filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.

CAPUT XXVII. Prophetias veteris Testamenti impletas cerni in Ecclesia.

b

53. OMNIA enim quæ nunc vides in Ecclesia Dei, & sub Christi nomine per totum orbem terrarum ^b geri, ante sæcula jam prædicta sunt, & sicut ea legimus, ita & videmus; & inde ædificamur in fidem. Factum est aliquando diluvium per totam terram, ut peccatores deleterentur: & tamen illi qui evaserunt in arca, sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant, quæ

^a Aliquot MSS. *mortalis*.
^b Abest *geri* à MSS.

quæ nunc in fluctibus sæculi natat, & per lignum crucis Christi à submersione liberatur. Prædictum est Abrahamæ fidei servo Dei, uni homini, quòd de illo esset populus nasciturus, qui coleret unum Deum inter ceteras gentes quæ idola colebant: & omnia quæ illi populo ventura prædicta sunt, sic evenerunt ut prædicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiam Christus Rex omnium sanctorum, & Deus venturus ex semine ipsius Abraham secundum carnem, quam assumsit, ut omnes etiam filii essent Abrahamæ, qui fidem ejus imitarentur; & sic est factum: natus est Christus de Maria virgine, quæ ex illo genere fuit. Prædictum est per Prophetas quòd in cruce passurus esset ab eodem populo judæorum, de cujus genere secundum carnem veniebat; & sic est factum. Prædictum est quòd resurrecturus esset; resurrexit: & secundum ipsa prædicta Prophetarum ascendit in cælum, & discipulis suis Spiritum sanctum misit. Prædictum est non solum à Prophetis, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo, quòd Ecclesia ejus per universum orbem terrarum esset futura, per sanctorum martyria passionesque disseminata; & tunc prædictum, quando adhuc nomen ejus & latebat gentes, & ubi notum erat irridebatur: & tamen in virtutibus miraculorum ejus, sive quæ per se ipse, sive quæ per servos suos fecit, dum annuntiantur hæc & creduntur, jam videmus quòd prædictum est esse completum, Regesque ipsos terræ, qui antea persequebantur christianos, jam Christi nomini subjugatos. Prædictum est etiam quòd schismata & hæreses ex ejus Ecclesia essent exituræ, & sub ejus nomine per loca ubi possent, suam, non Christi, gloriam quæsituræ; & ista completa sunt.

Num-

Hinc firmata fides eorum quæ ventura restant, iudicii ultimi & resurrectionis.

54. Numquid ergo illa quæ restant non sunt ventura? Manifestum est quia sicut ista prædicta venerunt, sic etiam illa ventura sunt, quæcumque tribulationes justorum adhuc restant; & iudicii dies, qui separabit omnes impios à justis in resurrectione mortuorum; & non solum eos qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam ipsius Ecclesiæ paleas, quas oportet usque ad novissimam ventilationem patientissimè sufferat, ad ignem debitum segregabit. Qui autem irident resurrectionem, putantes quòd caro ista quia putrescit, resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt: & ostendet eis Deus, quia qui potuit hæc corpora facere antè quàm essent, potest ea in momento restituere sicut erant. Omnes autem fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam: ut fiant æquales Angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit; & laudent eum sine aliquo defectu & sine aliquo fastidio, semper viventes in illo & de illo, cum tali gaudio & beatitudine, quali nec dici nec cogitari ab homine potest.

Lucæ 20.
36.

Cavendæ tentationes à malis etiam in Ecclesia re-
pertis.

a

b

55. Tu itaque credens ista, cave tentationes (quia diabolus quærit qui secum pereant) ut non solum per eos qui extra Ecclesiam sunt, sive pagani, sive judæi, sive hæretici, non te hostis ille seducat; sed etiam quos in ipsa Ecclesia catholica videris malè viventes, aut a immoderatos voluptatibus ventris & gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, sive spectaculorum, sive remediorum^b aut divinationum diabolicarum, sive in pom-

a MSS. immoderatis: fortè pro, in immoderatis.

b Editi, sive remediorum sacrilegorum. Abest sacrileg-

gō-

pompa & typho avaritiæ atque superbiæ, sive in aliqua vita quam lex^a damnat & punit, non eos imiteris: sed potius conjugaris bonis, quos inventurus es facilè, si & tu talis fueris; ut simul colatis & diligatis Deum gratis: quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa vita, bonitate ejus, & pulchritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis; sed sicut amatur sapientia, & veritas, ^b & sanctitas, & justitia, & caritas, & si quid aliud tale dicitur: non quemadmodum sunt ista in hominibus; sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ. Quoscumque ergo videris hæc amare, illis conjugere, ut per Christum qui homo factus est, ut esset Mediator Dei & hominum, reconcilieris Deo. Homines autem perversos, etiamsi intrent parietes Ecclesiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum calorum: quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint. Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama: quoniam nescis quid cras futurus sit, qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam: quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Quam non implet nisi qui^c donum acceperit Spiritum sanctum, Patri & Filio utique æqualem; quia ipsa Trinitas Deus est: in quo Deo spes omnis pon-

a
Societas
cum bonis.

b

Math. 22.
37. & 39.

c

Spes omnis
in Deo.

gorum, à MSS. ut illa, quæ post adhibetur, vox diabolicarum, & ad divinationum referatur, & ad remediorum.

a Corbejensis MS. lex Dei: sed additum Dei à secunda manu.

b MSS. omittunt, & sanctitas, & justitia, & caritas.

c Sola editio Lov. pro donum, habet Dominum.

nenda est. In homine non est ponenda qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille à quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum & dolorum & ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, & pro spe vitæ æternæ, & permanens toleraverit, major ei merces dabitur: quòd si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quàm possunt sustinere.

1. Cor. 12.
13.



ADMONITIO

IN LIBRUM SUBSEQUENTEM

DE MORIBUS ECCLESIE CATHOLICÆ.

IN libro primo de Moribus catholicæ Ecclesiæ dicturus Augustinus, statuit summum bonum, quòd mores nostros referri oportet, non aliud esse præter Deum. Ad ipsum porro summo amore contendendum esse, uti in catholica Ecclesia Testamenti veteris æquè ac novi auctoritate docetur. Perstringit deinde officia caritatis in proximum. Ac postremò refert exempla continentie & morum verè christianorum, quæ in catholica Ecclesia alumnis eluxerunt.

In secundo quem de Manichæorum Moribus inscripsit, refellit in primis horum hæreticorum errorem de mali origine & natura. Tum excutit tria illa oris, manuum, & sinus, ut appellabant, signacula, quibus impios mores suos obvelabant. Superstitiosam eorundem abstinentiam redarguit. Tandemque deprehensa quædam in iis flagitia commemorat.

LIB. I. RETRACT. CAPUT. VII.

1. **J**AM baptizatus autem cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem manichæorum jactantiam de falsa & fallaci continentia, vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ catholicæ: alterum de Moribus Manichæorum.

In

nenda est. In homine non est ponenda qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille à quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum & dolorum & ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, & pro spe vitæ æternæ, & permanens toleraverit, major ei merces dabitur: quòd si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quàm possunt sustinere.

1. Cor. 12.
13.



ADMONITIO

IN LIBRUM SUBSEQUENTEM

DE MORIBUS ECCLESIE CATHOLICÆ.

IN libro primo de Moribus catholicæ Ecclesiæ dicturus Augustinus, statuit summum bonum, quòd mores nostros referri oportet, non aliud esse præter Deum. Ad ipsum porro summo amore contendendum esse, uti in catholica Ecclesia Testamenti veteris æquè ac novi auctoritate docetur. Perstringit deinde officia caritatis in proximum. Ac postremò refert exempla continentie & morum verè christianorum, quæ in catholica Ecclesia alumnis eluxerunt.

In secundo quem de Manichæorum Moribus inscripsit, refellit in primis horum hæreticorum errorem de mali origine & natura. Tum excutit tria illa oris, manuum, & sinus, ut appellabant, signacula, quibus impios mores suos obvelabant. Superstitiosam eorundem abstinentiam redarguit. Tandemque deprehensa quædam in iis flagitia commemorat.

LIB. I. RETRACT. CAPUT. VII.

1. **J**AM baptizatus autem cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem manichæorum jactantiam de falsa & fallaci continentia, vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ catholicæ: alterum de Moribus Manichæorum.

In

2. In eo igitur qui est de *Moribus Ecclesie catholice*, ubi posui testimonium, in quo legitur: *Propter te afficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis*; mendositas nostri codicis me fefellit minus memorem Scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam ejusdem interpretationis alii codices non habent: *Propter te afficimur*; sed *Propter te morte afficimur*: quod uno verbo alii dixerunt, *mortificamur*. Hoc esse verius græci libri indicant, ex qua lingua in latinam secundum Septuaginta interpretes veterum divinarum Scripturarum est facta translatio: & tamen secundum hæc verba, id est, *Propter te afficimur*, multa disputans dixi, quæ in ipsis rebus non tamquam falsa improbo: verumtamen convenientiam Scripturarum veterum & novarum, quam demonstrare cupiebam, ex his dumtaxat verbis non utique demonstravi: unde autem mihi error obrepserit, dixi; ex aliis verò testimoniis eandem convenientiam sufficienter ostendi.

3. Similiter & paulò post testimonium posui de libro Sapientiæ, secundum codicem nostrum, in quo scriptum erat: *Sobrietatem enim sapientia docet, & justitiam, & virtutem*. Et secundum hæc verba disserui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inventas. Quid enim verius, quam quod sapientia doceat veritatem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putavi: & actionis prohibitam, quam per duo alia intelligi volui, per justitiam atque virtutem? Cum codices ejusdem interpretationis veriores habeant, *sobrietatem enim & sapientiam docet, & justitiam & virtutem*. His enim nominibus latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ ma-

Cap. 9.
Psal. 43.
22. &
Rom. 8.
36.

Cap. 16.
Sup. 8. 7.

ximè in ore philosophorum esse adsolent, nominavit, sobrietatem appellans temperantiam, prudentiæ imponens nomen sapientiam, fortitudinem verò virtutis vocabulo enuntians, solam justitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapientiæ suis nominibus appellatas, sicut à græcis vocantur, longè postea reperimus in codicibus græcis. Item, quod posui de libro Salomonis: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes*; in multis quidem codicibus legi, sed hoc græcus non habet: habet autem, *vanitas vanitatum*: quod postea vidi; & inveni eos latinos esse veriores, qui habent, *vanitatum*, non, *vanitantium*. Ex occasione tamen hujus mendositatis quæcumque disserui, vera esse ipsis rebus apparet.

4. Quod autem dixi: *Eum ipsum quem cognoscere volumus, hoc est Deum, prius plena caritate diligamus*: melius diceretur sincera quam plena: ne fortè putaretur, caritatem Dei non futuram esse majorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiat, tamquam plena dieta sit, qua major esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem. Erit enim plenior, imò plenissima, sed per speciem. Item quod dixi de iis qui subveniunt indigentibus, quia *misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur*; non sic accipiendum est tamquam definierim, in hæc vita esse tales sapientes; non enim dixi, cum sint, sed dixi, *etiamsi sint*.

5. Alio loco ubi dixi: *Jam verò cum hæc humana dilectio inherentem uberibus suis nutriverit & roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum, ubi ejus ma-*

Cap. 21.
Ecl. 1. 2.

Cap. 27.

Cap. 30.

*jestas ex tanta parte, quanta homini dum terræ hujus inhabitator est sufficit, aperire se cœperit, tantus caritatis ardor innascitur, & tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, & homine sanctificato atque purgato, satis appareat quàm divinè dictum sit: Ego sum ignis consumens; possunt putare Pelagiani istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere: sed non hoc putent. Ardor quippe caritatis sequendo Deo factus idoneus, & tam magnus ut vitia cuncta consumat, in hac vita nasci & crescere potest; perficere verò propter quod nascitur, ut nullum insit homini vitium, non consequenter hîc potest; quamvis tanta ista res eodem ardore caritatis perficiatur, ubi perfici & quando perfici potest. Ut quemadmodum lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas; ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc sæculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Hîc est enim lavacrum aquæ in verbo, quo mundatur Ecclesia. Sed cùm tota dicat quamdiu hîc est: *Dimitte nobis debita nostra;* non utique hîc est sine macula & ruga, aut aliquid ejusmodi: ex eo tamen quod hîc accipit, ad illam gloriam, quæ hîc non est, perfectionemque perducitur. .. Hoc opus sic incipit: *In aliis libris satis opinor egisse nos.**

Dcut. 4. 24.
Heb. 12.
29.
Caritatis
ardor.

Eph. 5. 25.
26. & 27.

Matth. 6. 12.

S.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE MORIBUS ECCLESIE
CATHOLICÆ.

LIBER UNUS.*

* Scriptus
versus ini-
tium an.
Chris. 388.

Principiò constituit Augustinus mores illos, quibus in Ecclesia sanctè vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est, Deum referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis caritatis erga proximum; ac refert demum exempla continentie, & morum vere christianorum, quæ in Ecclesia catholicæ alumnis eluxerunt.

1. **I**N aliis libris satis opinor egisse nos quemadmodum manichæorum invectionibus, quibus in Legem, quod vetus Testamentum vocatur imperitè atque impiè feruntur, seseque inter imperitorum plausus, inani jactatione ventillant, possimus occurrere: quod breviter etiam hîc commemorari à me potest. Quis enim mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique

CAPUT I.
Quomodo
detecturus
sit fucos
manichæo-
rum.

DD 2

pos-

*jestas ex tanta parte, quanta homini dum terræ hujus inhabitator est sufficit, aperire se cœperit, tantus caritatis ardor innascitur, & tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, & homine sanctificato atque purgato, satis appareat quàm divinè dictum sit: Ego sum ignis consumens; possunt putare Pelagiani istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere: sed non hoc putent. Ardor quippe caritatis sequendo Deo factus idoneus, & tam magnus ut vitia cuncta consumat, in hac vita nasci & crescere potest; perficere verò propter quod nascitur, ut nullum insit homini vitium, non consequenter hîc potest; quamvis tanta ista res eodem ardore caritatis perficiatur, ubi perfici & quando perfici potest. Ut quemadmodum lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas; ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc sæculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Hîc est enim lavacrum aquæ in verbo, quo mundatur Ecclesia. Sed cùm tota dicat quamdiu hîc est: *Dimitte nobis debita nostra;* non utique hîc est sine macula & ruga, aut aliquid ejusmodi: ex eo tamen quod hîc accipit, ad illam gloriam, quæ hîc non est, perfectionemque perducitur. .. Hoc opus sic incipit: *In aliis libris satis opinor egisse nos.**

Deut. 4. 24.
Heb. 12.
29.
Caritatis
ardor.

Eph. 5. 25.
26. & 27.

Matth. 6. 12.

S.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE MORIBUS ECCLESIE
CATHOLICÆ.

LIBER UNUS.*

* Scriptus
versus ini-
tium an.
Chris. 388.

Principiò constituit Augustinus mores illos, quibus in Ecclesia sanctè vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est, Deum referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis caritatis erga proximum; ac refert demum exempla continentie, & morum vere christianorum, quæ in Ecclesia catholicæ alumnis eluxerunt.

1. **I**N aliis libris satis opinor egisse nos quemadmodum manichæorum invectionibus, quibus in Legem, quod vetus Testamentum vocatur imperitè atque impiè feruntur, seseque inter imperitorum plausus, inani jactatione ventillant, possimus occurrere: quod breviter etiam hîc commemorari à me potest. Quis enim mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique

CAPUT I.
Quomodo
detecturus
sit fucos
manichæo-
rum.

DD 2

pos-

posse, imò id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cum à doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficiliius aperiebantur? Hoc ferè in sanctis veteris Testamenti libris evenit, si modò ille qui eis offenditur, doctorem potius eorum piium, quàm impium laceratorem requirat, priùsque studio quærentis, quàm temeritate reprehendentis imbuatur. Nec si ea discere cupiens, in aliquos fortè inciderit vel episcopos vel presbyteros, vel cujuscemodi Ecclesiæ catholicæ antistites & ministros, qui aut passim caveant nudare mysteria, aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint, desperet ibi scientiam esse veritatis; ubi neque omnes à quibus quæritur docere possunt, neque omnes qui quærent discere digni sunt. Et diligentia igitur & pietas adhibenda est: altero fiet, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.

Duo quibus
fallunt manichæi.

2. Sed quoniam duæ maximè sunt illecebræ manichæorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores; una, cum Scripturas reprehendunt, vel quas malè intelligunt, vel quas malè intelligi volunt; altera, cum vitæ castæ & memorabilis continentiæ imaginem præferunt: hic liber congruentem catholicæ disciplinæ sententiam nostram de vita & moribus continebit, in quo fortasse intelligetur, & quàm sit facilè simulare, & quàm difficile habere virtutem. Eum sanè modum tenebo, si potero, ut neque in illorum morbos qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quàm illi in ea quæ ignorant: sanari enim eos potius, si fieri potest, quàm oppugnari volo. Et ea de Scripturis assumam

res-

testimonia, quibus eos necesse sit credere, de novo scilicet Testamento; de quo tamen nihil proferam eorum quæ solent immissa esse dicere, cum magnis angustiis coartantur; sed ea dicam, quæ & approbare & laudare coguntur. Nec omninò ullam relinquam testem sententiam productam de apostolica disciplina, cui non de veteri Testamento similem comparem: ut si evigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum, & in christianæ fidei lucem adspirare voluerint, animadvertant & quàm non sit christiana vita quam ostentant, & quàm sit Christi Scriptura quam lacerant.

3. UNDE igitur exordiar? ab auctoritate, an à ratione? NATURÆ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatisque rationis adspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrimè comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem velut ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem, & sentiunt, & loquuntur, & gerunt, nihilque aliud maximè dicunt, nisi rationem priùs esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est.

4. RATIONE igitur quæramus quemad-

DD 3

MO-

CAPUT II.
Rationibus
priùs agit,
obsequens
vitiosæ manichæorum
consuetudini.

®

CAPUT III.

Beatus qui
eo fruatur
quod homi-
nis opti-
mum est.

modum sit homini vivendum. Beatè certè omnes vivere volumus, neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam plenè sit emissa, consentiat. BEATUS autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, quaecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria & beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt: nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum, & amatur, & habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præstò habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruatur eo, quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruatur, non est beatus. Præstò ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beatè vivere cogitamus.

Hominis
optimum
quid.

5. Sequitur ut quæramus, quid sit hominis optimum, quod profectò deterius esse quàm ipse homo non potest. Quisquis enim quod se ipso est deterius, sequitur, fit & ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine deterius hominis optimum. Fortasse tale aliquid erit, quale ipse homo est? Ita sit sanè, si nihil est homine melius, quo perfrui possit. Si autem invenimus aliquid quod & homine sit excellentius, & præstò esse amanti sese homini possit, quis dubita-

ve-

verit homini ad id nitendum esse ut beatus sit, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Nam si id est beatum esse, ad tale bonum pervenisse quo amplius non potest, id est autem quod dicimus optimum; quo tandem pacto potest in ea definitione includi, qui ad summum bonum suum nondum pervenerit? Aut quomodo summum est, si est aliquid melius quò pervenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet quod non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruatur non confidit, in tanto timore amittendi, beatus esse quò potest?

Duæ con-
ditiones
summi bo-
ni. 1. Ut
nihil eo
melius sit.
2. Ut tale
sit, quod
non amit-
tat invitus.

6. QUÆRAMUS igitur, quid sit homine melius. Quod profectò invenire difficile est, nisi prius considerato atque discusso, quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis à me postulandam puto. Illud est magis quod mihi hoc loco quærendum videtur, cum inter omnes penè constet, aut certè id quod satis est inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conveniat, ex anima & corpore nos esse compositos; quid est ipse homo, utrumque horum quæ nominavi, an corpus tantummodo, an tantummodo anima? Quamquam enim duo sint, anima & corpus, & neutrum vocaretur homo, si non esset alterum (nam neque corpus homo esset si anima non esset, nec rursus anima homo, si ea corpus non animaretur) fieri tamen potest, ut unum horum & habeatur homo, & vocetur. Quid ergo hominem dicimus? Animam & corpus tamquam bigas, vel centaurum; an corpus tantum, quod sit in usu animæ se regentis, tam-

CAPUT IV.
Homo quid.

DD 4

quam

quam lucernam, non ignem simul & testam, sed testam solam, tamen propter ignem appellamus: an nihil aliud hominem quam animam dicimus, sed propter corpus quod regit, veluti equitem non simul equum & hominem, sed hominem solum, ex eo tamen quod regendo equo sit accommodatus, vocamus? Difficile est istam controversiam dijudicare; aut si ratione facile, oratione longum est: quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Sive enim utrumque, sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul & animæ, aut soli animæ optimum est, id est optimum hominis.

CAPUT V.
Homin
optimum
non quod
solum cor-
poris, sed
quod ani-
mæ opti-
mum est.

7. CORPORA autem si quærimus quid optimum sit, id certa ratio cogit fateri, per quod fit ut sese corpus quam optimè habeat. Nihil est autem omnium, quæ vegetant corpus, anima melius atque præstantius. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indoloria, non vires, non pulchritudo, non velocitas, & si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam & ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, & quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, sive animam simul & corpus, sive animam solam hominem dicimus. Ut enim corporis summum bonum id invenit ratio, quod est corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur: ita sive corpus & anima, sive anima ipsa per se homo sit, inveniendum est, si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quam potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profectò quod
am-

ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

8. Aut si corpus est homo, quin hominis optimum anima ipsa sit, recusare non possum. Sed certè cum de moribus agitur, cum quærimus quinam vitæ modus tenendus sit, ut beatitudinem possimus adipisci, non corporis præcepta dantur, non corporis investiganda est disciplina. Postremò bonos mores ea nostra pars actura est, quæ inquirat, & discat; & hæc animæ sunt propria: non igitur de corpore, cum de virtute obtinenda satagimus, quæstio est. Quod si est consequens, sicuti est, ut ipsum corpus cum ab anima regitur, quæ virtutis compos est, multò & melius regatur & honestius, eoque optimè sese habeat, quo est optima illa, quæ sibi justa lege dominatur; id erit hominis optimum quod animam optimam facit, etiam si hominem corpus vocemus. An verò si mihi auriga obtemperans, equos quibus præstat alit ac regit commodissimè, atque ipse quo mihi est obedientior, mea liberalitate perfruitur; negare quisquam potest non solum quòd auriga, verum etiam quòd equi sese optimè habent, mihi deberi? Itaque sive tantum corpus, sive tantum anima, sive utrumque homo sit, non mihi maximè quærendum videtur, nisi quid animam faciat optimam: nam eo percepto, non potest homo non aut optimè, aut certè multò melius sese habere, quam si hoc unum defuisset.

9. NEMO autem dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissimè quæri potest, utrum ista virtus etiam per sese, an nisi in anima esse non possit. Oboritur iterum altissima & longissimi sermonis indigens
quæ-

CAPUT VI.
Virtus ani-
mam opti-
mam effi-
cit, virtu-
tem anima
comparat

sequendo
Deum, Dei
autem con-
secutio vita
beata.

quæstio; sed hoc bene utar fortasse compendio: spero Deum adfuturum, ut quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modo dilucide, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per se esse possit virtus sine anima, sive nisi animæ inesse non possit, proculdubio aliquid anima sequitur ut virtutem assequatur: id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si se ipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur: stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur, assequatur. Aut igitur optabit non assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius & perversius dici potest; aut cum se sequitur stulta, eandem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens; quomodo sequitur id quod non est, aut quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam; aut si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum & quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio meat, ad sapientiam pervenire.

10. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est, aut Deus. Sed supra dictum est, tale quiddam esse debere, quod inviti amittere nequeamus. Quis verò cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modo recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat, quem si sequimur, bene:

nè: si assequimur, non tantum bene, sed etiam beatè vivimus. Quem si qui esse negant, quid ego cogitem quo illis sermone suadendum sit, cum quibus utrum omnino sermocinandum sit, nescio? Quod tamen si videbitur, longè aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineundus est, quàm inpræsentiarum suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant: neque id tantum, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris divina providentia consuli existimet.

11. SED quo pacto sequimur quem non videmus; aut quomodo videmus, qui non solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quamquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cum stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perducì. Versabatur namque, non veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed fatigatione convertitur. Quàm hæc formidandum est, quàm tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirat! Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis Sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis umbrisque blandiatur.

Quid

CAP. VII.
Deus auctoritate
Scripturarum
vestigandus.

Œconomia
divinae er-
ga nostram
salutem ra-
tio & præ-
cipua mys-
teria.

Summa fi-
dei.

12. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid beneficentius, quid liberalius divina providentia dici potest, quæ à legibus suis hominem lapsum, & propter cupiditatem rerum mortalium jure ac merito mortalem sobolem propagantem, non omnino deseruit? Habet enim potestas illa justissima, miris & incomprehensibilibus modis, per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium quas creavit, & severitatem vindicandi, & clementiam liberandi. Quod quidem quam sit pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum, quam postremo, id quod quæritur, verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis & proximis incipientes, veræ religionis fide præceptisque servatis, non deseruerimus viam quam nobis Deus, & Patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præsentio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testimonio, & martyrum sanguine, & gentium occupatione munivit. Quare deinceps nemo ex me quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis submittam affatibus.

CAPUT
VIII.

Deus sum-
mum bon-
num, quò
summo a-
more ten-
dere jube-
mur.

Matt. 22.
37.

13. **VIDEAMUS** quemadmodum ipse Dominus in Evangelio nobis præceperit esse vivendum: quomodo etiam Paulus apostolus: has enim Scripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo, quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas; nec dubium est quin is erit finis, quò nos summo amore tendere jubes. *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum.* Dic mihi etiam, quæso te, qui sit diligendi modus: vereor enim ne plus minusve quam oportet inflammer desiderio, & amore Domini mei. *Ex toto, inquit, corde tuo.* Non est satis.

tis. *Ex tota anima tua.* Ne id quidem satis est. *Ex tota mente tua.* Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. Quid ad hæc Paulus? *Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.* Dicat etiam ipse dilectionis modum. *Quis ergo, inquit, nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Audivimus quid diligere, & quantum diligere debeamus: eò est omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum: alterum enim pericolosum, alterum nullum est.

14. **AGE** nunc investigemus, vel potius attendamus, præstò enim est & facillimè videtur, utrum his sententiis ex Evangelio atque Apostolo prolatis, etiam Testamento veteris auctoritas congruat. Quid dicam de superiore sententia, cum manifestum sit omnibus, eam de lege, quæ per Moysen data est, esse depromptam? Ibi enim scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Quid autem illi quod ab Apostolo dictum est, comparare de veteri Testamento possim, ne diutius quærerem ipse subjicit. Cum enim dixisset, nulla tribulatione, nulla angustia, nulla persecutione, nulla necessitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos à caritate Christi separari; statim subjunxit: *Sicut scriptum est: Quia propter te afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis.* Hæc illi solent à corruptoribus Scripturarum immissa esse dicere, usque adeo nihil habent quod

Rom. 8. 28.
Pro
συνοχῆ
legisse
videtur.
συχοπέτ

CAP. IX.
Concentus
veteris &
novi Testa-
menti de
præceptis
caritatis.

Deut. 6. 5.

Rom. 8. 38.

Ps. 43. 22.

I. Retract.
c. 7. n. 2.

quod contradicant, ut hæc miseri respondere cogantur. Sed quis non intelligat convictorum hominum aliam non esse potuisse ultimam vocem?

15. A quibus tamen quæro, utrùm istam sententiam in veteri Testamento esse negent, an non congruere sententiæ apostolicæ affirmant? At illud primum libris docebo: in hoc autem altero tergiversantes homines, & per abrupta fugientes, aut in pacem revocabo, si voluerint respicere aliquantum, & considerare quid dictum sit; aut eos intelligentia ceterorum, qui sine cupiditate iudicant, insectabor. Quid enim potest amicitius quàm istæ sibi consonare sententiæ? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita constitutum graviter afficiunt. Hæc itaque omnia verba illo uno concluduntur testimonio veteris Legis, quo dictum est, *Propter te afficimur*. Gladius restabat, qui non ærumnosam vitam affert, sed quam invenerit adimit. Huic ergo respondet, *Æstimati sumus ut oves occisionis*. Caritas verò ipsa non potuit significari expressius, quàm quo dictum est, *Propter te*. Fac ergo non in Paulo Apostolo compertum istud testimonium, sed à me esse prolatum. Numquidnam tibi demonstrandum est, hæretice, nisi aut scriptum in vetere Lege non esse, aut Apostolo non convenire? Quorum si nihil dicere audes (urgeris enim eum & codex legitur, quo planum sit scriptum esse, & homines intelligunt ad id quod Apostolus dixit, nihil posse aptius convenire) cur ergo valere aliquid putas, quòd Scripturas corruptas esse insimulare audes? Postremò quid responsurus es ei, qui tibi dicat, Ego sic intelligo, Ego sic

sic accipio, sic credo; nec ob aliud lego illos libros, nisi quòd ibi omnia christianæ fidei concinere video. Illud potiùs dic, si audes, & adversus me dicere cogitas, non esse credendum quòd Apostoli & martyres propter Christum affecti gravibus ærumnis dicuntur, quòd à persecutoribus ut oves occisionis æstimati sunt. Quod si non potes dicere, quid calumniaris in quo libro a inveniam, quod me oportere credere confiteris?

16. AN illud dicis, concedere te quidem, Deum esse diligendum, sed non illum Deum quem colunt ii, qui Testamenti veteris auctoritatem recipiunt? Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit cælum & terram. Iste namque per omnes partes illorum voluminum prædicatur: vos autem fatemini universum istum mundum, qui nomine cæli & terræ significatur, habere auctorem & fabricatorem Deum, & Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quod si dicitis colere vos, & colendum arbitrari Deum, à quo factus est mundus, non tamen eum esse quem veteris Testamenti commendat auctoritas; impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam, quam bene atque utiliter acceperimus, malè interpretari conamini: frustra omninò. Neque enim vestræ stultæ atque impiæ disputationes ullo modo cum piorum doctissimorumque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia catholica Scripturæ illæ volentibus dignisque aperiuntur, com-

CAPUT X.
De Deo
quid doceat
Ecclesia.

Duo dii
manichæorum.

a MSS. plures, in quo libro credam, & nonnulli, in quo libro scriptum credam.

parari queunt. Longè prorsus aliter quàm putatis Lex & Prophetæ intelliguntur à nobis. Desinite errare, non colimus pœnitentem Deum, non invidum, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia & scelera placeant, non possessionem suam terræ quadam particula terminantem. In has enim atque hujusmodi nugas graviter copiosèque invehi soletis. Quare nos inventio vestra non tangit; sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione pervelitis. Qua quisquis movetur & ad vos transit, non Ecclesiæ nostræ damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat.

17. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potiùs diligenter & piè, quomodo illa dicantur. Quærite, miseri: nam talem fidem, qua Deo inconveniens aliquid creditur, nos vehementiùs & uberiùs accusamus: nam & in illis quæ dicta sunt, cum sic intelliguntur ut littera sonat, & simplicitatem corrigimus, & pertinaciam deridemus. Et alia multa, quæ vos intelligere non potestis, vetat eos credere catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quamdam mentis pueritiam, in canos sapientiæ promoventur. Nam & credere Deum loco aliquo quamvis infinito, per quantitatis quæcumque spatia contineri, quàm sit stultum docetur: & de loco in locum, vel ipsum, vel aliquam ejus partem moveri atque transire, arbitrari nefas habetur. Jam verò aliquid ejus substantiæ atque naturæ commutationem vel conversionem quolibet modo pati posse si quis opinetur,

mi-

miræ dementiæ impietatisque damnabitur: ita fit ut apud nos inveniatur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur (qua opinione nihil est abjectius) sed inveniatur item multi senes, qui ejus majestatem, non solum super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inviolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. Quas ætates, non tempore, sed virtute atque prudentia discernendas esse jam dictum est. Apud vos autem nemo quidem reperitur qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat: sed rursus nemo qui a ab humani erroris labe sejungat. Itaque illi quos quasi vagientes Ecclesiæ catholicæ ubera sustentant, si ab hæreticis non fuerint b deprædati, pro suo quisque captu viribusque nutriuntur, perducunturque alius sic, alius autem sic, primùm in virum perfectum, deinde ad maturitatem canitiemque sapientiæ perveniunt, ut eis quantum volunt, vivere, ac beatissimè vivere liceat.

18. SECUTIO igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio autem ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur verò, non cum hoc omninò efficiamur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico & intelligibili modo contingentes, ejusque veritate & sanctitate penitus illustrati atque com-

TOM. I.

EE

pre-

a Lov. qui se ab humani erroris labe sejungat. At abest, se, à MSS. & à ceteris editionibus, debetque abesse: quia ibi manichæis exprobrat Augustinus, quod Deum ab humani quidem corporis configuratione liberum esse velint, non tamen ab humani erroris labe: quippe cum animam humanam, quæ utique errori obnoxia est, partem ipsius Dei esse dogmatizent: quod argumentum urget in lib. 2. de Genesi cont. Manich. c. 8. n. II.

b Vaticanus codex habet, depravati.

CAP. XI.
Deus unice
diligendus,
ideoque
summum
hominis
bonum.

®

Deut. 6. 5. prehensi. Ille namque ipsum lumen est, no-
 Matt. 22. bis autem ab eodem illuminari licet. *Maxi-
 37. mum ergo, quod ad beatam vitam ducit, pri-
 Rom. 8. 28. mumque mandatum est, Diliges Dominum
 Rom. 8. 38. Deum tuum ex toto corde tuo, & anima, &
 39. mente. Diligentibus enim Deum, omnia pro-
 cedunt in bonum. Quamobrem paulò post
 idem Paulus: Certus sum, inquit, quod ne-
 que mors, neque vita, neque Angeli, ne-
 que virtus, neque instantia, neque futura,
 neque altitudo, neque profundum, neque
 creatura alia poterit nos separare à cari-
 tate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino
 nostro. Si igitur diligentibus Deum omnia pro-
 cedunt in bonum; & summum bonum, quod
 etiam optimum dicitur, non modò diligen-
 dum esse nemo ambigit, sed ita diligendum
 ut nihil ampliùs diligere debeamus, idque sig-
 nificatur & exprimitur quod dictum est: *Ex
 tota anima, & ex toto corde, & ex tota
 mente*: quis quæso dubitaverit, his omnibus
 constitutis, & firmissimè creditis, nihil nobis
 aliud esse optimum, ad quod adipiscendum
 postpositis ceteris festinare oporteat, quam
 Deum? Item si nulla res ab ejus caritate nos
 separat, quid esse non solùm melius, sed
 etiam certius hoc bono potest?*

Deo nihil
 melius,
 Deum ne-
 mo amit-
 tit invitus,
 quæ sunt
 duæ condi-
 tiones sum-
 mi boni, su-
 pra c. 3.

19. Sed singula breviter adtendamus. Ne-
 mō nos inde separat, minando mortem. Id-
 ipsum enim a quo diligimus Deum, mori non
 potest, nisi dum non diligit Deum: cū
 MORS ipsa sit non diligere Deum, quod ni-
 hil est aliud quàm ei quidquam in diligendo

at-

a Bad. Er. Lov. & aliquot MSS. *idipsum enim quod
 diligimus* &c. Sed verit̄ editio Arn. & MSS. quatuor,
idipsum enim quo, scilicet animus, ut liquet ex hujus lo-
 cutionis interpretatione in cap. seq.

atque sequendo præponere. Nemo inde separ-
 rat, pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fon-
 te separat, pollicendo aquam. Non separat
 Angelus: non enim est Angelus, cūm inhære-
 mus Deo, nostra mente potentior. Non separ-
 rat Virtus: nam si Virtus hęc illa nominata
 est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo
 habet, toto mundo est omninò sublimior mens
 inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ
 ipsius animi nostri rectissima affectio est; si
 in alio est, favet ut jungamur Deo; si in
 nobis est, ipsa conjungit. Non separat instan-
 tes molestiæ: hoc enim leviores eas sentimus,
 quo ei unde nōs separare moliantur, arctius
 inhæremus. Non separat promissio futurorum:
 nam & quidquid boni futurum est, certius pro-
 mittit Deus; & nihil est ipso Deo melius, qui
 jam profectò bene sibi inhærentibus præsens
 est. Non separat altitudo neque profundum:
 etenim si hęc verba scientiæ fortè altitudinem
 vel profundum significant, non ero curiosus,
 ne sejungar à Deo, nec cujusquam doctrina
 me ab eo separat, ut quasi depellat errorem,
 à quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si
 verò altitudine & profundo superna & infer-
 na hujus mundi significantur; quis mihi ex-
 lum polliceatur, ut à cæli fabricatore sejun-
 gar? Aut quis terreat infernus, ut Deum
 deseram, quem si numquam deseruissem, in-
 ferna nescirem? Postremò quis me locus ab
 ejus caritate divellet, qui non ubique totus
 esset, si ullo contineretur loco?

20. *Non, inquit, separat alia creatura.*
 O altissimorum mysteriorum virum! Non fuit
 contentus dicere, *creatura*; sed, *alia*, in-
 quit, *creatura*, admonens etiam idipsum
 quo diligimus Deum, & quo inhæremus Deo,

CAPUT XII.
 Caritate
 Deo conne-
 ctimur;
 dum illi
 subjicimur.

id est, animum atque mentem creaturam esse. Alia ergo creatura corpus est: & si animus res quædam est intelligibilis, id est, quæ tantum intelligendo innotescit; alia creatura est omne sensibile, id est, quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, quasi quamdam notitiam sui præbet: atque id deterius sit necesse est, quam quod intelligentia sola capitur. Ergo cum etiam Deus dignis animis notus non nisi per intelligentiam possit esse, cum tamen sit ipsa qua intelligitur mente præstantior, quippe qui Creator ejus atque auctor est, verendum erat ne animus humanus, eo quod inter invisibilia & intelligibilia numeratur, ejusdem se naturæ arbitraretur esse, cujus est ipse qui creavit; & sic ab eo superbia decideret, cui caritate jungendus est. Fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi atque illuminandum se subjicit. Et si maxime ei propinquat subjectione ista qua similis fit, longè ab eo fiat necesse est audacia qua vult esse similior. Ipsa est ^a qua legibus Dei obtemperare detrectat, dum suæ potestatis esse cupit, ut Deus est.

21. Quanto ergo magis longè discedit à Deo, non loco, sed affectione atque cupiditate, ad inferiora quam est ipse, tanto magis stultitia miseriaque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beator atque sublimior, & illo solo dominante liberrimus. Quamobrem nosse debet se esse crea-

^a Er. Lov. & Arn. *Ipsa est qua.* At MSS. & Bad. habent, *qua*, & melius: explicatur nimirum quæ illa sit audacia, qua vult animus esse Dei similior.

creaturam. Debet enim Creatorem suum credere sicuti est, inviolabili & incommutabili semper manere natura veritatis atque sapientiae: in se autem cadere posse stultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui desiderat, confiteri. Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei caritate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, siquidem & nos ipsi creatura sumus, à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

22. DICAT nobis idem Paulus, quis iste sit Christus Jesus Dominus noster. *Vocatis*, inquit, *prædicamus Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam.* Quid, ipse Christus nonne inquit: *Ego sum Veritas?* Si ergo quærimus, quid sit bene vivere, id est, ad beatitudinem bene vivendo tendere, id erit profectò amare Virtutem, amare Sapientiam, amare Veritatem, & amare ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; Virtutem quæ inviolabilis & invicta est, Sapientiam cui stultitia non succedit, Veritatem quæ converti atque aliter quam semper est sese habere non novit. Per hanc ipse cernitur Pater; dictum est enim: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Huic hæremus per sanctificationem. Sanctificati enim plena & integra caritate flagramus, qua sola efficitur ut à Deo non avertamur, eique potius quam huic mundo conformemur. *Prædestinavit enim*, ut ait idem Apostolus, *conformes nos fieri imaginis Filii ejus.*

23. Fit ergo per caritatem ut conformemur Deo, & ex eo conformati aque configurati, & circumcisi ab hoc mundo, non

CAP. XIII.
Per Christum & ejus Spiritum jungimur inseparabiliter Deo.
1. Cor. I. 24.
Joan. 14.6.

Joan. 14.6.

Rom. 8.29.

Rom. 5. 5.

confundamur cum iis, quæ nobis debent esse subjecta. Fit autem hoc per Spiritum sanctum. *Spes enim, inquit, non confundit; quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum sanctum, nisi & ipse semper & integer & incommutabilis permaneret. Quod profecto non posset, nisi Dei naturæ esset ac ipsius substantiæ, cui soli incommutabilitas atque, ut ita dicam, invertibilitas semper est. *Creatura enim, neque hoc ego, sed idem Paulus clamat, vanitati subjecta est.* Neque nos potest à vanitate separare, veritatisque connectere, quod subjectum est vanitati. Et hoc nobis Spiritus sanctus præstat; creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.

Rom. 8. 20.

CAP. XIV.
Tribuitati
summo bono
dilectione hæ-
remus.
Rom. II. 36.

24. ^a DEUM ergo diligere debemus tri-
nam quamdam unitatem, Patrem, & Filium, &
Spiritus sanctum, quod nihil aliud dicam esse,
nisi id ipsum esse. Est enim verè summè-
que Deus, *ex quo omnia, per quem omnia,*
in quo omnia: hæc verba Pauli sunt. Quid
deinde subjicit? *Ipsi gloria.* Sincerissimè om-
nino. Neque enim ait, ipsis: nam unus est
Deus. Quid est autem, *ipsi gloria;* nisi ipsi
optima, & summa, & latè patens fama? Quan-
tò enim melius atque diffusius diffamatur, tan-
tò diligitur & amatur ardentius. Quod cum
fit, nihil aliud ab humano genere quàm certo
& constanti gradu in optimam vitam & bea-
tissimam pergitur. Non arbitror cum de mo-
ribus & vita fit quæstio, amplius esse requi-
ren-

^a Lov. & Arn. Dum ergo. restituiimus, Deum ergo. ex
MSS. & aliis editionibus.

rendum, quod sit hominis summum bonum,
quò referenda sunt omnia. Id enim esse pa-
tuit, & ratione quantum valuimus, & ea quæ
nostræ rationi antecellit auctoritate divina, ni-
hil aliud quàm ipsum Deum. Nam quid erit
aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est
beatissimum? Id autem est solus Deus, cui
hærere certè non valemus, nisi dilectione,
amore, caritate.

25. QUOD si virtus ad beatam vitam nos
ducit, NIHIL omnino esse VIRTUTEM af-
firmaverim, nisi summum amorem Dei. Nam-
que illud quod quadripartita dicitur virtus, ex
ipsius amoris vario quodam affectu, quantum
intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes,
quarum utinam ita sit ^a in mentibus vis, ut
nomina in ore sunt omnium, sic etiam defini-
re non dubitem: ut TEMPERANTIA sit
amor integrum se præbens ei quod amatur:
FORTITUDO, amor facillè tolerans omnia
propter quod amatur: JUSTITIA, amor soli
amato serviens, & propterea rectè dominans:
PRUDENTIA, amor ea quibus adjuvatur ab
eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed
hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse
diximus, id est, summi boni, summæ sapien-
tiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam
sic licet, ut temperantiam dicamus esse, amo-
rem Deo sese integrum incorruptumque ser-
vantem: fortitudinem, amorem omnia prop-
ter Deum facillè perferentem: justitiam, amo-
rem Deo tantum servantem, & ob hoc benè
imperantem ceteris, quæ homini subjecta sunt

CAP. XV.
Quatuor
virtutes
definit
christianè.

EE 4

pru-

^a Theodoricensis codex, ita sit affectus in mentibus
vestris. Arnulfensis, ita sit notitia in mentibus vestris.
Cisterciensis demum habet, ita essent effectus in menti-
bus vestris.

prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impedi potest.

CAP. XVI.
Testamen-
ti veteris &
novi con-
centus.

I. Cor. 15.
27.

Rom. 8. 35.

Ps. 72. 28.

Rom. 8. 28.

I. Cor. 1.
24.

Joan. 1. 3.

Sap. 8. 1

26. HIS de singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius testimonii novi Testamenti, quibus utor jam diu, de veteri etiam paria, ut pollicitus sum, comparavero. Num enim Paulus tantum dicit, Deo nos esse debere ^a subiectos, ita ut in medio quod separet nihil sit? Nonne & Propheta commodissime hoc & brevissime significat, cum dicit: *Mihi autem adherere Deo bonum est?* Nonne quod ibi latissime de caritate dictum est, hic uno verbo continetur quod ait, *inherere?* Item quod addidit, *bonum est*, nonne ad illud respicit, quod ibi positum est: *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum?* Ita ut una sententiola, duobusque verbis Propheta & vim & fructum caritatis ostendat.

27. Cumque ibi dictum sit, Dei Filium Dei Virtutem esse, atque Sapientiam; cumque virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinere intelligatur (unde in Evangelio duo ipsa signantur, cum dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, nam hoc operationis atque virtutis est: deinde quod ad disciplinam verique cognitionem adinet: *Et vita*, inquit, *erat lux hominum*) potuitne quidquam magis concinere his testimoniis novi Testamenti, quam illud quod in vetere dictum est de sapientia: *Adtingit autem à fine usque in finem fortiter, & disponit omnia sua-*

^a In excusis, subjectos. At in potioribus MSS. sub-
junctos.

suaviter? Namque adtingere fortiter, magis virtutem significat; disponere autem suaviter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quæ sequuntur: *Et omnium*, inquit, *Dominus dilexit illam: doctrix est enim disciplina Dei, & electrix operum illius.* Videtur hic nihil aliud de operatione dictum: non enim hoc est eligere opera, quod operari: ergo hæc ad disciplinam pertinent; opus virtuti debetur, ut sit plena, quam volumus demonstrare, sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est. *Quod si honesta est*, inquit, *possessio, quæ concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius, quæ omnia operatur?* Potestne quidquam præclarius, aut manifestius, aut verò etiam uberius proferri? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet: *Sobrietatem enim sapientia docet*, inquit, *& justitiam, & virtutem.* Sobrietas mihi ad ipsam cognitionem veri videtur pertinere, id est, ad disciplinam: justitia verò & virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est, agendi efficacia, & sobrietate contemplandi, quæ Dei Virtus & Dei Sapientia, id est, Dei Filius, dilectoribus suis donat, quid comparandum sit nescio, cum idem Propheta statim dicat, quanti sint ista pendenda: nam ita positum est: *Sobrietatem enim sapientia docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

28. Hæc fortasse quispiam non de Filio Dei dicta esse arbitretur. Quid ergo aliud ostendit, quod dictum est: *Generositatem magnificat, contubernium habens Dei?* An verò generositas solet significare aliud quam pa-

I. Retract.
cap. 7. n. 3.

Sap. 8. 3.

1. Cor. 1. 24. parentes? Contubernium verò nonnè cum ipso Patre æqualitatem clamat atque asserit? Deinde cum Paulus dicat, Filium Dei esse Dei Sapientiam; & ipse Dominus: *Nemo novit Patrem, nisi unigenitus Filius*; quid potuit à Propheta congruentius dici, quam illud quod dictum est: *Et tecum sapientia que novit opera tua, que adfuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid placiturum esset oculis tuis*? Quòd autem
- Heb. 1. 3. Christus est veritas, quod idem ostenditur cum splendor Patris nuncupatur (non est enim quidquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit) quid ergo potuit apertius & clarius ex vetere Testamento huic sententiæ consonare, quam illud quod dictum est: *Veritas tua in circuitu tuo*? Postremò dicit ipsa Sapientia in Evangelio: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: dicit Propheta: *Sensum tuum ergo quis scit, nisi tu dederis Sapientiam*? Et paulò post: *Et quæ tibi placent, didicerunt homines, & per Sapientiam sanati sunt*.
- Rom. 5. 5. 29. Dicit Paulus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: dicit Propheta, *Sanctus enim Spiritus disciplina effugiet dolum*. UBI enim dolus, caritas nulla est.
- Rom. 8. 29. Dicit Paulus: *Conformes fieri nos imaginis Filii Dei*: dicit Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Ostendit Paulus, Deum esse Spiritum sanctum, & ideo non esse creaturam: dicit Propheta: *Et miseris Spiritum sanctum de altissimis*. Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus, Trinitatem istam unum Deum esse, cum dicit: *Ipsi gloria*: dicitur in ve-
- Matt. 11. 27.
- Sap. 9. 9.
- Joan. 14. 6.
- Sap. 9. 17.
- Rom. 1. 11. 26.

teri Testamento: *Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est*. Deut. 6. 4.

30. QUID vultis amplius? Quid imperitè atque impiè sævitis? Quid indoctas animas noxia suasionè perversitatis? Utriusque Testamenti Deus unus est. Nam ut ista sibi congruunt, quæ de utroque posuimus; ita etiam cetera, si diligenter & æquo iudicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur a submissis, & humi repentibus animis accommodatius, ut per humana in divina consurgant; multa etiam figuratè, ut studiosa mens & quæsitis exerceatur utilius, & uberius lætetur inventis; vos mirifica dispositione Spiritus sancti, ad decipiendos vestros auditores & illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur divina providentia vos facere sinat, quàmque verissimè Apostolus dixerit: *Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos*; & longum est disputare, & quod dicendum est vobis, non est vestrum ista intelligere. Non parum mihi cogniti estis. Crassas omninò mentes, & corporeorum simulacrorum pestifero pastu morbidas ad divina iudicanda defertis, quæ multò altiora sunt quàm putatis.

31. Quare vobiscum modò sic agendum est, non ut ea jam intelligatis, quod fieri non potest; sed ut intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex & pura caritas Dei, quæ maximè spectatur in moribus, de

a Sic MSS. præstantiores. At editi habent, *submissis & humi repentibus animis, ut accommodatius per &c.*

b Codex Vaticanus & Cisterciensis omittunt, *multas*, quam vocem habent alii plerique tum scripti tum excusi, jamque observavimus reperiri apud MSS. in eadem Apostoli sententia relata lib. 1. de Genesi cont. Manich. c. 1.

CAP. XVII.
Apostrophe ad manicheos, ut resipiscant.

b
1. Cor. 11.
19.

de qua multa jam diximus: quæ inspirata Spiritu sancto perducit ad Filium, id est, ad Sapientiam Dei, per quam Pater ipse cognoscitur. NAM SI SAPIENTIA & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quærat, ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Nihil est occultum, quod non revelabitur.*

Matt. 7. 7.

Matt. 10. 26.

AMORE PETITUR, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sapientiæ diligentiaque quærendi, non deterremur veteri Testamento, quod semper mendacissimè dicitis, sed ad hæc vehementissimè concitatur.

Sup. 6. 13.

32. Audite itaque aliquando, & advertite quæso sine pertinaciâ, quid per Prophetam dicitur: *Clara est, inquit, & quæ nunquam marcescat sapientia, & facillè videtur ab iis qui diligunt illam, & invenitur ab iis qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se ostendat. Qui vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, citò erit securus: quia dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & omni providentiâ occurrit illis. Initium enim illius verissimam disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis est.*

in-

incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum. Itane tandem adhuc adversum ista latrabit? Nonne ita posita & nondum intellecta, cuius significant altum se quiddam & ineffabile continere? O utinam possentis intelligere quæ dicta sunt! Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, & vanissimas imaginationes corporum, totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide, sanctissimo Ecclesiæ catholicæ gremio conderetis.

33. POTERAM pro mea mediocritate discutere singula, & eruere ac demonstrare quæ accepi, in quorum excellentia & altitudine plerumque verba deficiunt: sed quamdiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est: *Nolite sanctum dare canibus.* Ne succenseatis. Et ego latravi, & canis fui, quando mecum iure non docendi cibo, sed a refellendi fustibus agebatur. Si autem in vobis esset caritas, de qua nunc agitur, vel etiam si fuerit aliquando, quantam cognoscendæ veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus qui ostendat vobis, neque apud manichæos esse christianam fidem, quæ ad summum apicem sapientiæ veritatisque perducit, qua perfrui, nihil est aliud nisi beatè vivere; neque esse uspiam, nisi in catholica disciplina. Quid enim aliud videtur Apostolus Paulus optare, cum dicit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, à quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ fortitudinem, corroborari per Spiritum in interiori homine,*

CAPUT
XVIII.
In Catholica sola perfecta veritas ex utriusque Testamenti consensu.
Matt. 7. 6.

Eph. 3. 14.

a MSS. quinque, repellendi fustibus.

habitare Christum per fidem in cordibus vestris: ut in caritate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, & longitudo, & latitudo, & profundum: cognoscere etiam supereminentem a scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei? Potestne quidquam dici manifestius?

34. Obsecro, vigilate paululum, videte Testamenti utriusque concordiam, qui sit in moribus vitæ modus, & quò sint referenda omnia, satis b aperientem & docentem. Amorem Dei concitant Evangelia, cum dicitur: *Petite, quærite, pulsate.* Concitat Paulus dicendo: *Ut in caritate radicati & fundati, possitis comprehendere.* Concitat etiam Prophetæ, cum dicit, facile sapientiam ab iis qui eam diligunt, quærunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci. Salus animi, & via beatitudinis utrarumque Scripturarum pace monstratur; & vos latrare potius adversus hæc, quàm his obtemperare diligitis. Brevi dicam quod sentio: Audite doctos Ecclesiæ catholice viros tanta pace animi, & eo voto quo vos ego audiui; nihil opus erit novem annis quibus me ludificastis. Longè omnino, longè brevius tempore, quid interitis inter veritatem vanitatemque cernetis.

35. SED tempus est ad illas virtutes quatuor reverti, & ex his singulis eruere ac ducere vivendi modum. Itaque prius temperantiam

a Sic plerique MSS. At editi habent, *supereminentem scientiam caritatis Christi.* Paulò post MSS. duo, *in omnem plenitudinem Dei.*

b Editi, *satis aperiente & docente amore Dei. Concitant &c.* At MSS. tredecim præferunt nostram lectionem, quamvis ex iis plerique sub alia vocum interpunctione.

Augustinus novem annis manichæus ab anno ætatis 19. ad 28. Vide inf. lib. 2. c. 19. Et lib. 4. Confess. c. 1.

CAP. XIX. Temperantiæ officia ex sacris literis describit.

tiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quamdam & incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus: quod est, ut brevè explicem, beata vita. Ibi enim est a sedes veritatis, cujus contemplatione perfruentes, eique penitus adherentes, proculdubio beati sumus: inde autem decedentes, magnis erroribus doloribusque implicamur. Namque, ut ait Apostolus: *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragaverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Quod peccatum animæ in veteri Testamento satis apertè, benè intelligentibus, in ipsius hominis qui erat in paradiso, prævaricatione signatur. *In Adam quippe omnes morimur*, ut ait idem, & *in Christo omnes resurgemus.* O alta mysteria! Sed reprimam me. Non enim modò suscepi docere vos recta, sed dedocere prava, si potero, id est, si Deus annuerit proposito in vos meo.

36. Dicit ergo Paulus, radicem omnium malorum esse cupiditatem, per quam etiam Lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus, ut exuamus nos veterem hominem, & induamus novum. Vult autem intelligi, Adam qui peccavit, veterem hominem; illum autem quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum.

a Bad. Am. Er. & Lov. necnon plerique MSS. habent, *Radix veri.* At Antonio Arn. magis probatur, quod in margine quarundam editionum habetur, *sedes veri.* Cui adstipulantur MSS. quinque, in quibus legitur, *sedes veritatis.*

1. Timot. 6. 10.

1. Cor. 15. 22.

Col. 3. 9.

1. Cor. 15. 47. *vum. Dicit namque alio loco: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales & terreni; qualis caelestis, tales & caelestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem caelestis: hoc est, exuite veterem, & induite novum. Omne igitur officium temperantiae, est exuere veterem hominem, & in Deo renovari: id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia & divina conferre. Unde illud sequitur quod mirificè dictum est: Si & exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.*

2. Cor. 4. 16. Pr. 50. 12. *Audi & Prophetam canentem: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Quid contra istam convenientiam dici nisi à cæcis latratoribus potest?*

CAP. XX.
Sensibilia omnia contemnere, & solum Deum amare jubemur.

37. ILLECEBRÆ autem corporis sitæ sunt in his omnibus, quæ corporeus sensus attingit, quæ à nonnullis etiam sensibilia nominantur: in quibus maximè lux ista vulgaris excellit, quia & in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum: & ideo in Scripturis sanctis, visibilium nomine sensibilia cuncta a significantur. Itaque in novo Testamento sic ab istorum amore prohibemur: *Non respicientes, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, aeterna.* Ex quo intelligi potest, quàm christiani non sint, qui solem & lunam non modo diligendos, sed etiam colendos putant. Quid enim videmus, si solem & lunam non videmus? Veriti autem

* Manichæi.

a In MSS. octo, deputantur, in aliis tribus, damnantur.

sumus converti ad ea quæ videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei, qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus, quo de istis diligentius requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere institui, per quam mereamur scire quod credimus. AMANDUS igitur solus Deus est: omnis verò iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda: utendum autem his ad hujus vitæ necessitatem.

38. GLORIA vero popularis sic in novo Testamento abjicitur atque contemnitur: *Si hominibus, inquit, placere vellem, Christi servus non essem.* Est item aliud quod de corporibus per imaginationes quasdam concipit anima, & eam vocat rerum scientiam. Quamobrem rectè etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est: *Cavete ne quis vos seducat per philosophiam.* Et quia ipsum nomen philosophiæ si consideretur, rem magnam a totoque animo appetendam significat, siquidem philosophia est amor studiumque sapientiæ, cautissimè Apostolus ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subjecit, & *elementa hujus mundi.* Sunt enim qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimèque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso cælo, de quo sæpè disputant, sibi habitare videantur. Repri-

CAP. XXI.
Gloria popularis & curiositas sacris litteris damnata.
Gal. 1. 10.
Col. 2. 8.

TOM. I. FF mat
a MSS. meliores notæ, totamque. Porro in aliis habetur ut in editis, totoque animo.

mat igitur se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus, aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quòd præcipitur, cavendum esse à simulacris.

1. Joan. 2.
15.

Rom. 12. 2.

Ecc. 1. 2.

1. Retract.

e. 7. n. 3.

39. Huic ergo auctoritati novi Testamenti, qua jubemur nihil mundi hujus diligere, illa maximè sententia qua dictum est: *Nolite conformari huic mundo* (simul enim demonstrandum est ei rei quemque conformari quam diligit) huic ergo auctoritati si de veteri Testamento quæram quid comparem, plura quidem invenio, sed unus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissimè in summum contemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole?* Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis qui hunc mundum fugere, & refugere in Deum desiderant: sed longum est, & aliò festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exsequitur omnia, vanitantes esse eos qui rebus hujusmodi falluntur. Id ipsum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quòd Deus ista non creaverit, sed quia subijcere se homines volunt iis rebus per peccata, quæ illis per rectè facta divina lege subjectæ sunt. Quid est enim aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam te ipso in-

feriora, miranda & appetenda arbitrari? **HABET IGITUR VIR TEMPERANS** in hujuscemodi rebus mortalibus & fluentibus, **VITÆ REGULAM** utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. Hæc dicta sint de temperantia pro rerum magnitudine breviter; pro instituto tamen opere fortasse copiosius quam oportebat.

40. DE fortitudine verò non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vinculum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum: **QUO NIHIL** est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiat atque vexetur, laboris & doloris; ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo benè atque scienter utatur, resurrectionem reformationemque ejus ope ac lege divina sine ulla molestia juri suo subditam fore: sed cum a se hoc amore tota in Deum converterit, his cognitis mortem non modò contemnet, verum etiam desiderabit.

41. Sed restat cum dolore magna conflictio. **NIHIL** est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo

FF 2

cum

a MSS. tres. Sed cum hunc amorem totum in Deum convertit.

CAP. XXII.
Fortitudinem præstat amor Dei.

cum se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innitur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinet esse fortiores; cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur a indefesso cursu per immania quæque tendentis; argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant, perferunt.

CAPUT
XXIII.

Fortitudinis
multa
& exempla
ex Scripturis.

Rom. 5. 34.

* Job.

42. QUID ergo hinc non Testamenti auctoritates colligam, ubi dictum est: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem*: & non solum dictum, sed etiam exemplis eorum, qui dixerunt, probatum atque firmatum? De veteri potius Testamento, in quod illi rabidè sæviunt, excitabo exemplum patientiæ. Neque illum memorabo virum*, à quo in magnis cruciatibus corporis & horribili tabe membrorum, non modò sustententur humana, sed divina etiam disputantur. In cuius singulis vocibus satis elucet, si quis æquo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium servi fiunt, dum imperitè Domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes divitias, & factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit & infixum Deo, ut satis demonstraret, non illas sibi fuisse

a MSS. quindecim, deslexo cursu.

fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. MULTO enim mirabilius est, non inhaerere istis quamvis possideas, quam omninò ea non possidere.

43. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet invictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturæ illæ stupendæ fortitudinis feminam, & ad eam jam me transire compellunt. Quæ cum septem liberis tyranno atque carnifici prius viscera omnia, quam unum verbum sacrilegum impendit: cum ejus hortatione filii roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre præceperat. Quid ad tantam patientiam, quæso, addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat? An non audierat: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus?* Non audierat: *Melior vir patiens fortissimo?* Non audierat: *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine; & in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne probatur aurum & argentum?* Non audierat: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis?* Imò verò, & hæc & alia plura perceperat, quæ uno sancto Dei Spiritu, ut in istis novi Testamenti, sic in illis, qui soli adhuc erant, libris divina præcepta fortitudinis conscripta sunt.

44. QUID de justitia quæ ad Deum perti-

FF 3

CAPUT
XXIV.
De Justitia
&

2. Mach.
7. 1.

Psal. 115.
15.
Prov. 16.
32.
Eccel. 2. 4. 5.

Eccel. 27. 6.

& Prudentia.

Mut. 6. 24.

Rom. 1. 25.

Deut. 6. 13.

tinet? Nonne cum & Dominus dicat: *Non potestis duobus Dominis servire*, & Apostolus redarguat eos, qui creaturæ potius quam Creatori serviunt; in veteri Testamento prius dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*? Sed quid opus est hinc plura dicere, cum sententiis talibus ibi plena sint omnia? Hanc ergo iustitia vitæ regulam dabit huic amatori, de quo sermo est, ut Deo quem diligit, id est, summo bono, summæ sapientiæ, summæ a paci libentissimè serviat; ceteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. Quæ norma vivendi, ut docuimus, utriusque Testamenti auctoritate roboratur.

45. Nec de prudentia diutius disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum & vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Hujus autem sunt excubiæ atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasionem fallamur: unde sæpè Dominus: *Vigilate*, clamat: & *Ambulate*, inquit, *dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant*. Itemque dicitur: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit*? Quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod à Propheta dictum est: *Qui spernit modica, paulatim decidet*? De qua sententia si opportunum esset festinantibus, copios-

Matt. 24.

42.

Joan. 12.

35.

1. Cor. 5. 6.

Ecl. 19. 1.

a MSS. quatuor, summæ potentie. At alii codices habent, paci: qua voce, Spiritum sanctum idemtidem designat Augustinus, ut rursus infra cap. 30.

sissimè a disputarem: atque id si à nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstrarem, quàm sint alta mysteria, quæ imperitissimi & sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt.

46. QUID ampliùs de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis; sequitur profectò, quoniam summum bonum appetere, est benè vivere, ut nihil sit aliud benè vivere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: à quo existit, ut incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ; & nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii serviat, quod est iustitiæ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio, qua sola impetrat ut veritatis sinceritate perfruatur: hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadet. Quid adhuc Scripturis, quas ignoratis, calumniamini? Nescitis quanta imperitia lacessatis libros, quos & soli reprehendunt, qui non intelligunt, & soli intelligere nequeunt, qui reprehendunt? Non enim eos aut ullus inimicus cognoscere sinitur, aut esse nisi amicus cognitis potest.

47. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicumque ad vitam æternam pervenire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus: nec præmium potest præcedere merita, priusque homini dari quàm dignus est. Quid enim hoc injustius, & quid

FF 4

a In MSS. aliquot habetur, disputare.

CAPUT
XXV.
Officia

quatuor
virtutum
circa Dei
amorem,
cujus amoris
præmi-
um est æ-
terna vita
& cognitio
veritatis,

Joan. 17. 3.

justius Deo? Non ergo debemus pōscere prēmium antequam mereamur accipere. Hic fortasse non incongruē quæritur, æterna ipsa vita quid sit. Sed ejus largitorem potius audiamus. *Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Æterna igitur vita est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quam sint perversi atque præposterī, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, ut perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit præmium. QUID ERGO agendum est, quid quæso, nisi ut eum ipsum quem cognoscere volumus, prius plena caritate diligamus? Unde illud exoritur, quod ab initio satagimus, NIHIL in Ecclesia catholica salubrius fieri, quam ut rationem præcedat auctoritas.

I. Retract.
cap. 7. n. 4.CAPUT
XXVI.
Dilectio
sui & pro-
ximi.

48. SED cetera videamus: videtur enim de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum; sed parùm dilucidè qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, ut se ipsum, qui Deum diligit, non diligat: imò verò SOLUS SE NOVIT diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero perfruatur bono: quod si nihil est aliud quàm Deus, sicut ea quæ dicta sunt docuerunt, quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei? Quid, inter ipsos homines nullumne esse amoris vinculum debet? Imò verò ita debet, ut NULLUS CERTIOR gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quam hominis erga hominem caritas.

49. Promat nobis ergo alterum præceptum ipse Dominus, de vitæ præceptis interrogatus: non enim contentus fuit uno, qui sciret aliud Deum esse, aliud hominem: atque

in.

interesse tantum, quantum inter eum qui creavit, & id quod ad Creatoris similitudinem creatum est. Dicit ergo secundum præceptum esse: *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. NON enim eum diligis tamquam te ipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis a, adducere satagis. ILLUD est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem in primis est, ut benevoli simus, id est, ut nulla malitia, nullo dolo malo adversus hominem utamur. Quid enim homini homine propinquus?

50. Accipe etiam quid Paulus dicat: *Dilectio*, inquit, *proximi malum non operatur.* Brevissimis utor testimoniis, sed, nisi fallor, idoneis, & quibus susceptæ rei satis fiat: nam quis ignorat quàm multa, & quanti ponderis verba in illis libris de caritate proximi usquequaque diffusa sint? Sed cum duobus modis peccetur in homine, uno si lædatur, alio si cum potest non adjuvetur; eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit, facit: satis, opinor, quod volumus demonstrat ista sententia, *dilectio proximi malum non operatur.* Et si ad bona pervenire non possumus, nisi mala operari destiterimus, ista sunt quasi CUNABULA CARITATIS DEI, quibus diligimus proximum: ut quoniam *dilectio proximi malum non*

Matth. 22.
39.

a

Rom. 13.
10.

a MSS. quamplures, ad quod ipse tendis, adducis.

non operatur, hinc ad illud ascendamus quod dictum est: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.*

51. Sed nescio quomodo aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, & prius perficitur proximi. Ad incipiendum enim citius nos fortasse in se divina caritas rapit, sed facilius minora perficimus. Quoquo modo autem res se habeat, illud maximè tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem, & ad Deum quem diligit esse venturum. Atque utinam ut facile est bene instituto & benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo uti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror, difficillima, tentabimus dicere pro suscepto opere pauca quædam, spem totam constituentem in eo, cujus solius ista dona sunt.

CAPUT
XXVII.
Beneficentia in corpore proximi.

52. HOMO igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis bene facit, qui proximum diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est: ad animam autem, disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantum quæ ars eorum exhibet, qui propriè medici nominantur; sed etiam cibus & potus, tegmen & tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus adversus etiam externos ictus casusque servatur: nam & fames, & sitis, & frigus,

gus, & æstus, & quidquid extrinsecus graviter infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt.

53. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiosè atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum esurienti cibum præstat potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiam si id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria.

I. *Retract.*
cap. 7. n. 4.

54. Stulti verò cum misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, si nec perturbatione commoventur, congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaque multò prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur: qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis, qui sese idoneos religione studioque præstiterint: ne cum verbis doctorum ineptè utimur, indoctorum animas prius durescere vitando misericordiam, quam benignitatem appetendo mitescere faciamus. Atque ut misericordia jubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

55. QUOD autem adinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ

CAPUT
XXVIII.
Beneficentia
si

fia in ani-
mam pro-
ximi.

si absit, nihil ad depellendas miserias salus illa corporis valet, difficillima omninò res est. Atque ut in corpore dicebamus, aliud esse morbos & vulnera curare, quod pauci homines benè facere possunt; aliud autem famem sitimque sopire, & cetera in quibus subvenire hominem homini vulgò passimque conceditur: sic in animo sunt quædam, in quibus excellentia illa & rara magisteria non admodum desiderantur; ut cum hortamur & monemus, ut hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus, ope corpori; cum autem docemus ut fiant, disciplina animo subvenimus. Sunt verò alia, quibus multimodi varique morbi animorum, magna quadam & prorsus ineffabili ratione sanantur: quæ medicina nisi divinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressionem peccantibus: quamquam & illa corporis, si altius rerum originem repetas, non invenitur unde ad homines manare potuerit, nisi à Deo, cui rerum omnium status salusque tribuenda est.

Disciplina
partes duæ,
coërcitio
& instruc-
tio.

56. Hæc tamen disciplina de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur, coërcitionem, & instructionem. Coërcitio timore, instructio verò amore perficitur, ejus dico, cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia fit omninò ut aliquid simus, duobus Testamentis veteri, & novo, disciplina nobis regulam dedit. Quamquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in veteri timor, amor in novo: a quæ ibi ser-

vi-

a Ita MSS. At excusi habent, quia ibi sero itus, &c.

vitus, hæc libertas ab Apostolis prædicatur. De quorum Testamentorum admirabili quodam ordine divinoque concentu, longissimum est dicere, & multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, ut pro merito, quantum ab homine potest, explicari & prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest ut salvus corpore, salvusque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primò timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

Per bonos
mores no-
bis prove-
nit agnitio
veritatis.

57. Atque in his duobus convenit mihi cum manichæis, id est, ut Deum & proximum diligamus; sed hoc veteri Testamento negant contineri: in quo quantum errent, satis, ut opinor, apparet ex iis, qua superius protulimus de utroque sententiis. Verumtamen ut breve aliquid dicam, sed tale cui resistere sit meræ dementia; nonnè animadvertunt hæc ipsa duo, quæ laudare coguntur^a, quàm importunissimè à Domino in Evangelio de veteri Testamento esse prolata negent, ubi scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: vel illud alterum: *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum?* Aut si hæc negare non audent (premutur enim luce veritatis) illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri negent si possunt, & dicant non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi; neque di-

Deut. 6. 5.

Matt. 22.

37.

Lev. 19.

18.

Rom. 8. 28.

Rom. 13.

10.

^a MSS. plerique, quamquam, tum allqui subjiciunt, oportunitissimè, ac paulò post alii, ibi esse scriptum; alii verò habent, ubi esse scriptum.

diligentibus Deum omnia procedere in bonum, neque dilectionem proximi malum non operari; quibus duobus saluberrimè atque optimè humana vita disponitur. Quæ si dicunt, non solum illis cum christianis, sed nec cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent, cogunturque confiteri esse divina, quid eos libros unde ista prolata sunt impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt?

58. An illud dicturi sunt, non esse consequens, ut omnia ibi bona sint, ubi hæc invenire potuimus? nam hoc solent dicere. Cui ego tergiversationi quid respondeam, & quemadmodum occurram, non facilè video. Discutiannè verba singula veteris Testamenti, ut in his summam cum Evangelio esse concordiam pervicacibus indoctisque demonstrem? Sed quando istud erit? Quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deseramnè causam, & eos in sententia quamvis improba & falsa, tamen difficili ad dissolvendum delitescere sinam? Non faciam: aderit de proximo Deus ipse, cujus illa præcepta sunt; nec me in tantis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

CAPUT
XXIX.
De Scripturarum
auctoritate.

59. QUAMOBREM adestote animis, manichæi, si qui fortè illa superstitione ita tenemini, ut evadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistendi: nam aliter vobis perniciosissimum est judicare. Certè enim nemini dubium est, nec aversi vos ita estis à vero, ut non intelligatis, si diligere Deum & proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quidquid in his duobus præceptis pendet, vituperari jure non posse. Quid ergo in iis pendeat, ridiculum est si à me quærendum esse putas: ipsum Christum

tum audi, audi, inquam, Christum, audi Dei Sapientiam: *In his, inquit, duobus præceptis tota Lex pendet, & omnes Prophetae.* Matt. 22.
40.

60. Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse? At in Evangelio verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, numquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, & omnium qui memoriæ mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiæ quidem vulgaris fidem possit, gravitatemque obtinere. Postremò quid de Scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque proferatur?

61. Illud verò quis ferre possit, quod nos notissimis ac jam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, & iis quæ ipsi proferunt, imperant ut credamus? Si de Scriptura dubitandum est, de qua magis quam quæ diffamari non meruit, quæve potuit sub nomine alio tota mentiri? Si istam obdis invito, & auctoritatis a exaggeratione cogis in fidem; ego ne de illa, quam constanter latissimè divulgatam video, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione munitam, dubitabo mi-

a Theodericensis codex, & auctoritatis ratione cogis exigere in fidem. Alii sex, & auctoritatis exaggerare rationem cogis in finem.

miser, & quod est miserius, te auctore dubitabo? Cum si exemplaria proferres altera, tenere non deberem, nisi ea quæ plurium consensione commendarentur: nunc nihil te proferente quod conferas, præter inanissimam vocem temeritatisque plenissimam, putabis usque adeo genus humanum esse perversum, & divinæ providentiæ ope desertum, ut illis Scripturis, non à te prolatis alias quibus redarguantur, sed tua tantum verba præponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed tamen incorruptus & verior, ubi sola desint ea quæ hic immissa esse criminariis. Ut si, verbi causa, Pauli epistolam, quæ ad Romanos scripta est, corruptam esse contendis, aliam proferas incorruptam, vel alium codicem potius, in quo ejusdem Apostoli eadem epistola sincera & incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corruptisse credar: hoc enim soletis dicere; & verum dicitis: nihil prorsus aliud suspicabuntur vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse, quid de auctoritate tua judicaveris: & intellige utrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici, ob hoc solum quod abs te profertur, magnæ temeritatis est credere.

CAPUT
XXX.
Apostrophe
ad Eccle-
siam totius
sapientiæ
magistram.

Deut. 6. 5.
Matt. 22.
37.

62. SED quid hinc plura? Quis enim non videat eos, qui contra Scripturas christianas hæc audent dicere, ut illud non sint quod homines suspicantur, certè tamen non esse christianos? Nam christianis hæc data est forma vivendi, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, deinde proximum nostrum tamquam nosmetipsos: *In his enim duobus præceptis tota Lex pendet, & omnes Prophetæ.*

Me-

Merito Ecclesia catholica, mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur; & ab illa incorrupta & inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori, neque confundens, quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursus separans quod majestas una conjungit: sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.

63. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, prout cujusque non corporis tantum, sed & animi ætas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem, casta & fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliores sexum, sed sinceri amoris legibus præficias. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docēs adherere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, & ad consulendum quam

TOM. I.

GG

coer-

Doctrina
catholicæ
Ecclesiæ.

coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, & prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus a cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus caritas, & nulli debeatur injuria.

64. Jam verò cum hæc humana dilectio inhaerentem uberibus tuis nutriverit & roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum; ubi ejus majestas ex tanta parte quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se ceperit; tantus caritatis ardor innascitur, & tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, & homine purgato atque sanctificato, satis appareat, quam divinè dictum sit: *Ego sum ignis consumens: & Ignem veni mittere in mundum.* Quæ duæ voces unius Dei in duobus Testamentis signatæ, sanctificationem animæ concorditer adtestatione declarant, ut fiat aliquando illud quod item in novam Scripturam de veteri assumptum est: *Absorta est mors in victoriam.*

2. Cor. 15. *Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?* Quod unum isti hæretici intelligere si valerent, nusquam profectò Deum nisi apud te atque in tuo gremio, minimè superbi & benè pacati venerentur. Meritò apud te divina præcepta latè diffusèque servantur.

Me-

2 Codices aliquot habent, *coërtio*, sive, *coërcitio*.

Meritò apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita, quam incognita lege peccare. *Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex a*, qua gravius feriat & interimat contemti præcepti conscientia. Meritò apud te visum est, quam sit SUB LEGE operatio vana, cum libido animum vastat, & cohibetur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur. Meritò tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrant, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemtu etiam solitudo delectet.

65. QUID est, quæso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, & tamen possunt hominem non videre? Profectò illud quidquid est, præstantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. Jam enim accipite, manichæi, perfectorum christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tantum, sed etiam capesenda visa est, mores & continentiam singularem; ne vos impudenter jactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentia hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere?

66. Nihil de iis dicam quos paulò antè commemoravi, qui secretissimi penitus ab

CAPUT XXXI. Manichæorum continentia opponit Anachoretarum & Cœnobaritarum vitam.

®

GG 2

om-

a MSS. quatuor, quod gravius feriat. Sorbonici tres, aliique duo, quàm grave feriat

omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfrenes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum & supervacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui nos sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri quæ potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam & continentiam sanctissimorum catholicæ fidei christianorum, ut restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines revocanda videatur: usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur.

Cœnobitæ.

67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt? viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla perveracia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, paucati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, &

& à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos decanos vocant, eo quod sint devis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut adsolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, & præstò facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, a rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem appellant. Hi verò patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum patrem, & conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, b vel modesto & omni clamore vacuo gaudio significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati satis est, coërcente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat vel in ea ipsa, quæ præstò sunt parca &

GG 3 vi-

a Plerique codices habent, *traditionem*, pro quo Latinus Latinus & Antonius Arn. legendum putarunt, *rationem*. Sic porro legitur in MSS. Vaticano, & in editione Bad.

b Editi, sed *modesto & clamore vacuo gaudium significantes*, sed concinnior MSS. lectio hic restituta.

* Manichæis. vilissima. Ita non solum à carnibus & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tanto concitatiùs ventris & gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora * nonnullis videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpiterque defendi. Sanè quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundant, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

Sanctimoniales.

68. Hæc est etiam vita feminarum Deo sollicitè castèque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quàm longissime decet, pia tantum illis caritate junguntur & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo; & vereor ne judicare videar per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Hæc, manichæi reprehendite, si potestis. Nolite cæcis homi-

ni-

nibus, & discernere invalidis, ostentare nostram zizaniam.

69. NEQUE tamen ita sese angustè habent Ecclesiæ catholicæ mores optimi, ut eorum tantum vita, quos commemoravi, arbitrer esse laudandos. Quàm enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quàm multos presbyteros, quàm multos diaconos, & cujuscemodi ministros divinatorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior & majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsumunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, & prius toleranda quàm sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum atque tranquillam. Quippe, ut breviter explicem, hi agunt, ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

70. NEC ideo tamen laudabile christianorum genus contemserim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt, à vulgari vita remotissimi. Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia & divina scientia præpollentes, ceteris secum habitantibus præsumunt, christiana caritate, sanctitate, & libertate viventibus: ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usque-

GG 4

qua-

CAPUT
XXXII.
Clericorum
laus.

CAPUT
XXXIII.
Aliud genus in civitate simul
viventium.

Jejunia tri-
duana.

quaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis; quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quærantibus, præsumt singulæ gravissimæ probatissimæque, non tantum in^a instituendis componendisque moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ.

71. Atque inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur à ceteris, quod in eis se imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit caritas: meminerunt: *Omnia munda mundis; & Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit.* Itaque non rejiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis industria. Meminerunt: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & illas destruet.* Et alibi: *Neque si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, egebimus.* Et illud præ ceteris: *Bonum est, fratres, non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur.* Hic enim ostendit quam sint ad finem caritatis hæc omnia dirigenda. *Alius enim credit manducare omnia; qui autem infirmus est, olus, inquit, manducet. Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum as-*

^a In MSS. plerisque hæc desunt, in instituendis componendisque moribus.

sumit. Tu quis es, qui iudices alienum servum? Suo Domino stat, aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere eum. Et paulo post: *Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo, & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Et item in consequentibus: *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo amplius iudicemus invicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Potuit ne magis ostendere, non in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quamdam, quæ ad eum valeat maculandum; & propterea iis etiam, qui ad hæc contemnenda sunt idonei, certòque sciunt non se pollui, si quid ciborum sine turpi cupiditate altitudine mentis assumerint, caritatem tamen esse intuendam? Vide quid sequatur: *Nam si propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulat.*

72. Lege cetera, nam longum est omnia interponere, & invenies præceptum iis, qui possunt ista contemnere, id est, firmioribus & securioribus, ideo tamen esse temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate hujuscemodi opus est temperantia. Hæc illi de quibus agebam norunt & tenent: christiani sunt enim, non hæretici: intelligunt Scripturas secundum apostolicam disciplinam, non secundum superbum & commentitium nomen^a Apostoli. *Non man-*

^a Editi, *Apostolatus.* MSS. nonnulli, *Apostolus. Ge-*
me-

ducantem nemo spernit, manducantem nemo iudicat: qui infirmus est, olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt: multis non est causa ista faciendi, sed quod villore victu vivere placet, minimeque sumtuoso corporis sustentaculo aetatem tranquillissimam ducere. *Omnia enim mihi licita sunt*, inquit, *sed ego non redigar sub potestate ullius*. Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiosè putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen a eo se coinquinari arbitrantur: nam & quibusdam languidioribus, & prorsus omnibus qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissimè ac modestissimè præberi faciunt. Et stultè nonnullos recusantes, fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum discipulo præcipientem, ut aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas. Ita pietatem sedulò exercent: corporis verò exercitationem, ut ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere noverunt.

1. Cor. 6.
12.

73. Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, & à carnibus & à vino duas ob causas: vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Caritas præcipuè custoditur; caritati vic-

1. Tim. 5.
23.

1. Tim. 4. 8.

meticensis codex, *Apostoli*. Scilicet alludit Augustinus ad epistolas Manichæi, quarum omnium exordium istud erat: *Manichæus Apostolus Jesu Christi*, &c. Ut dicitur in lib. 13. contra Faustum c. 4.

a MSS. octo, nec tamen eos qui bibunt coinquinari arbitrantur.

victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque caritatem: hanc violare tamquam Deum nefas ducitur: huic si a quid resistit, expugnatur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse à Christo & Apostolis, ut si hæc una desit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia.

74. ISTIS, manichæi, si potestis, obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, & cum contumelia nominatè: istorum jejuniis vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, caritatem denique caritati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte. Jam videbitis quid inter ostentationem & sinceritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem, inter beatitudinem & miseriam, inter unitatem & concissionem, postremò quid inter superstitionis sirenas & portum religionis intersit.

75. Nolite mihi colligere professores nominis christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consecrari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut oblitii sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas

a Ita in MSS. At in editis habetur, si quis resistit, & mox, si quis offendit.

CAPUT
XXXIV.
Ex malorum christianorum moribus non vituperandam Ecclesiam.

Sepulcrorum & picturarum adoratores.

suas deputent religioni. Novi multos esse, qui renuntiaverunt verbis huic sæculo, & se omnibus hujus sæculi molibus opprimi velint, oppressisque latentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quod non vobis desint quorum vita vituperata decipiatis incautos, & à catholica salute avertatis; cum in vestra a paucitate magnas patiamini angustias, dum à vobis exigitur vel unus ex iis quos electos vocatis, qui præcepta illa ipsa custodiat, quæ irrationabili superstitione defenditis. Sed & illa quam vana sint, quam noxia, quam sacrilega, & quemadmodum à magna parte vestrum, atque adeo penè ab omnibus vobis non observentur, alio volumine ostendere institui.

76. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinat, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet. Sed quicumque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si jam propter ipsum christianum nomen magis in palea quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget, & à frumentis paleam separet, & singulis partibus pro suo cuiusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat.

VOS

^a Editi præferunt, *paupertate*, excepto Bad. qui cum MSS. habet, *paucitate*.

77. VOS interea quid sævitis, quid ex-cæcaminis studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quærите: apparebunt facillè, seseque offerent ipsa quærētibz. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab optimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus, quamvis paucioribus notus, quæ possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut invenire non vultis. Sunt in Ecclesia catholica innumera-biles fideles, qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tanquam non utentes, ut ab Apostolo dicitur, quod illis temporibus jam probatum est, quibus ad idolorum cultum christiani cogebantur. Quot enim tunc a pecuniosi homines, quot patresfamilias rustici, quot negotiatores, quot militares, quot primates urbium suarum, quo denique senatores, utriusque sexus, hæc omnia vana & temporalia relinquentes, quibus utique quamvis uterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstraveruntque infidelibus à se potius illa omnia, quam se ab eis esse possessos.

78. Quid calumniamini, quod fideles jam baptismate renovati, procreare filios & agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit: post multorum quippe vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt: *Et hæc quidem fuistis, inquit, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in*

CAPUT XXXV. Conjugium & possessiones baptizatis etiam concessa per Apostolum.

1. Cor. 7. 31.

1. Cor. 6. 12.

no-

^a Sic Bad. & plerique MSS. At Er. Lov. & Arn. *par-niciost*.

nomine Domini Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Ablutos proculdubio, & sanctificatos nemo nisi fideles, & eos qui huic mundo renuntiaverint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus utrum his illa permittat. Ita enim sequitur: *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & has & hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus vero suscitavit Dominum, & nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adheret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adheret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Emti enim estis pretio magno; glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

1. Cor. 7. 1. De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem,

ni-

nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.

79. Satisne vobis videtur Apostolus, & fortibus demonstrasse quid summum sit, & imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non adtingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait: *Vellem omnes homines esse sicut me ipsum.* Huic autem summo conjugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia conjugibus uruntur? Quandoquidem hac castitate conjugii, & ex se invicem ipsos qui conjuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, & eam quæ inde nascitur prolem sanctificari dixit. *Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in muliere fidei, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? Quid lucem Scripturarum vanis umbris obnubilare conamini?

80. Nolite jam dicere, catechumenis licere uti conjugibus, fidelibus autem non licere; catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam & multi sunt qui utuntur tamquam non utentes. Et illo sacrosancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius: à multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non ini-

mi-

micè, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus, *etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit ut perficiatur, & vos à perfectione vultis incipiat. Quod utinam velitis: sed quæritis potius, non unde erigatis invalidos, sed unde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tanta dicere audacia, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cùm verò noverit vestra conscientia eos quos in sectam vestram introducitis, cùm vobis familiarius jungi cœperint, multa inventuros quæ in vobis esse, cùm alios accusaretis, nemo suspicabatur; quæ tanta impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quærere, ut inde imperitos avertas, & eam nullo modo apud te iis quos averteris exhibere? Sed ne quid in vos temerè jam videamur effundere, iste sit hujus voluminis modus, ut ad demonstranda præcepta vitæ vestræ, moresque memorabiles aliquando veniamus.

AD-

✻—————✻

ADMONITIO

IN LIBRUM

DE AGONE CHRISTIANO.

ADSCRIBENDUS iste liber anno Domini supra trecentimum aut nonagesimo sexto, aut nonagesimo septimo. Nam tertio loco positus in Retractationum libro secundo reperitur, inter illa Opuscula, quæ Augustinus post susceptum episcopatum (quod minus exeunte anno 395. indeptus est) prima confecit. Enimverò in capite 29. ubi christianos deterret atque avocet à Donatistarum schismate, quod varias in partes discissum merito fuisse observat, ut quomodo Christum dividere conatus erat, sic ipse à suis Donatus quotidiana concisione divideretur: illic tamen ad causæ utilitatem non trahit, quod Prætextatum & Felicianum Donatistæ, utrumque propter scelera à se percelebri sententia concilii bagajensis ejectum, recepissent postea in suam communionem: tametsi isthæc receptio circa initium anni 397. contigerit. Neque verò parum id momenti habet ad roborandam opinionem, quam in 2. Tomi præfatione, cum de etate Epistolæ 71. ad Paulinum scriptæ diceremus, liberam esse volumus de libris ad Simplicianum, quos referre solent ad annum 397. ut eos scilicet libros (quando quidem in Retractationibus ante Opus

Tom. I. HH de

de Agone recensentur) ad annum 396. revocare liceret.

De Agone Christiano librum appellavit Augustinus, quia christianos ad pugnam cum diabolo erudit. Invisibilem hostem debellari docet recta fide, & probis moribus. Quapropter monet in primis, ut contra cupiditates decertemus, & corpus nostrum servituti, nosque ipsos Deo subjiciamus. Deinde verò quia subijci Deo per fidem incipimus, ad catholicae fidei Regulam, reiectis contrariis heresibus, tenendam cohortatur. Præcipuas quasdam hæreticorum sectas hic nominat: sed contra manichæos præsertim fecisse librum videtur, ut ab illa stollida æquè ac sacrilega heresi plebem averteret. In eos est non tantum prima pars libri, qua explodit horum somnia de pugna Gentis tenebrarum rebellantis adversus Deum; sed altera etiam pars, qua fidei christianæ, quam hæretici videm irridebant, simplicitatem & sinceritatem commendat.

Hujus Operis meminit Cassiodorus senator in libro de Institutione divinarum litterarum, cap. 16. Ejusdem, ait, Augustini liber unus, quem de Agone Christiano composuit, maximè vobis necessarius, qui calæto sæculo desudatis in certamine christiano.

LIBRI II. RETRACTATIONUM.

CAPUT III.

LIBER de Agone Christiano fratribus in eloquio latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei * Regulam continens, & præcepta vivendi. In quo illud quod positum est: *Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait Paulus Apostolus: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt; non intelligentes quod ipse dicit Apostolus: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: cum enim hoc factum fuerit, jam non erit caro & sanguis, sed caeleste corpus: non sic accipiendum est, quasi carnis non sit futura substantia; sed carnis & sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis & sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse, quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Quamvis & aliter possit intelligi, ut carnem & sanguinem opera carnis & sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, & eos regnum Dei non possessuros, qui perseveranter ista dilexerint. Hic liber sic incipit: Corona victoria.*

* Id est, Symbolum. Incap. 32.

I. Cor. 15. 53.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE AGONE CHRISTIANO,

LIBER UNUS.*

* Scriptus
anno 396.
aut paulo
post.

Hortatur & instituit ad decertandum christiana pugna cum diabolo. Hunc vinci à nobis ac subigi, quando vincuntur cupiditates, & corpus in servitutem redigitur; ipsum verò corpus servituti subijci docet, si nos ipsos subjiciamus Deo, cui creatura omnis aut voluntate servit aut necessitate. Subsidio fidei munitam esse humanam imbecillitatem, eique per Filium Dei carnem factum quam opportuno remedio subvenit esse ostendit. Postea catholicae fidei capita singula Symbolo comprehensa percurrrens, exortas varias in eam hereses detegit & vitari jubet.

CAPUT I.
Corona
vincenti-
bus pro-
missa.
4. por. 2.
10. G.
2. Tim. 4.
7. & 8.

1. CORONA victoriae non promittitur nisi certantibus. In divinis autem Scripturis assidue invenimus promitti nobis coronam, si vicerimus. Sed ne longum sit multa commemorare, apud Apostolum Paulum manifestissime legitur: *Opus perfecti, cursum consummavi, fidem servavi, jam superest mihi corona justitiae.* Debemus ergo cognoscere quis sit ipse adversarius, quem si vicerimus coronabimur. Ipse est enim quem Dominus noster prior vicit, ut etiam nos in illo per-

ma-

manentes vincamus. Et Dei quidem Virtus atque Sapientia, & Verbum per quod facta sunt omnia, qui Filius Dei unicus est, super omnem creaturam semper incommutabilis manet. Et quoniam sub illo est creatura etiam quae non peccavit, quanto magis sub illo est omnis creatura peccatrix? Ergo quoniam sub illo sunt omnes sancti Angeli, multo magis sub illo sunt omnes praevaricatores Angeli, quorum diabolus princeps est. Sed quia naturam nostram deperat, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa diabolus vinceretur, & quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret. Ipsum significat dicens: *Princeps hujus mundi missus est foras.* Non quia extra mundum missus est, quomodo quidam haeretici putant: sed foras ab animis eorum qui coherent verbo Dei, & non diligunt mundum, cujus ille princeps est; quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quae hoc mundo visibili continentur: non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit; ut ei subjaceant qui negligunt aeternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia. *Radix enim est omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes à fide erraverunt, & inseruerunt se doloribus multis.* Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi, cum renuntiatur corruptelis, & pompis, & angelis ejus. Ideoque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans: *Scitote, inquit, quia ego vici mundum.*

Adversarius
diaboli
auxilio
Christi
vincitur.

Joan. 12.
31.

1. Tim. 6.
10.

Joan. 16.

HH 3

MUL- 33.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE AGONE CHRISTIANO,

LIBER UNUS.*

* Scriptus
anno 396.
aut paulo
post.

Hortatur & instituit ad decertandum christiana pugna cum diabolo. Hunc vinci à nobis ac subigi, quando vincuntur cupiditates, & corpus in servitutem redigitur; ipsum verò corpus servituti subijci docet, si nos ipsos subijciamus Deo, cui creatura omnis aut voluntate servit aut necessitate. Subsidio fidei munitam esse humanam imbecillitatem, eique per Filium Dei carnem factum quam opportuno remedio subvenit esse ostendit. Postea catholicae fidei capita singula Symbolo comprehensa percurrrens, exortas varias in eam hereses detegit & vitari jubet.

CAPUT I.
Corona
vincenti-
bus pro-
missa.
4. por. 2.
10. G.
2. Tim. 4.
7. & 8.

1. CORONA victoriae non promittitur nisi certantibus. In divinis autem Scripturis assidue invenimus promitti nobis coronam, si vicerimus. Sed ne longum sit multa commemorare, apud Apostolum Paulum manifestissime legitur: *Opus perfecti, cursum consummavi, fidem servavi, jam superest mihi corona justitiae.* Debemus ergo cognoscere quis sit ipse adversarius, quem si vicerimus coronabimur. Ipse est enim quem Dominus noster prior vicit, ut etiam nos in illo per-

ma-

manentes vincamus. Et Dei quidem Virtus atque Sapientia, & Verbum per quod facta sunt omnia, qui Filius Dei unicus est, super omnem creaturam semper incommutabilis manet. Et quoniam sub illo est creatura etiam quae non peccavit, quanto magis sub illo est omnis creatura peccatrix? Ergo quoniam sub illo sunt omnes sancti Angeli, multo magis sub illo sunt omnes praevaricatores Angeli, quorum diabolus princeps est. Sed quia naturam nostram deperat, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa diabolus vinceretur, & quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret. Ipsum significat dicens: *Princeps hujus mundi missus est foras.* Non quia extra mundum missus est, quomodo quidam haeretici putant: sed foras ab animis eorum qui coherent verbo Dei, & non diligunt mundum, cujus ille princeps est; quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quae hoc mundo visibili continentur: non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit; ut ei subjaceant qui negligunt aeternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia. *Radix enim est omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes à fide erraverunt, & inseruerunt se doloribus multis.* Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi, cum renuntiatur corruptelis, & pompis, & angelis ejus. Ideoque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans: *Scitote, inquit, quia ego vici mundum.*

Adversarius
diaboli
auxilio
Christi
vincitur.

Joan. 12.
31.

1. Tim. 6.
10.

Joan. 16.

HH 3

MUL- 33.

CAPUT II.
Quomodo
vincitur
diabolus.

Coloss. 2.
15.

Vincuntur
invisibiles
potestates,
ubi vincuntur
cupiditates.

Gen. 3. 14.
19.

a

Matth. 25.
41.

2. MULTI autem dicunt: Quomodo possumus vincere diabolum, quem non videmus? Sed habemus magistrum, qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo invisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit Apostolus: *Exuens se carne, principatus, & potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso.* Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates: & ideo quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo: *Terram manducabis:* dictum est peccatori: *Terra es, & in terram ibis.* Datus est ergo in cibum^a diabolo peccator. Non sinus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundum corpus hoc efficiatur quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam, & superbiam, & impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus, id est, similis ejus; & subjicitur ei, sicut subjectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, manducari à serpente. Quisquis itaque timeret illum ignem, qui paratus est diabolo & angelis ejus, det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim qui foris nos oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias per quas nobis dominantur. Et quos invenerint sui similes, secum ad poenas trahunt.

3. Sic & Apostolus dicit, quod in semetipso pugnat adversus potestates exteriores.

Ait

a Plerique MSS. *diaboli.*

Ait enim: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates hujus mundi, rectores harum tenebrarum, adversus spiritualia nequitiae in caelestibus.* * Cælum enim dicitur & iste aër, ubi venti & nubes, & procellæ, & turbines fiunt, sicut etiam Scriptura dicit multis locis: *Et intonuit de cælo Dominus: & aves cæli, & volatilia cæli;* cum manifestum sit aves in aëre volare. Et nos in consuetudine hunc aërem cælum appellamus: nam cum de sereno vel nubilo querimus, aliquando dicimus: Qualis est aër? aliquando: Quale est cælum? Hoc dixi, ne quis existimet ibi habitare mala dæmonia, ubi solem, & lunam, & stellas Deus ordinavit. Quæ mala dæmonia ideo Apostolus appellat spiritualia, quia etiam mali angeli in Scripturis divinis spiritus appellantur. Ideo autem rectores harum tenebrarum eos dicit, quoniam peccatores homines tenebras appellat, quibus isti dominantur. Ideo & alio loco dicit: *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* quia ex peccato.ibus justificati erant. Non ergo arbitremur in summo cælo habitare diabolum cum angelis suis, unde lapsum esse credimus.

4. Sic enim erraverunt manichæi, qui dicunt ante mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellavit: in quo bello credunt miserî omnipotentem Deum non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra eam mitteret. Cujus gentis principes, sicut illi dicunt, devoraverunt partem Dei, & temperati sunt ut posset mundus de illis fabricari. Sic dicunt Deum pervenisse ad victoriam cum magnis calamitatibus, & cruciatibus, & miseris membrorum suorum: quæ

HH 4

mem-

Ephes. 6.
12.

* **CAP. III.**
Dæmones
quomodo
in caelestibus
sunt, &
rectores tenebrarum.
Psal. 17. 14
Psal. 8. 9
Matth. 6.
26.

Ephes. 6.
12.

Ephes. 5. 8

Manichæorum error
de gente tenebrarum contra
Deum rebellante.

membra dicunt esse commixta tenebrosis visceribus principum illorum, ut eos temperarent, & à furore compescerent. Et non intelligunt tam sacrilegam esse suam sectam, ut credant omnipotentem Deum non per creaturam quam fecerit, sed per ipsam naturam suam bellasse cum tenebris: quod nefas est credere. Neque hoc solum, sed etiam illos qui victi sunt, factos esse meliores, quia furor eorum compressus est: Dei autem naturam quæ vicit, factam esse miseriam. Dicunt etiam eam per ipsam commixtionem perdidisse intellectum & beatitudinem suam, & magnis erroribus & eladibus esse implicatam. Quam si aliquando vel totam purgari dicerent, magnam tamen impietatem contra omnipotentem Deum affirmarent, cujus partem crederent tanto tempore in erroribus, & poenis esse jactatam, sine aliquo peccati crimine. Nunc verò infelices audent adhuc dicere nec totam posse purgari; & ipsam partem quæ purgari non potuerit, proficere ad vinculum, ut inde involvatur & illigetur malitiæ^a sepulcro; & sic ibi semper sit pars ipsa Dei misera, quæ nihil peccavit, & ^b affligatur in æternum carcere tenebrarum. Hoc illi dicunt, ut simplices animas fallant. Sed quis tam simplex est, ut ista non sentiat esse sacrilega, quibus affirmant omnipotentem Deum necessitate oppressum esse, ut partem suam bonam & innocentem tantis cladibus obruendam, & tanta immunditia inquinandam daret, & non totam liberare posset; & quod liberare non potuerit, æternis vinculis colligaret? Quis ergo ista non exsecratur?

Quis

^a Omnes MSS. sepulcrum.

^b Nonnulli MSS. affligatur (vel affigitur) in æternum carceri tenebrarum.

Quis non intelligat impia esse & nefanda? Sed illi quando capiunt homines, non ista prius dicunt; quæ si dicerent, riderentur, aut^a fugerentur ab omnibus: sed eligunt capitula de Scripturis, quæ simplices homines non intelligunt; & per illa decipiunt animas imperitas, quærendo unde sit malum. Sicut in isto capitulo faciunt, quod ab Apostolo scriptum est: *Rectores harum tenebrarum, & spiritualia nequitie in caelestibus.* Quærent enim deceptores illi, & interrogant hominem Scripturas divinas non intelligentem, unde sint in celo rectores tenebrarum: ut cum respondere non potuerit, traducatur ab eis per curiositatem: quia omnis anima indocta curiosa est. Qui autem fidem catholicam bene didicit, & bonis moribus & vera pietate munitus est, quamvis eorum hæresim nesciat, respondet illis tamen. Nec enim decipi potest, qui jam novit quid pertineat ad christianam fidem, quæ catholica dicitur, per orbem terrarum sparsa, & contra omnes impios & peccatores^b, negligentes autem etiam suos, Domino gubernante securo.

5. QUONIAM ergo dicebamus Apostolum Paulum dixisse habere nos colluctationem adversus rectores tenebrarum & spiritualia nequitie in caelestibus; & probavimus etiam istum aërem terræ proximum cælum vocari oportet credere adversum diabolum & angelos ejus nos dimicare, qui gaudent perturbationibus

^a Sic Parv. id est editio Joannis Parvi, & plures MSS. At editiones aliæ, fugerentur. Tres MSS. fugerentur ab hominibus.

^b Editio Am. Er. & Lov. negligentes autem sui. Melius Parv. cui septem MSS. suffragantur, negligentes autem etiam suos. Nempe suos, contra quos negligentes securam fidem dicit, intelligimus catholicos fideles. Quatuor MSS. habent, de negligentibus autem suis: sed male.

Ephes. 6.
12.

CAPUT V.
Spiritualia
nequitie in
caelestibus,
quo sensu
dictum.

Ephes. 2. 2. bus nostris. Nam & ipse Apostolus alio loco diabolus principem potestatis aëris hujus appellat. Quamvis ille locus, ubi ait: *Spiritualia nequitiae in caelestibus*, possit & aliter intelligi, ut non ipsos prævaricatores angelos in caelestibus esse dixerit, sed nos potius, de quibus alio loco dicit: *Conversatio nostra in caelis est*: ut nos in caelestibus constituti, id est, in spiritualibus præceptis Dei ambulantes, dimicemus adversus spiritualia nequitiae, quæ nos inde conantur abstrahere. Magis ergo illud quærendum est, quomodo adversus eos, quos non videmus, pugnare possimus, & vincere: ne putent stulti adversus aërem nos debere certare.

CAPUT VI. 6. DOCET itaque Apostolus ipse, dicens: *Non sic pugno, quasi aërem cædens: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* Item dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatore esse profiteretur. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur, & castigemus corpus nostrum, & in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Quia per illicitas delectationes suas, & pompas, & perniciosam curiositatem nobis dominari potest hic mundus, id est, ea quæ in hoc mundo perniciosa delectatione colligant amatores rerum temporalium, & diabolo atque angelis ejus servire cogunt: quibus omnibus si renuntiavimus,

re-
a Editi, si renuntiamus, redigimus. At MSS. omnes, redigamus: & ex iisdem plures, renuntiavimus.

redigamus in servitutem corpus nostrum.

7. SED ne quis fortè hoc ipsum quærat, quomodo fiat, ut corpus nostrum servituti subjiciamus: facillè intelligi & fieri potest, si prius nos ipsos subjiciamus Deo, bona voluntate & sincera caritate. Nam omnis creatura, velit nolit, uni Deo & Domino suo subiecta est. Sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro. Quoniam justus liberaliter servit, injustus autem compeditus servit. Omnes tamen divinæ providentiæ serviunt: sed alii obediunt tamquam filij, & faciunt cum ea quod bonum est; alii verò ligantur tamquam servi, & fit de illis quod justum est. Ita Deus omnipotens, Dominus universæ creaturæ, qui fecit omnia, sicut scriptum est, *bona valde*, sic ea ordinavit, ut & de bonis & de malis benè faciat. Quod enim justè fit, benè fit. Justè autem sunt beati boni, & justè mali pœnas patiuntur. Ergo & de bonis & de malis benè facit Deus, quoniam justè omnia facit. Boni sunt autem, qui tota voluntate Deo serviunt; mali autem necessitate serviunt: nemo enim leges Omnipotentis evadit. Sed aliud est facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni secundum leges faciunt, mali secundum leges patiuntur.

8. Nec nos moveat, quod in hac vita secundum carnem, quam portant, justi multa gravia & aspera tolerant. Nihil enim mali patiuntur, qui jam possunt dicere quod ille vir spiritualis exultat & prædicat Apostolus, dicens: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei*

CAPUT VII. Ut corpus nobis subjiciatur, subjiciamus nos ipsos Deo, cui omnis creatura servit, velit nolit.

Gen. 1. 31.

Justorum & injustorum in hujus vitæ bonis & malis discrimen. Rom. 5. 3. &c.

dis-

diffussa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Si ergo in hac vita, ubi tanta tormenta sunt, possunt boni & justi viri, cum talia patiuntur, non solum æquo animo tolerare, sed etiam a in Dei caritate gloriari; quid cogitandum est de illa vita, quæ nobis promittitur, ubi nullam de corpore molestiam sentiemus? Quoniam non ad hoc resurget corpus justorum, ad quod resurget corpus impiorum: sicut scriptum est: Omnes resur-

1. Cor. 15. genus, sed non omnes immutabimur. Et ne

51.

Ibid. 52.

quisquam putet non justis immutationem istam promitti, sed potius injustis, & eam existimet esse pœnalem, sequitur & dicit: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Quicumque ergo mali sunt, sic ordinati sunt: quia & unusquisque sibi, & omnes invicem sibi nocent. Hoc enim appetunt, quod perniciosè diligitur, & quod eis facile auferri potest; & hoc sibi auferunt invicem, quando se persequuntur. Et ideo cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea: illi autem qui auferunt, gaudent. Sed talis lætitia cæcitas est, & summa miseria: ipsa enim magis implicat animam, & ad majora tormenta perducit. Nam gaudet & piscis, quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primò; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se putant: hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur: veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum avi-

a Sic Parv. & MSS. At Am. Er. Lev. caritate in Deo gloriari.

aviditate devoraverunt. Et ideo bonis nihil nocent; quia hoc eis auferunt quod non diligunt: nam quod diligunt, & unde beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatu vero corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat. Sic fit ut & malus homo, & malus angelus divinæ providentiæ militent; sed nesciunt quid boni de illis operetur Deus. Non itaque pro meritis officii, sed pro meritis malitiæ stipendiantur.

9. SED ut hæ animæ, quæ habent voluntatem nocendi, & rationem cogitandi, sub divinis legibus ordinatæ sunt, ne aliquid injustum quisque patiat: ita omnia & animalia & corporalia in genere suo, & in ordine suo divinæ providentiæ legibus subdita administrantur. Ideo dominus dicit: *Nonne duo passeris asse videntur, & unus eorum non cadit in terram sine voluntate Patris vestri?* Hoc enim dixit, volens ostendere quidquid vilissimum homines putant, omnipotentia Dei gubernari. Sic enim & volatilia cæli ab eo pasci, & lilia agri ab eo vestiri, Veritas loquitur, quæ capillos etiam nostros numeratos esse dicit. Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, sive in optimis & magnis Angelis, sive in hominibus tota sibi voluntate servientibus, cetera vero per ipsos gubernat; verissimè dici potuit etiam illud ab Apostolo: *Non enim de bobus cura est Deo.* In Scripturis enim sanctis Deus homines docet, quomodo cum hominibus agant, & ipsi Deo serviant: quomodo autem agant cum pecoribus suis, ipsi sciunt, id est, quomodo salutem pecorum suorum gubernent usu, & peritia, & ratione naturali; quæ quidem omnia de magnis sui Creatoris opibus acceperunt. Qui ergo

CAP. VIII.
Omnia divina providentia gubernari.

Matt. 10.
29.

Matt. 6.
26.
Matth. 10.
30.

1. Cor. 9. 9.

po

potest intelligere quomodo universæ creaturæ conditor Deus gubernet eam per animas sanctas, quæ a ministeria ejus sunt in cælis & in terris; quia & ipsæ sanctæ animæ ab ipso factæ sunt, & in ejus creatura primatum tenent: qui ergo potest intelligere, intelligat, & intret in gaudium Domini sui.

Matth. 25.

21.

CAP. IX.

Hortatio ad gustandam dulcedinem Dei.

2. Cor. 5. 6.

Psal. 33. 9.

2. Cor. 1.

22. & 5. 5.

Psal. 1. 3.

Psal. 35. 8.

&c.

10. SI autem hoc non possumus, quamdiu sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus: quia dedit nobis pignus Spiritum, in quo sentiamus ejus dulcedinem: & desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundemur & irrigemur, sicut lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum, & dat fructum in tempore suo, & folia ejus non decident. Dicit enim Spiritus sanctus: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ. Talis ebrietas non evertit mentem, sed tamen rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum: sed si possumus toto affectu jam dicere: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Psal. 41. 2.

CAPUT X.

Filius Dei propter nos homo factus.

Rom. 1. 2.

Joan. 1. 3.

11. QUOD si fortè adhuc propter ægritudines animæ, quas de sæculi amore concepit, nec gustare sumus idquei quam dulcis est Dominus; vel credamus divinæ auctoritati, quam voluit esse in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, sicut Apostolus loquitur. *Omnia enim per ipsum facta sunt, sicut in Evangelio scrip-*

a Sic Parv. cum MSS. Editi verò alii, *mysteria.*

tum est, & sine ipso factum est nihil. Qui nostræ imbecillitatis misertus est; quam imbecillitatem non ejus opere, sed nostra voluntate meruimus. Nam Deus hominem inexterminabilem fecit, & ei liberum voluntatis arbitrium dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret. Facile est omnino, quantum existimo: quod intelligere nolunt, qui catholicam deseruerunt fidem, & christiani vocari volunt. Nam si nobiscum fatentur naturam nostram non sanari nisi rectè faciendo; fateantur eam non infirmari nisi peccando. Et ideo non est credendum * animam nostram hoc esse quod Deus est: quia si hoc esset, nec sua voluntate, nec aliqua necessitate in deterius mutaretur; quoniam omni modo incommutabilis intelligitur Deus, sed ab eis qui non in contentione & emulatione, & vanæ gloriæ cupiditate amant loqui quod nesciunt; sed humilitate christiana sentiunt de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærunt eum. Hanc ergo imbecillitatem nostram suscipere dignatus est Filius Dei, & *verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: non quia æternitas illa mutata est, sed quia mutabilem creaturam mutabilibus hominum oculis ostendit, quam incommutabili majestate suscepit.

12. SUNT autem stulti qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur de femina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorum, lumen ejus æternum utique, quod per interiores oculos videtur, inquinatis mentibus vi-

Sap. 2. 23.

Liberum arbitrium.

* Manichæorum error.

Sap. 1. 1.

Joan. 1. 4.

CAPUT XI.

Modus liberandi hominem per Filium Dei incarnatum quam conveniens.

de-

deri non posset. Nunc autem quia visibiliter nos commonere dignatus est, ut ad invisibilia præpararet, displicet avaris, quia non aureum corpus habuit; displicet impudicis, quia de femina natus est (multum enim oderunt impudici, quod concipiunt & pariunt feminæ) displicet superbis, quod contumelias patientissimè pertulit; displicet delicatis, quia cruciatus est; displicet timidis, quia mortuus est. Et ut non vitia sua videantur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in Filio Dei. Non enim intelligant quid sit æternitas Dei, quæ hominem assumpsit; & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem revocabatur, ut disceremus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, rectè faciendo posse sanari. Ostendebatur enim nobis ad quam fragilitatem homo sua culpa pervenerit, & ex qua fragilitate divino auxilio liberetur. Iaque Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana peressus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si caritate Filii Dei non sanatur? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis a Christi Domini non sanatur? Eri-gat spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos con-

^a Editi Parv. Am. Er. & MSS. omittunt, *Christi Domini*. Unus tamen codex ejus loco habet, *Filii Dei*.

temnere viri: Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere feminæ: Filius Dei natus ex femina est. Nolite tamen amare carnalia: quia in Filio Dei nec masculus nec femina sumus. Nolite amare temporalia: quia si benè amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias & cruces & mortem: quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. Hæc omnis hortatio, quæ jam ubique prædicatur, ubique veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia quæ stultissimis displicent. Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum, de quo dictum est ante quàm nasceretur, quod Filius Altissimi vocabitur, & per omnes jam gentes, quod negare nemo potest, Filius Altissimi vocatur? Si multum de nobis sentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altissimi vocatur: si parum de nobis sentimus, audeamus imitari pisces & publicanos, qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem! Quis jam se extollat contra Filium Dei? Quis de se desperet, pro quo tam humilis esse voluit Filius Dei? Quis beatam vitam esse arbitretur in iis quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Quibus adversitatibus cedat, qui naturam hominis a tantis persecu-

LUC. 7. 32.

tionibus custoditam credit in Filio Dei? Quis sibi esse **clausum** regnum cælorum putet, qui cognoscit **publicanos** & meretrices ^a imitatos esse **Filium Dei**? Qua perversitate non careat, qui facta, & dicta intuetur, & diligit, & secatur illius **hominis**, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit **Filius Dei**?

Math. 21.
31.

CAP. XII.
Christiana
fides ubi-
que viget
& vincit.

13. **ITAQUE** jam & masculi, & feminae, & omnis ætas, & omnis hujus sæculi dignitas ad **spem vitæ æternæ** commota est. Alii neglectis temporalibus bonis convolant ad divina. Alii cedunt eorum virtutibus qui hæc faciunt, & laudant quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, & inani livore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesia, quamvis videantur catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut peccatum impietatis suæ defendere cupientes **judæi**, aut curiositatem vanæ ^b licentiæ perdere timentes pagani. Sed Ecclesia catholica per totum orbem longè latèque diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis magisque roborata est, non resistendo, sed perferendo. Nunc verò insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit: criminatores **palearum** suarum non curat; quia tempus messis, & tempus arearum, & tempus horreorum cautè diligenterque distinguit: criminatores autem frumenti sui, aut errantes corrigit, aut invidentes inter spinas & zizania computat.

14. Subjiciamus ergo animam Deo, si volumus servituti subicere corpus nostrum, &

^a Parv. & allquot MSS. imitatores esse Filii Dei.
^b Unus è Vaticanis MSS. scientiæ.

& de diabolo triumphare. * **FIDES** est prima quæ subjugat animam Deo; deinde præcepta vivendi: quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur caritas, & lucere incipit quod antea tantummodo credebatur. Cum enim cognitio & actio ^a beatum hominem faciant; sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere; & ea concupiscere, & pro his laborare, ut adquirantur; & lætari, cum abundaverint; & timere, ne pereant; & contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram illam & sinceram, & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum jam non ^b moveri. Itaque prius quam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus; quoniam verissimè dictum est per Prophetam: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

15. Fides in Ecclesia brevissimè traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum possunt; & temporalia præterita & futura, quæ pro salute hominum gessit, & gestura est æternitas divinæ providentiæ. Credamus ergo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: hæc æterna sunt & incommutabilia, id est, unus Deus, unius substantiæ Trinitas æterna: Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

II 2

NEC

^a Editi, & actio dona sint Dei, & beatum hominem faciunt. At MSS. non habent, dona sint Dei &.
^b Plerique MSS. non mori.

*CAP. XIII.
Fides recta
sit, & actio
bona.

Mens veritatis capax
non est, nisi
vitiis libera.

Isai. 7. 9.
sec. LXX.

Fides Ecclesie
de Trinitate.

Rom. 11.
36.

CAP. XIV.

Non audiendi qui tres personas negant.

16. NEC eos audiamus, qui dicunt Patrem tantummodo esse, nec habere Filium, nec esse cum eo Spiritum sanctum; sed ipsum Patrem aliquando appellari Filium, aliquando Spiritum sanctum. Nesciunt enim principium ex quo sunt omnia, & imaginem ejus per quam formantur omnia, & sanctitatem ejus in qua ordinantur omnia.

CAP. XV.

Nec audiendi qui inducunt res deos.

17. NEC eos audiamus, qui indignantur & stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim quid sit una eademque substantia; & phantasmatis suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria locis suis esse separata: sic putant intelligendam substantiam Dei; & multum errant, quoniam superbi sunt; & non possunt discere, quia nolunt credere.

CAP. XVI.

Nec illi qui negant æqualitatem & æternitatem personarum.

18. NEC eos audiamus, qui Patrem solum verum Deum & sempiternum esse dicunt, Filium autem non de ipso genitum, sed ab ipso factum de nihilo, & fuisse tempus quando non erat, sed tamen primum locum tenere in omni creatura; & Spiritum sanctum minoris majestatis esse quam Filium, & ipsum factum esse post Filium; & horum trium diversas esse substantias, tamquam aurum, & argentum, & ærumentum. Nesciunt enim quid loquantur, & de his rebus quas per oculos carnos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt. Quia re vera magnum est mente conspicerè generationem, quæ non fit ex aliquo tempore, sed æterna est; & ipsam caritatem & sanctitatem, qua generator & generatus ineffabiliter sibi copulantur: magnum & difficile est hæc mente conspicerè, etiamsi pacata & tranquilla sit.

Non

Non potest ergo fieri ut illi hæc videant, qui terrenas generationes nimis intuentur, & ad istas tenebras addunt adhuc fumum, quem sibi contentionibus & certaminibus quotidianis excitare non cessant, habentes animas carnis affectibus a diffuentes, tamquam ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum b vomit, & habere flammam lucidas non potest. Et hoc quidem de omnibus hæreticis rectissime dici potest.

19. Credentes ergo incommutabilem Trinitatem, credamus etiam dispensationem temporalem pro salute generis humani c. * NEC eos audiamus, qui Filium Dei Jesum Christum nihil esse aliud quam hominem dicunt, sed ita justum, ut dignus sit appellari Filius Dei. Et hos enim catholica disciplina misit foras, quoniam vanæ gloriæ cupiditate decepti, contentiosè disputare voluerunt, ante quam intelligerent quid sit Dei Virtus & Dei Sapientia, & in principio Verbum, per quod facta sunt omnia, & quomodo Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

20. NEC eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse dicunt Filium Dei, neque natum esse de femina, sed falsam carnem, & imaginem simulatam corporis humani ostendisse videntibus. Nesciunt enim quomodo substantia Dei administrans universam creaturam inquinari omnino non possit: & tamen prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes facies & sordes corporum spargere, & eos mundos & sinceros ubique

II 3

a Sic MSS. Editi verò, defluentes.

b Fuxensis codex, movet.

c Hic editi addunt, esse natum Deum: quod à MSS. abest.

Fides Incarnationis Christi.

* CAPUT XVII. Negantes Christum esse Deum, non audiendi.

1. Cor. 1. 24.

Joan. 1. 3. & 14.

CAPUT XVIII. Nec audiendi negantes Christum habuisse verum corpus.

3. Sent. d. 3. c. Assumit. & 1. Sent. d. 37. c. Solet etiam.

servare. Si ergo visibilia munda à visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari; quanto magis invisibilis & incommutabilis Veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit? Itaque magnas patiuntur angustias, & cum timent, quod fieri non potest, ne humana carne Veritas inquinetur, Veritatem dicunt esse mentitam. Et cum ille præceperit, dicens: *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non;* & Apostolus clamet: *Non erat in illo Est & Non, sed Est in illo erat;* isti totum corpus ejus falsam carnem fuisse contendunt, ut non sibi videantur imitari Christum, si non suis ^a Auditoribus mentiantur.

Matth. 5.
37.
2. Cor. 1.
19.

CAP. XIX.
Nec negantes
Christum
habuisse
mentem
hominis.

21. NEC eos audiamus, qui Trinitatem quidem in una æterna substantia confitentur; sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione susceptus est, audent dicere non habuisse hominis mentem, sed solam animam, & corpus. Hoc est dicere, Non fuit homo, sed membra corporis habebat humana. Animam enim & corpus habent & bestiarum, sed rationem non habent, quæ mentis est propria. Sed si execrandi sunt illi, qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine; miror quod isti non erubescunt, qui hoc eum negant habuisse quod est optimum in homine. Multum enim lugenda est mens humana, si vincitur à corpore suo: si quidem in illo homine non reformata est, in quo

^a Nonnulli codices, suis auctoribus: malè. Nam reprehenduntur isthæc manichæi, in quibus erant alii Electi, alii Auditores.

quo ipsum corpus humanum jam dignitatem formæ cælestis accepit. Sed absit ut hoc credamus, quod confinxit temeraria cæcitas, & superba loquacitas.

22. NEC eos audiamus, qui sic dicunt ab illa æterna Sapientia susceptum esse hominem, qui de Virgine natus est, quomodo & alii homines ab ea sapientes fiunt, qui perfectè sapientes sunt. Nesciunt enim proprium illius hominis sacramentum, & putant hoc solum eum plus habuisse inter ceteros beatissimos, quod de Virgine natus est. Quod ipsum si benè considerent, fortassis credant ideo illum hoc præter ceteros meruisse, quod aliquid proprium præter ceteros habet etiam ista susceptio. Aliud est enim sapientem tantum fieri per Sapientiam Dei, & aliud ipsam personam sustinere Sapientiæ Dei. Quamvis enim eadem natura sit corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter caput & membra cetera, quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis;* membra cetera sunt omnes sancti, quibus perficitur & completur Ecclesiâ. Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat & vivificat, sed in capite & videndo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo, in ceteris autem membris tangendo tantum; & ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsius animæ, quæ consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput, ibi enim omnis sensus apparet: sic universo populo sanctorum tamquam uni corpori caput est Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Et propterea Sapientia Dei,

CAP. XX.
Nec dicentes illum hominem non aliter susceptum à Sapientia Dei ac ceteros Sanctos, qui sapientes fiunt.

Joan. 1.14.

1. Tim. 2. 5.

Dei, & Verbum in principio per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit illum hominem ut ceteros sanctos, sed multò excellentiùs, multòque sublimiùs: ^a quomodo ipsum solùm assumi oportuit, in quo Sapientia ^b hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes ceteri homines quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt; & aliter ille unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui Sapientia ipsius, per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solùm beneficium habet, sed etiam personam gerit. De ceteris enim sapientibus & spiritualibus animis rectè dici potest, quòd habeant in se Verbum Dei per quod facta sunt omnia: sed in nullo eorum rectè dici potest, quòd *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; quod in solo Domino nostro Jesu Christo rectissimè dicitur.

CAP. XXI.

Nec audiendi qui solùm corpus à Verbo susceptum dicunt.

Joan. I. 14.

23. NEC eos audiamus, qui solùm corpus humanum susceptum esse dicunt à Verbo Dei, & sic audiunt quod dictum est: *Et Verbum caro factum est*, ut negent illum hominem vel animam vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam. Errant enim multùm: nec intelligunt ideo carnem solam nominatam esse in eo quod dictum est: *Verbum caro factum est*; quia hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio, caro sola potuit apparere. Nam si absurdum est, & valde indignum, ut humanum spiritum homo ille non habuerit, sicut superiùs tractavimus; quòtò ma-

^a Sic MSS. Editi verò, quoniam ipsum &c.

^b Editi, Sapiencia Dei Patris. Abest Dei Patris, à MSS.

magis absurdum & indignum est, ut nec spiritum, nec animam habuerit, & hoc solùm habuerit quod etiam in pecoribus vilius est & extremius, id est, corpus? A nostra ergo fide etiam ista impietas excludatur, totumque hominem atque perfectum à Verbo Dei susceptum esse credamus.

24. NEC eos audiamus, qui tale corpus Dominum nostrum habuisse dicunt, quale apparuit in columba, quam vidit Joannes Baptista descendente de celo, & manentem super eum in signo Spiritus sancti. Ita enim persuadere conantur Filium Dei natum non esse de femina: quia si carnalibus oculis eum oportebat ostendi, potuit, inquirunt, sic assumere corpus, quomodo Spiritus sanctus. Non enim & columba illa de ovo nata est, ajunt; & tamen humanis oculis potuit apparere. Quibus primùm illud respondendum est, quòd ibi legimus in specie columbæ apparuisse Joanni Spiritum sanctum, ubi legimus etiam Christum natum esse de femina; & non oportet in parte credere Evangelio, & in parte non credere. Unde enim credis in columbæ specie demonstratum esse Spiritum sanctum, nisi quia in Evangelio legisti? Ergo & ego inde credo Christum natum de Virgine esse, quia in Evangelio legi. Quare autem Spiritus sanctus non est natus de columba, quemadmodum Christus de femina, illa causa est, quia non columbos liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam & amorem spiritalem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. Dominus autem Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus, & mares, & feminae pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit; nec feminas, quia de femina

CAP. XXII.

Nec qui corpus Christi negant formatum de femina, & dicunt sic factum, ut illud quo Spiritus apparuit in columba.

Matth. 3. 16.

Matth. I.

20. &c.

Per femi-
nam mors,
per femi-
nam vita.

natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur: ut de utraque natura, id est, feminina & masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus sanctus: sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliorum columborum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ corpore virili semine fabricare: cum a natura corporea & in visceribus femine ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandam columbam imperio Domini voluntatque serviret. Sed stulti homines & miseri, quod aut ipsi facere non possunt, aut in vita sua numquam viderunt, etiam ab omnipotente Deo fieri potuisse non credunt.

CAPUT
XXIII.
Non audi-
endi, qui
Filius Dei
creaturam
dicunt,
quia pas-
sus est.

25. NEC eos audiamus, qui propterea volunt cogere, ut inter creaturas Filium Dei numeremus, quia passus est. Dicunt enim: Si passus est, mutabilis est: & si mutabilis est, creatura est; quia Dei substantia non potest immutari. Cum quibus etiam nos dicimus, & Dei substantiam commutari non posse, & creaturam esse mutabilem. Sed aliud est esse crea-

tu-

a Parv. & MSS. creatura corporea.

turam, & aliud suscipere creaturam. Filius ergo unigenitus Dei, qui est Virtus & Sapientia Dei, & Verbum per quod facta sunt omnia, quia immutari non potest omnino, suscepit humanam creaturam, quam lapsam erigere, atque inveteratam renovare dignatus est. Nec in ea per passionem ipse in deterius commutatus est, sed eam potius per resurrectionem in melius commutavit. Nec propterea Verbum Patris, id est, unicum Dei Filium, per quem facta sunt omnia, negandum est natum & passum esse pro nobis. Et martyres enim passos dicimus & mortuos propter regna cælorum; nec tamen in ea passione & morte animæ eorum occisæ sunt. Dicit enim Dominus: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animæ autem nihil possunt facere.* Sicut ergo martyres passos & mortuos dicimus in corporibus quæ portabant, sine animarum interfectione vel morte; sic Filium Dei passum & mortuum dicimus in homine quem portabat, sine divinitatis aliqua commutatione vel morte.

26. NEC eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis: *Palpate, & videte, quoniam spiritus ossa & a carnem non habet, sicut me videtis habere.* Sacrilegum est enim credere Dominum nostrum, cum ipse sit Veritas, in aliquo fuisse mentitum. Nec nos moveat quod clausis ostiis subito eum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis

Filius Dei
sine divini-
tatis muta-
tione pas-
sum esse.

Matth. 10.
28.

CAPUT
XXIV.

Non audi-
endi, qui
negant tale
corpus
Domini res-
urrexisse,
quale fue-
rat sepul-
tum.

a
Luc. 24.
39.

Joan. 0.
26.

a Parv. ossa & nervos. Sic etiam plerique MSS. & ex his plures infra loco *Sacrilegium*, habent *Sacrilegium*.

Matth. 19.
26.

Matth. 14.
25. & 29.
Matth. 17.
2.

CAPUT
XXV.
Nec negantes corpus Christi sublatum in caelum. Joan. 3. 13.

CAPUT
XXVI.
Nec negantes Christum sedere ad dexteram Patris.

Dextera & sinistra Dei quid sit.

ris videmus esse per clausa ostia intrare. Omnia enim possibile sunt Deo. Nam & ambulare super aquas contra naturam hujus corporis esse manifestum est; & tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & post resurrectionem de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis, quare non potuit & post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare?

27. NEC eos audiamus, qui negant ipsum corpus secum levasse in caelum Dominum nostrum, & commemorant in Evangelio quod scriptum est: *Nemo adscendit in caelum, nisi qui de caelo descendit*: & dicunt, quia corpus non descendit de caelo, non potuisse adscendere in caelum. Non enim intelligunt, quoniam corpus non adscendit in caelum: Dominus enim adscendit, corpus autem non adscendit, sed levatum est in caelum, illo levante qui adscendit: Si enim quis descendat, verbi gratia, de monte nudus, cum autem descenderit, vestiatur se, & vestitus iterum adscendat, recte utique dicimus: Nemo adscendit, nisi qui descendit: nec vestem consideramus quam secum levavit, sed ipsum qui vestitus est, solum dicimus adscendisse.

28. NEC eos audiamus, qui negant ad dexteram Patris sedere Filium. Dicunt enim: Numquid Deus Pater habet latus dextrum aut sinistrum, sicuti corpora? Nec nos hoc de Deo Patre sentimus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur. Sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quae sanctis promittitur; sicut sinistra ejus rectissime dicitur miseria perpetua, quae impiis datur: ut non in ipso Deo, sed in creaturis hoc modo, quo diximus, intelligatur

tur dextera & sinistra. Quia & corpus Christi, quod est Ecclesia, in ipsa dextera, hoc est in ipsa beatitudine futurum est, sicut Apostolus dicit, quia & *simul nos suscitavit, & simul sedere fecit in caelestibus*. Quamvis enim corpus nostrum nondum ibi sit, tamen spes nostra jam ibi est. Propterea & ipse Dominus post resurrectionem jussit discipulis quos piscantes invenit, ut in dexteram partem mitterent retia. Quod cum fecissent, ceperunt pisces, qui omnes magni erant, id est, justos significabant, quibus dextera promittitur. Hoc significat, quod etiam in judicio dixit se agnos ad dexteram, haedos autem ad sinistram esse positurum.

29. NEC eos audiamus, qui negant diem judicii futurum, & commemorant quod in Evangelio scriptum est, eum qui credit in Christum, non judicari; qui autem non credit in illum, jam judicatum esse. Dicunt enim: Si & ille qui credit, non veniet in judicium, & ille qui non credit, jam judicatus est; ubi sunt quos judicaturus est in die judicii? Non intelligunt sic loqui Scripturas, ut praeteritum tempus pro futuro tempore insinuent: sicut supra diximus, quod Apostolus dixit de nobis, quod *simul nos sedere fecit in caelestibus*, nondum factum est; sed quia certissime est futurum, ita dictum est quasi jam factum sit. Sicut & ipse Dominus discipulis dixit: *Omnia quae audivi à Patre meo, nota feci vobis*: & paulo post dicit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo*. Quomodo ergo dixerat: *Omnia quae audivi à Patre meo, nota feci vobis*; nisi quia illud quod per Spiritum sanctum certissime facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est? Sic ergo cum audimus: *Qui credit in Christum, non veniet in judicium*; intelligamus, quia non veniet ad damnationem. Di-

Eph. 2. 6.

Joan. 21. 6.

Matth. 25.
33.

CAPUT
XXVII.
Nec audiendi negantes judicium futurum. Joan. 3. 18.

Joan. 15.
15.

Joan. 16.
12

Joan. 3. 15.

ci-

citur enim iudicium pro damnatione, sicut dicit
Rom. 14. 3. Apostolus: *Qui non manducat, manducan-*
tem non iudicet: id est, non de illo malè ex-
Matth. 7. 1. istimet. Et Dominus dicit: *Nolite iudicare, ne*
judicetur de vobis. Non enim tollit nobis intel-
Psal. 57. 2. ligentiam iudicandi, cum & Propheta dicat: *Si*
verè iustitiam diligitis, recta iudicate filii
Joan. 7. 42. *hominum:* & ipse Dominus dicat: *Nolite iudi-*
care personaliter, sed iustum iudicium iudi-
cate. Sed illo loco ubi vetat iudicare, illud ad-
 monet, ne damnemus aliquem, cuius vel co-
 gitatio nobis non est aperta, vel nescimus qua-
 lis postea sit futurus. Sic ergo cum dixit, *ad iudicium non veniet:* hoc dixit, quia non veniet ad damnationem. *Qui autem non credit, iam iudicatus est:* hoc dixit, quia iam damnatus est præsentia Dei, qui novit quid immineat non credentibus.

CAPUT
 XXVIII.
 Nec qui di-
 cunt Spi-
 ritum pro-
 missum ve-
 nisse in
 Paulo, aut
 Montano
 &c.

Luca 24.
 49.

Act. 4.

30. NEC eos audiamus, qui dicunt Spiritum sanctum, quem in Evangelio Dominus promisit discipulis, aut in Paulo Apostolo venisse, aut in Montano & Priscilla, sicut caphryges dicunt, aut in nescio quo Manete vel Manichæo, sicut manichæi dicunt. Tam enim cæci sunt isti, ut Scripturas manifestas non intelligant; aut tam negligentes salutis suæ, ut omnino non legant. Quis enim, cum legerit, non intelligat vel in Evangelio quod post Domini resurrectionem scriptum est, dicente Domino: *Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete hic in civitate, quò usque induamini virtute ex alto?* Et in Actibus Apostolorum, postea quam Dominus abscessit à discipulorum oculis in cælum, decem diebus peractis, die Pentecostes, non adtendunt appertissimè venisse Spiritum sanctum; & cum essent illi in civitate, sicut eos ante monuerat, implevisse illos, ita ut loqueren-
 tur

tur linguis. Nam diversæ nationes quæ tunc aderant, unusquisque audientium suam linguam intelligebant. Sed isti homines decipiunt eos qui negligentes catholicam fidem, & ipsam fidem suam quæ in Scripturis manifesta est, nolunt a discere; & quod est gravius & multum dolendum, cum in Catholica b negligenter versentur, hæreticis aurem diligenter accommodant.

31. NEC eos audiamus, qui sanctam Ecclesiam, quæ una catholica est, negant per orbem esse diffusam, sed in sola Africa, hoc est in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt adversus Prophetam dicentem: *Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et alia multa, sive in veteris, sive in novi Testamenti libris, quæ scripta sunt, ut apertissimè declarent Ecclesiam Christi per orbem terræ esse diffusam. Quod cum eis objicimus, dicunt jam ista omnia fuisse completa, ante quam esset pars Donati, sed postea totam Ecclesiam perisse, & in sola Donati parte reliquias ejus remansisse contendunt. O linguam superbam & nefariam! nec si verè sic viverent, ut vel inter se pacem postea custodirent. Nunc autem non adtendunt jam in ipso Donato completum fuisse quod dictum est: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Sicut enim Christum dividere conatus est, sic ipse à suis quotidiana concisione dividitur. Ad hoc etiam pertinet illud quod Dominus dicit: *Qui enim gladio percusserit, gladio morietur.* Gladius enim illo loco, si quidem in ma-
 lo

CAPUT
 XXIX.
 Nec audi-
 endi dona-
 tistæ, ne-
 gantes Ec-
 clesiam per
 orbem esse
 diffusam.
Psal. 2. 7.

Matth. 7. 2.
 Donatus
 ipse à suis
 divisus.

Matth. 26.
 52.

a Sic Parv. & plures MSS. At Am. Fr. Lov. dicere.
 b Editi, addunt *ide:* cujus loco subaudiri potest, *Ecclesia.*

lo positus est, discordiosam linguam significat, qua tunc ille infelix Ecclesiam percussit, sed non occidit. Non enim dixit Dominus, qui occiderit gladio, gladio morietur: sed *Qui gladio usus fuerit, inquit, gladio morietur.* Ergo ille percussit Ecclesiam lingua litigiosa, qua nunc ipse conciditur, ut omnino dispareat atque moriatur. Et tamen illud tunc Apostolus Petrus, non superbia sua, sed quamvis carnali, tamen amore Domini fecerat. Itaque admonitus recondit gladium: iste autem nec victus hoc fecit. Si quidem cum episcopo Cæciliano causam cum diceret, audientibus episcopis Romæ, quos ipse petiverat, nihil eorum quæ intenderat potuit probare: & sic remansit in schismate, ut suo gladio moreretur. Populus autem ipsius, quando non audit Prophetas & Evangelium, in quibus apertissime scriptum est, Ecclesiam Christi per omnes gentes esse diffusam, & audit schismaticos, non Dei gloriam quærentes, sed suam, satis significat servum se esse, non liberum, & aurem dexteram se habere præcisam. Petrus enim errans in amore Domini, servo, non libero, aurem dexteram præcidit. Ex quo significat, eos qui gladio schismatis feriuntur, & servos esse carnalium desideriorum, nondum eductos in libertatem Spiritus sancti, ut jam non confidant in homine; & non audire quod dextrum est, id est, Domini gloriam per catholicam Ecclesiam latissime pervagatam, sed audire sinistram humanæ inflationis errorem. Sed tamen cum Dominus dicat in Evangelio, cum per omnes gentes Evangelium fuerit prædicatum, tunc finem esse futurum; quomodo isti dicunt, quod jam ceteræ omnes gentes ceciderunt à fide, & in sola parte Donati remansit Ecclesia,

Donatus
Romæ cum
Cæciliano
causam di-
cens nihil
probat.

Matth. 24.
14.

sia, cum manifestum sit, ex quo ista pars ab unitate præcisa est, nonnullas gentes postea credidisse, & adhuc esse aliquas quæ nondum crediderunt, quibus quotidie non cessatur Evangelium prædicari? Quis non miretur esse aliquem, qui se christianum dici velit, & adversus Christi gloriam tanta impietate rapiatur, ut audeat dicere omnes populos gentium, qui modò adhuc accedunt Ecclesie Dei, & in Dei Filium festinanter credunt, inaniter facere, quia non eos aliquis Donatista baptizat? Sine dubio ista execrarentur homines, & eos sine dilatione relinquerent, si Christum quærerent, si Ecclesiam diligerent, si liberi essent, si aurem dexteram integram retinerent.

32. NEC eos audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent, præciderunt se tamen ab unitate, & luciferiani magis dici quam catholici maluerunt. In eo enim quod intelligunt baptismum Christi non esse repetendum, rectè faciunt. Sentiunt enim sacramentum sancti lavacri nusquam esse, nisi ex catholica Ecclesia; sed eam formam secum habere sarmata præcisa, quam in ipsa vite, ante quàm præciderentur, acceperant. Hi sunt enim de quibus Apostolus dicit: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Est enim magna virtus pietatis, pax & unitas; quia unus est Deus. Hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt. Itaque si qui ex ipsis ad Catholicam veniunt, non iterant speciem pietatis quam habent; sed accipiunt virtutem pietatis quam non habent. Nam & amputatos ramos, denuò posse inseri, si non permanserint in incredulitate, apertissime Apostolus docet. Quod cum luciferiani intelligunt,

TOM. I.

KK

&

a Unus è Vatic. MSS. non cærat.

Donatistæ
baptismum
nisi ipsi de-
derint, ina-
nem esse
volunt.

CAPUT
XXX.

Non audi-
endi Luci-
feriani, qui
licet non
rebapti-
zant, præ-
ciderunt sa-
ab Ecclesia,
quia resi-
piscentes
ab ariana
haeresi reci-
piebat.

Rom. II. 22

& non rebaptizant, non improbamus: sed quod etiam ipsi præcidi à radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat? Et ideo maximè, quia hoc eis displicuit in Ecclesia catholica, quod verè catholicæ sanctitatis est. Nusquam enim tam vigere debent viscera misericordiæ, quàm in catholica Ecclesia, ut tamquam vera mater nec peccantibus filiis superbè insultet, nec correctis difficilè ignoscat. Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claves regni cælorum datæ sunt; cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: *Amas me? Pasce oves meas.* Debet ergo Ecclesia catholica correctis & pietate firmatis filiis libenter ignoscere; cum ipsi Petro personam ejus gestanti, & cum in mari titubasset, & cum Dominum carnaliter à passione revocasset, & cum aurem servi gladio præcidisset, & cum ipsum Dominum ter negasset, & cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumque correctum atque firmatum usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse. Itaque post persecutionem, quæ per arianos hæreticos facta erat, postea quàm pax, quam quidem Catholica in Domino tenet, etiam à principibus sæculi reddita est, episcopi qui perfidiæ arianorum in illa a persecutione consenserant, multi correcti redire in Catholicam delegerunt, damnantes sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant. Hos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tamquam eundem post pravam simu-

a Nonnulli codices, *perturbatione.*

mulationem Pauli voce correctum. Hanc illi matris caritatem superbè accipientes, & impiè reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti non gratulati sunt, cum Lucifero, qui manè oriebatur, cadere meruerunt.

33. NEC eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tamquam adulteras damnant, & super doctrinam apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potiùs, quàm mundos vocarent. Nolentes enim si peccaverint corripì, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua a sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam; & viduas suas uri cogunt, quas nubere non permittunt. Non enim prudentiores habendi sunt, quàm Paulus Apostolus, qui maluit eas nubere quàm uri.

34. NEC eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait Apostolus Paulus: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* non intelligentes quod ipse dicit Apostolus: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Cum enim hoc factum fuerit, jam non erit * caro & sanguis, sed cæleste corpus. Quod & Dominus promittit, cum dicit: *Neque nubent, neque uxores ducunt, sed erunt æquales Angelis Dei.* Non enim jam hominibus, sed Deo vivent, cum æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur ergo ca-

a Duo MSS. *sanctitate.*

Matth. 26.
75.
Isai. 14. 12.

CAPUT
XXXI.
Nec audiendi Cathari negantes Ecclesiam posse omnia peccata dimittere & vetantes viduas nubere.

1. Tim. 5.
14.

2

1. Cor. 7. 9.

CAPUT
XXXII.
Nec qui resurrectionem carnis negant.
1. Cor. 15.
50.
Ibidem 53.

* Confer. 2.
Retract. 3.

Matth. 22.
30.

1. Cor. 15.
52.CAPUT
XXXIII.
Fidei simp-
licitate lac-
tari oportet,
cum parvuli
sumus.Caritas
perfecta
nec cupiditatem
saeculi com-
patitur, nec
timorem.Cognitio
veritatis
corde munda-
to.Matt. 5. 8.
Epher. 3.
17. Et.Matth. II.
30.


caro & sanguis, & fiet corpus caeleste & angelicum. *Et mortui enim resurgent incorrupti, & nos immutabimur: ut & illud verum sit, quod resurget caro; & illud verum sit, quod caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.*


35. ISTA fidei simplicitate & sinceritate lactati nutriamur in Christo, & cum parvuli sumus, majorum cibos non appetamus, sed nutrimentis saluberrimis crescamus in Christo, accedentibus bonis moribus & christiana justitia, in qua est caritas Dei & proximi perfecta & firmata: ut unusquisque nostrum de diabolo inimico & angelis ejus triumphet in semetipso in Christo quem induit. Quia perfecta caritas nec cupiditatem habet saeculi, nec timorem saeculi, id est, nec cupiditatem ut adquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat & regnat inimicus, qui primo Dei timore, deinde caritate pellendus est. Debemus itaque tanto avidius appetere apertissimam & evidentissimam cognitionem veritatis, quanto nos videmus in caritate proficere, & a ejus simplicitate cor habere inundatum, quia ipso interiore oculo videtur Veritas: *Beati enim mundo corde, inquit, quia ipsi Deum videbunt. Ut in caritate radicati & fundati, prevaleamus comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum; scire etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei: & post ista cum invisibili hoste certamina, quoniam volentibus & amantibus jugum Christi lene est, & sarcina ejus levis, coronam victoriae mereamur.*

^a Editi, in ejus simplicitate. Abest in 2 MSS.

FINIS TOMI I.







UEV
OTEC